VITARVM SANCTORVM PRISCORVM PATRVM PER GRAVISSIMOS AVCTORES CONSCRIPTARVM.

ET PER R. P. D. ALOYSIVM Lipomanum Episcopum Veronensem in vnum volumen collectarum cum solitis scholiis aduersus præsentium hæreticorum insanias.

Tomus Tertius.

& non respexit

Beatus uir cuius est Dominus spes eius,



in uanitates & insanias falsas.

VENETIIS IN VICO SANCTÆ Mariæ Formosæ, Ad signum Spei.
M. D. LIIII.

SCRIPTORES VITARVM
Sanctorum, quæ in hoc Tertio
Tomo continentur.

1 Gregorius Archiepiſcopus Turonenſis.
2 Philo Hebręus.
3 Damaſus Papa.
4 Fortunatus Presbyter.
5 Ioannes Aretinus.
6 Clerici Turonenſes.
7 Arethas Archiepiſcopus Cæſarienſis.

ALOYSIVS LIPO: MANVS EPISCOPVS VERONENSIS,

Sereniſſimo Domino Ioanni Tertio Portugalliæ & Algarbiorum Regi inuictiſſimo, æternam felicitatem D.

CVM ex ſanctæ Apoſtolicę ſedis imperio ad maieſtatẽ tuam, aliosq; Chriſtianos Principes diuerſis temporibus proficiſci compulſus fuiſſem, Prouincias plurimas tum iens, tum rediens, perluſtraui, & ad uarias eccleſias ut itineris obtulit oportunitas, me diuertere contigit. In quibus quandiu detineri me neceſſe fuit, in id ſemper ſedulo incubui, ut ſanctorum martyrũ, uenerabilium Epiſcoporum, aliorumq; qui in eis claruerunt, beatorũ uirorum memorias uiſitarem, ac illorum præclara geſta cognoſcerem. Atque ut uerum Maieſtati tuæ fatear omnia ferè quæ ad ſanctorũ hiſtorias pertinent, ubique mutila, tenebris obuolutæ, carie confecta, ac ruſtica quadam nouitate fœdata reperi, tanta in his aſſeruandis illi ad quos ea cura pertinebat, negligẽtia uſi ſunt, licet alias in prædijs, iuriſdictionibus, ac redditibus eccleſiarũ cuſtodiendis, & augendis hi per ꝗ diligentes fuerint. Qua de re magna ego & iuſta quidem (ut arbitror) indignatione permotus, ſtatui mecũ ipſe deinceps celebratiſſimas quaſque tam Græcorum quam Latinorum, ad quas ſiue ego, ſiue amici mei peruenire poſſent, bibliothecas euoluere, & quicquid à uiris doctis & antiquis patribus in ſanctorũ uitas elucubratũ eſſet, extrahere, in publicumq; ad totius eccleſiæ utilitatem pro uiribus proferre, neque permittere ſanctos dei, qui beatas animas pro domino Ieſu Chriſto deuouerunt, & dum in hoc mundo uixerunt, carnẽ ſuam cum uitijs & concupiſcentijs iugiter crucifixerunt, nuncq; in cęlo cũ ipſo dño triumphant, felicia meritorũ ſuorum pręmia colligentes, & uelut ſydera in firmamento refulgent, tam obſoletos in terris iacere & incultos, latere in tenebris, & profundo ſilentio proh dolor ſic ĩmerito obuolui. Et quanuis poſt meum a T. Maieſtate receſſum, plurimis impeditus fuerim occupationibus, ac curis innumeris uires humerorum meorũ longe ſupergredientibus diſtractus, dei tamen fauente clementia, duo iam in lucem emerſerunt Tomi de uitis ſanctorũ, quas peruetuſti & admirabiles quondam patres, non minus docte q̃ pie deſcripſerunt. Quod ipſum quantis uigilijs, laboribus & impenſis effectum ſit, deus ipſe nouit, quem nullum latet ſecretum. Sed & tertius iſte qui nunc primũ ſub tuis exit auſpicijs. Rex inuictiſſime, ex eorum eſt numero.

Quæris forte cur ita ſub tuis auſpicijs? Multę quidem quod id facerem me cauſæ perpulerunt. Quis enim magis ſanctos ipſos colit, ac propen-

sius ueneratur quã Serenissimus meus Lusitaniæ Rex? Quis eorum uitæ accedit propius, quam ille idem qui moribus, pietate ac religione sanctos eosdem adhuc in terris positus refert? Si pacifici fuerunt sancti omnes, & ideo filij dei uocati, quis magis pacẽ colit q̃ ille qui Saluatori suo & in hoc aliqua ex parte similis factus, audire de se quoque possit; Magnificatus est rex pacificus super omnes reges uniuersæ terræ? Vere regnũ tuũ, pacis regnum est, regnũ charitatis & dilectionis, in quo amari potius q̃ timeri, & tanquã pater filijs, magisq́ dominus seruis præesse studes. Quantus præterea nouissimis hisce diebus accessit tuorum erga me meritorũ cumulus, cum tu sex post annis, quam abs te corpore non animo recessi (quod apud Christianos principes tot negocijs implicatissimos rarissimũ exemplum est) mei nec ullo meo merito tã honorifice memineris, taleq; ac tantum præclari in me amoris indicium ostenderis? Nonne hæc omnia iure meritoq; expostulasse uidentur, ut librum hunc Maiestati tuæ, seruitutis meæ pignus testatissimũ, humiliter ac deuote dicarem? Quod etiam eo feci libentius, quia inter cęteras in eo descriptas, duę quoq; magnorum quondam principum uitæ, qui Rempublicam optime administrauerunt insertę reperiuntur, Ioseph scilicet Patriarchę, & Moysi legislatoris, in quibus qualis existis in regno tuo feliciter gubernando, teipsum tanquàm in speculo optime perspicere poteris.

Et quia intentio nostra fuit in his uitis etiam modernos hęreticos conuincere, qui aduersus matrem ecclesiam noua confingere dogmata ausi sunt, idipsum institutum nostrũ quod in duobus pręcedentibus Tomis seruauimus, & in hoc prosequuti sumus, ut scilicet ex appositis Scholijs unicuiq; patefaceremus unam eandemq; semper fuisse Catholicam ecclesiam, eadem fidei dogmata, easdem Apostolicas traditiones, easdem generales consuetudines, & si quid ĩmutatum sit, id non in substantia sed in accidentibus, temporum sic exigente necessitate, contigisse, nec unquam Christi sponsam spiritu sancto postquam illum semel accepit, caruisse.

Tuę igitur hoc erit humanitatis humanissime Rex imprimis in propensam erga te episcopi Veronensis intueri uoluntatem, hocq; & si non magnum quod datur, at spectatum in te obseruantię symbolum eo animi maiore alacritate complecti, quo & ego maiora si possem libentius elargirer, meq; in ea pectoris tui parte confouere ac conseruare, in qua hucusq́ locatum & conseruatum fuisse cognosco. Sic te omnipotens dominus diu felicem ac sospitem unà cum Serenissima coniuge Regina, Illustrissimisq; Principe filio dulcissimo, fratribus & sorore in hac uita conseruet, & post eam ad cœlestis regni pręmia feliciter perducat.

Datę Veronę Calendis Martij anni. M D LIII.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS,

SYNCERO LECTORI.

TERTII istius Tomi candide Lector prima pars à septem authoribus descripta est, qui in duobus quidem primis à nobis editis uno excepto hucusq;, minime nominati deprehenduntur. Nempe Gregorio Turonensi Archiepiscopo, Philone Hebræo, Damaso Romanæ sedis præsule, Aretha Cæsariensi Archiepiscopo, Fortunato presbytero, Ecclesiæ Turonensis Clericis, & Ioanne Aretino: Verũ ut noueris prædictis omnibus certam & minime dubiam fidẽ adhibere, quædam de singulis eorum subnectere operæpretium uidetur, ne credas nos tibi dubia & incerta pro ueris supponere uoluisse. Habe ergo paucula hæc quæ modo subijcimus.

Gregorius cognomento Florentius, tẽpore magni Gregorij Romani Pontificis uir scientia, moribus & nobilitate clarus. Turonensem Ecclesiam sanctissime rexit, cuius scriptis ea passim ab omnibus adhibetur fides, quæ & uiro sanctissimo, & de Christiana fide optime merito adhiberi solet. Sed parcens dictis te ad Ioannem Tritemium Abbatem Spannthimensem uirum doctissimum mitto, qui quantus fuerit uir iste locupletissime te edocebit.

Philoni Iudæo D. ipse Hieronymus in libro de uiris illustribus testimonium perhibet, quẽ inter ecclesiasticos scriptores iccirco ponit, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scripsit ecclesia (quem nos nuper Latinũ redditum in lucẽ edidimus) & in Christianorũ laude maxime uersatus est. Quẽ etiam tantæ eloquentiæ & eruditionis fuisse testantur, ut disertissimus Hebræorũ ab omnibus uiris doctis nuncupatus sit. Et de quo uulgò apud Græcos dictum sit ἤ πλάτων φιλωνίζει ἤ φίλων πλατωνίζει, idest aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo, tanta fuit inter eos similitudo sensuum & eloquij.

Damasus ore D. Hieronymi, toties & ipse laudatus, Petri fidem & cathedram sanctissime tenuit, elegantis homo ingenij, & prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus. Qui inter cætera eruditionis suæ monimenta etiam gesta sanctorũ pontificum Romanorũ (tota penẽ ecclesia & Tritemio teste) conscripsit, insipientia, Beatus Petrus Apostolus & cætera, nec prorsus alia, quàm quæ in nostro hoc præsenti libello continentur.

Aretham autem Cęsariensem Archiepiscopum, & præclara in Apocalypsim Gręce edita cõmentaria ex diuersis sanctorum patrum monu-

mentis collecta, quæ nostro tempore in lucem emerserunt, & sublimis dicendi stylus, Christianamq; prorsus redolens nobilitatem, necnon & antiquitas temporis nobis admodum reddunt cõmendabilem simul & uenerabilem. Omne enim antiquitate differens, uenerabile esse magnus Basilius enunciauit.

Fortunatus uero presbyter D. Gregorij Turonẽsis Synchronos fuit, qui uersu pollens multa in honorem plurium sanctorum excusit opera, præcipueq; hanc D. Martini uitam, eiusdem Gregorij hortatu. Hic natione Italus, in diuinis scripturis doctus, sanctitate conspicuus, in Gallias ad D. Martinum suscepta peregrinatione, apud Pictauos cõmoratus, ibidem primo presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, magnaq; doctrina & religione claruit. Lege ipsum Tritemium, lege & Chronica Martiniana.

Turonenses clerici ut pote sanctissimorum Martini, Bricij, Eufronij, ac Gregorij Turonensium Archiepiscoporum discipuli & alumni, quanti meriti & uirtutis fuerint, non est quòd pluribus ostendere coner, cum illa Ecclesia tum ob rectè institutos à suis presulibus Ecclesiasticos ordines, tum ob beata tantorum Sanctorum pignora super omnes Galliæ Ecclesias continue illustrata & sanctificata fuerit, ut id solum ad fidem dictis faciendam sufficere possit, Turonensis Ecclesiæ clerici hoc affirmant.

De Ioanne Aretino uiro quidẽ sua etate apprime docto & bonis moribus predito, non refert multa dicere, cũ is de suo in beati Athanasij uitã nil afferre polliceatur, sed tantum rapsodiam conficere, atque ea ingerere que à Grecis & Latinis scriptoribus, & ijs quidem tẽpore, & authoritate probatis scripta inuenerit. Quod si utranq; Historiam, Ecclesiasticã scilicet & Tripartitam, D. Gregorij Nazianzeni in eum Epitaphium, Iulij Marci & Liberij Romanorũ Pontificum ad Orientales Episcopos, nec non eorundem ad eosdẽ datas Epistolas, queq; Simon cognomento Metaphrastes Grecus author de Athanasio scripserit, percurrere uolueris, uirum hunc ueracem & fidelem per omnia comprobabis.

Lege ergo hec omnia pede inoffenso, & potius que legeris cuncta admirando uenerare, quã de aliquo mendacio ulla unquã tibi uel minima suspicio ingeratur, & sanctis Dei, fide eius & charitate munitis omnia possibilia fuisse non dubites iuxta Apostoli sententiam. Omnia possum in eo qui me confortat.

SANCTORVM VITÆ QVÆ IN HOC Tertio Tomo continentur.

F I N I S.

CATALOGVS EARVM RERVM, QVÆ IN SEQVENTIBUS Sanctorum vitis contra Hæreticos nostri temporis pro Catholicorum dogmatum ueritate astruuntur, ac ueluti robustissimis propugnaculis fulciuntur.

ritis, clerus & populus prius ferret testimonium, deinde cum ieiunio prece & timore promouerentur.
In uita Zepherini papę & m̃. fo.57, sc.1

5 Olim Episcopi etiam monasteria gubernabant, & iuuentutẽ studio abstinentię, & norma integritatis astringebãt, ac uersantes intra urbes, usu urbium, et conuersatione abdicabant.
In uita beati Martini. fo.108, scho.4

6 Clericalis & monasticę tonsurę ratio unde processerit.
In uita diui Petri apostoli. fo.54, scho.4

7 Sacerdotes & Leuitæ etiam antiquitus habuerunt sacratas uestes, quibus in ministerio ecclesiastico utebantur.
In uita Stephani papę & m̃. fo.60, sch.1

8 In ordine ecclesiastico diuersos esse gradus, quibus laici debent esse subiecti.
In uita Sixti papę secundi. fo.60, scho.1
in uita Gaĳ papę & mar. fo.61, scho.1
in uita Syluestri papę. fo.62, scho.6
in uita Eustatĳ lectoris. fo.194, sc.2

9 Etiam antiquitus qui ad clericatum & monachatum assumebantur, tondebantur.
In uita Gregorĳ Turonensis. fo.137, sc.3

Matrimonium.

1 Nunquã in Occidentali ecclesia aliquis ad sacerdotium promotus est, quin prius habitę coniugi renunciauerit, & illa pariter professa fuerit uelle in continentia uiuere. Quod & in Orientali quoque ecclesia quandoque factitatũ legimus, sed non semper; usus enim apud eã fuit perseuerare in Matrimonio iam contracto ante sacerdotium. At nullibi unquã inuentum est, quod iam promotus sacerdos nuptias contraheret.
In uita Euagrĳ diaconi. fo.173, scho.A

In catalogo sanct. Fœminarũ. fo.182, sc.2
in miraculis beati Martini. fo.230, sc.124

2 Matrimonio per copulam non consumato, licere uni ex sponsis religionem ingredi sine alterius consensu.
In uita Melaniæ Iunioris. fo.191, sc.1

Fides & opera.

1 Non sufficere solam fidẽ ad salutem, sed etiam bona opera requiri.
In uita Athanasii ep̃i. fo.69, scho.39
in miraculis ad corroborationem Christianæ fidei. fo.216, scho.4

2 Ea fides tenenda, quæ à seculo prædicatur, & quam sancti præcedentes professi sunt, omnesq; in toto mundo constitutæ seruant ecclesiæ, & non quæ à paucis seruatur. Et ne unam quidem syllabam de diuinis dogmatibus corrumpi patiendum est.
In uita Athanasii ep̃i. fo.69, scho.38
in testamẽto Ephrẽm Syri. f.176, s.17, 20

3 Validiora sunt exempla, q̃ uerba, & plenius est opere docere, q̃ uoce. Et instruere populum factis excellentissimum est genus doctrinæ.
In uita Chromi p̃sbyteri &c. fo.186, sc.1

Meritum.

1 Sanctos & omnes fideles, qui Dei mandata ritè seruauerint, meritum habere apud Deum omnipotentem, & reddi illis tanquã iustam mercedem, uitam æternam. Et hoc esse, cum ex parte diuinæ promissionis, tum ex spiritus sancti gratia, bonorum illorum operum radice.
In uita Athanasii ep̃i. fo.69, scho.50
in uita. s. Hirenei &c. mar. fo.96, sc.1
in uita Euthymĳ Archiep̃i. fo.96, scho.1 5, 11, 12
in uita. s. Guriæ &c. mar. fo.102, scho.4
in uita Gregorĳ Turonensis. fo.137, sc.5

Missa.

Ecclesia Catholica.

Excommunicatio.

Papatus.

Habitus & uictus.

Ieiunia.

In mira-

In miraculis Legionis Thebęorum. folio 212,scho.11
in miraculis ad reliquias martyrum. folio 213,scho.1,3
in miraculis ad corroborationem Christianę fidei. fo.216,scho.10
in miraculis beati Martini. fo.230,sc.2 18,19,20,33,34,35,36,37,48,58,69,70,A 82,84,98,100,114,129,131,138,170,187

4 Ante pręcipua sanctorū festa etiam antiquitus celebrabātur uigiliæ & ieiunia. Et cur eorum solennitates in ecclesia celebrentur.
In miraculis Iuliani mar. fo.220,sc.12

5 Miracula, quæ ad sanctorum inuocationem fiunt, dominus Iesus Christus gerit in illis, siue per illos, ut ueram fidem in nobis cōfirmet, & per aperta documenta doceat adesse Deum.
In miraculis Thomæ apost. fo.201,sc.3
in miraculo Simphoriani m̄. fo.207,sc.3
in miraculis Iuliani mar. fo.220,sc.34
in miraculis beati Martini. fo.230 scho.17,28,92,116,143,171

6 Sanctos in Dei & Christi lumine scire quæ circa nos aguntur.
In miraculis Panchratij mar. fo.203,sc.2
in miraculis Benigni mar. fo.206,sc.3
in miraculo Aureliani m̄. fo.209,sc.2
in miraculis Legionis Thebæorum. folio 212,scho.6
in miraculis Iuliani m̄. fo.220,sc.31,57
in miraculis beati Martini. fo.230,sc.35

7 Antiquus mos est super sepulchra & memorias martyrum Missas celebrari.
In uita Felicis papæ & mar. fo.60,scho.1

8 Sanctos magnam habere potestatē post mortem.
in uita.s.Guriæ &c.mar. fo.102,scho.6
in uita Eugenij sacerdotis. fo.105,sc.3
in uita.s.Emetherij &c.mar. fo.106,sc.1
in miraculis Stephani protomartyris. folio 201,scho.2
in miraculo Panchratij mar. fo.203,sc.2
in miraculo Victoris mar. fo.205,scho.1
in miraculo Timothei & Apollinaris. folio 208,scho.4
in miraculo Rogatiani & Donati martyrum. fo.208,scho.1
in miraculis Bandelij mar. fo.213,scho.2
in mira. Iuliani m̄. fo.220.sc.31,40,51,59
in miraculis beati Martini. fo.230 scho.35,52,90,110,141,161

9 Sanctos nō rectè dici emortuos, sed dormientes.
In uita Iosephi patriarchæ. fo.4,scho.2
in uita Eutropij epi. fo.95,scho.2
in uita.s.xlviij.mar. fo.95,scho.2
in uita beati Martini. fo.108,sc.17
In uita Gregorij Turonensis. fo.137,sc.15
in uita monachorum montis Nytriæ. folio 148,scho.4
in uita Salomonis Dorot.&c. fo.189,sc.3
in miraculo Timothei & Apollinaris. folio 208,scho.3
in miraculis Quintini mar. fo.211,scho.1
in miraculis Legionis Thebęorum. folio 212,scho.A
in miraculis beati Martini. fo.230,sc.149

10 Sanctorum reliquias, quæ etiam collo à bonis uiris antiquitus gestabantur, uenerandas esse, & sanctas ac beatas sacrasq; dici, necnon eorum res exteras, quæ etiam interdum gratiarum beneficia præstare solent.
In uita dn̄i nostri Iesu Christi. fo.1,sc.7
in uita Syluestri papæ. fo.62,sc.10
in uita.s.xlviij.marty. fo.95,sc.1,3
In uita beati Martini. fo.108,scho.9
In uita Gregorij Turonensis. fo.137 scho.7,11,12
in uita Serapionis monachi. fo.171,sc.3
in testamēto Ephręm Syri. fo.176,sc.25
in miraculis sanctissimę Dei genitricis. folio 197,scho.7,8
In miraculis Ioānis Baptistæ. fo.198,sc.3
in mirac. Agricolę & Vitalis. fo.204,sc.4
in mirac. Saturnini mar. fo.206,scho.2
in mirac. Simphoriani mar. fo.207,sc.1,3

Imagines.

Purgatorium.

Vota.

Cœlibatus.

Templorum cultus.

9 Placere Deo, q̄ sanctorum basilicæ instituantur hæredes defunctorum.
in miraculis b. Martini. fo.230, sc.41,169

Mors & mortui.

1 Defunctorū animæ uigilijs, psalmis, orationibus, eleemosynisq́ uiuorū adiuuantur, necnon salutaris uictimę oblatione.
In uita Tabennensiotarum fœminarum. fol.168, scho.3
in testamento Ephrēm Syri. fo.176 scho.1,2,4,11,13,16. A.

2 Legata ad pias causas prosunt animabus defunctorum.
In miraculis Iuliani mar. fo.220, sc.19

Sepultura.

1 Sepelire mortuos pietatis opus esse, & Deo placere.
In uita Moysis prophetæ. fo.19, sc.2
In uita Cornelij papæ & mar. fo.59, sc.1
in uita Eutichiani papæ & m̄. fo.60, sc.2
in uita Gregorij Turonen̄. fo.137, sc.18

2 Sepulturam curandam esse, & non negligendam, & par esse, ut uiri Deo dicati magnificā eam, et gloriosam habeant.
In uita Iosephi patriarchæ. fo.4, sc.1
in uita Euthymij Archiepi. fo.96, sc.6
in testamento Ephræm Syri. fo.176, sc.12

3 Christiana traditio est, hymnos, & psalmos, in defunctorum fidelium sepultura decantare, & tumulos super eorum corpora componere.
In uita Marcellini papæ & martyris. fol.61, scho.1
in uita Euthymij Archiepi. fo.96, sc.3
in uita Tabennensiotarum fœminarum. fol.168, scho.2
in testamento Ephræm Syri. fo.176, sc.16

4 De more catholicę ecclesię esse, Christianorum corpora cū sacerdotibus tumulari, necnon cū lampadibus, & cereis odoramētorumq́ suauitate atq; apud sanctorū oratoria. Et interdū quando indigni ibi tumulati sunt, miraculose etiam inde sunt eiecti.
In uita Aniceti papæ & mar. fo.57, sc.1
in uita Marcellini papæ & m̄. fo.61, sc.1
in uita Euthymij Archiepi. fo.96, sc.3
in testamēto Ephrēm Syri. fo.176, sc.9,14
in miraculis ad reliquias martyrum. folio 213, scho.15

5 Exequias etiam solennes antiquæ Ecclesiæ fuisse in usu.
in uita Euthymij Archiepi. fo.96, sc.8
in uita Quadraginta mart. fo.107, sc.1

6 Anniuersaria mortuorum, Quadragenaria, Tricenaria, et Septenaria antiquis fuisse in usu.
In testamēto Ephrēm Syri. fo.176, sc.16

7 Sacra cimiteria, ubi defunctorū Christianorū corpora sepeliūtur, placere Deo. Vnde ex eius reuelatione quandoque fuerunt designata.
In uita Calixti papæ & mar. fo.58, sc.2
in uita Marcelli papæ & martyris. folio 61, scho.1
in uita Iulij papæ. fo.67, scho.1
in testamēto Ephrēm Syri. fo.176, sc.15

Monachatus.

1 Vtebantur monachi antiquitus frequentibus orationibus, uigilijs, silentio, secessione, & cella perpetua.
in uita Moysei Ægyptij. fo.158, sc.2
in uita Chronij presbyteri &c. folio 186, scho.3
in uita Pachomij alterius Abbatis. folio 167, scho.3
in uita Tabennensiotarum fœminarum. fol.168, scho.6
in uita Ioannis Abbatis. fo.169, sc.1,2
in testamēto Ephrēm Syri. fo.176, sc.21
in uita Iuliani & Adulij. fo.182, sc.2
in uita Philoromi presbyteri. fo.183, sc.3

Hæretici.

FINIS.

VITA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI mundi redemptoris per beatum Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta. In qua etiam de beata Virgine eius matre, de Cruce, Clauis, Lancea, Tunica, ac imaginibus Saluatoris inſignis mentio habetur.

Habetur in opere eiuſdem in gloriam beatorum martyrum edito. Cap. I.

QVOD IN Bethlehem naſciturus erat Dominus, oſtẽdit propheta, inquiens, Et tu Bethlehem Effrata non es minima in milibus Iuda; ex te enim prodiet Rex, qui regat populum meum Iſrael. Hoc enim & Natanael ille a Cana Galileæ aſſerens dixit, Rabbi, Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael. Ipſe eſt & ſalus mundi, de quo & ille Simeon ait, Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum.

Nato ergo domino noſtro Ieſu Chriſto ſecundum carnem in Bethlehem in diebus Herodis Regis, iuxta fidem Euãgelicam, Magi ab Oriente uenerunt Hieroſolymã, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorũ; uidimus enim ſtellã eius in Oriente, & uenimus adorare eũ. Et reliqua.

Eſt aũt in Bethlehem puteus magnus, de quo Maria glorioſa aquam fertur hauſiſſe. Vbi ſæpius aſpicientibus miraculum illuſtre monſtratur, ideſt ſtella ibi mundis corde, quæ apparuit Magis, oſtenditur. Venientibus deuotis, ac recumbẽtibus ſuper os putei, operiuntur linteo capita eorum: Tunc ille, cuius meritum obtinuerit, uidet ſtellam ab uno pariete putei ſuper aquas trãſmigrare ad alium in illo modo, quo ſolent ſe ſuper cœlorꝝ circulos ſtellæ transferre. Et cum multi aſpiciant, ab illis tantum uidetur, quibus eſt mens ſanior. Nonnullos uidi, qui eã aſſerebant ſe uidiſſe. Nuper autem diaconus noſter retulit, quòd cum quinq; uiris aſpexit, ſed duobus tantum apparuit.

Dominus igitur noſter Ieſus Chriſtus in aſſumpta carne de Virgine, multa populis miracula eſt dignatus oſtendere. Hauſtos enim latices in uini ſaporem conuertit. Cœcorꝝ oculis, depulſe nocte, lumen infudit. Paralyticorꝝ greſſus, ablata debilitate, direxit. Febres ægrotantium, fugato ardore, reſtinxit. Hydropicum, cõpreſſo tumore, ſanauit. Lepram diſcedere ſacri oris uirtute mandauit. Mulierem dęmonio inclinatam inuidentibus Iudæis erexit. Super aquas uerò non dehiſcentibus aquis inceſsit. Profluuiũ mulieris tactu fimbrię ſalutaris auertit. Multa quidem & alia fecit, quæ ſacra Euangeliorꝝ narrat hiſtoria. Tamen cum multos ſalubri, cœleſtiq; mãdato reſtauraſſet ad uitam, tres ab infernali morte reductos uitæ reſtituit, ideſt Archiſinagogi filiã reſuſcitauit in domo, unicum uiduæ ſurgere iuſsit ad portæ egreſſum, & Lazarũ uocauit ex monumẽto. (Cap. 2.)

Igitur Iudæi furore ſuccenſi falſis accuſationibus circundantes iuſtũ, tradiderunt morti, & crucis affixione damnauerunt. Quem Deus pater (Cap. 3.)

ſuſcitauit à mortuis tertia die ſolutis doloribus mortis, quoniã impoſsibile erat eũ apud inferos retineri, ſicut ait Apoſtolus Petrus. Poſt hæc promittens paraclitũ, et imbuens cœleſtibus doctrinis Apoſtolos, uictor aſcẽdit ad cœlos, uenturumq́; ſe ad iudicandũ Angelis teſtantibus repromittens; dicente Apoſtolici actus hiſtoria, Hic Ieſus, qui receptus eſt à uobis, ſic ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum.

Cap. 4.

Poſt admirabilem igitur Dominicæ aſſumptionis gloriã, quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fideliũ ad contemplanda cœleſtia animauit, ſancti Apoſtoli Domini & Saluatoris noſtri cũ beata Maria matre eius erant in una cõgregati domo, Omnia ponebant in medio, nec quiſquã ſuum aliquid eſſe dicebat, ſed unuſquiſq; cuncta poſsidebat in charitate, ſicut ſacer Apoſtolicæ aſſertionis narrat ſtilus.

Poſt hæc diſperſi ſunt per regiones diuerſas ad prædicandũ uerbum Dei. Deniq; impleto à beata Maria huius uitæ curſu, cum iam uocaretur à ſeculo, congregati ſunt omnes Apoſtoli de ſingulis regionibus ad domum eius. Cumq́; audiſſent, quia eſſet aſſumenda de mundo, uigilabant cũ ea ſimul, & ecce Dñs Ieſus aduenit cum angelis ſuis, & accipiens animam eius tradidit Michaeli Angelo, & receſsit. Diluculo aũt leuauerunt Apoſtoli cum lectulo corpus eius, poſueruntq́; illud in monumento, & cuſtodiebant ipſum, aduentum Domini præſtulantes. Et ecce iterũ aſtitit eis Dominus, ſuſceptumq́; corpus ſanctũ in nube deferri iuſsit in paradiſum. Vbi nunc reſumpta anima cum electis eius exultans, æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur.

Cap. 5.

1 Crux Chriſti in eccleſia adoratur.

Crux Dñica, quæ ab Helena Auguſta reperta eſt Hieroſolymis, quarta & ſexta feria 1 adoratur. Huius reliquias, & merito, & fidei Helenæ comparanda, Regina Radegundis expetijt, ac deuotè in monaſterio Pictauenſi, quod ſuo ſtudio conſtituit, collocauit. Miſit pueros iterũ Hieroſolymam, ac per totã Orientis plagam, qui circumeuntes ſepulchra ſanctorum martyrum, confeſſorumq́; cunctorum reliquias detulerũt, quas in arca argentea cum ipſa cruce ſancta collocatas ſeruauit, 2 multaq́; exinde miracula conſpicere meruit; de quibus illud primũ exponam, ꝙ ibidẽ Dominus in diebus paſsionis ſuæ dignatus eſt reuelare.

2 Ecce quomodo ad crucem Chriſti & ſanctorũ reliquias multa beneficia præſtari ſolent.

Sexta feria ante ſanctũ Paſcha cum in uigilijs ſine lumine pernoctarent, circa horam tertiã noctis apparuit ante altare lumen paruulũ in modum ſcintillæ, deinde ampliatũ huc illucq; comas fulgoris ſpargere cœpit gradatim in altũ cõſcendens; effectaq́; pharus magna obſcuræ nocti, uigilantiq́; plebeculæ lumen præbuit ſupplicãti. Illuceſcente aũt cœlo, paulatim deficiens, data terris luce, ob oculis mirantũ euanuit. Ego aũt audiebam ſæpius, ꝙ etiam Lychni, qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes uirtute diuina intantum exundarẽt oleo, ut uas ſuppoſitũ plerũq; replerent; & tamen 3 iuxta ſtultitiam duræ mentis nunquã ad hęc credenda mouebar, donec brutam ſegnitiem ipſa ad præſens quę oſtenſa eſt uirtus argueret. Ideoq́; quæ oculis proprijs uiderim, explicabo.

3 Etiam hæretici noſtri miraculis ſanctorum ſunt increduli, et ea negãt, quæ dæmones ipſi plerunq; compelluntur confiteri.

Causa deuotionis extitit,ut sepulchrum 4 sancti Hilarij uisitans,huius Reginæ adirem colloquia, ingressusq; monasterium consalutata Regina coram adoranda cruce,ac sacris beatorum prosternor pignoribus.Deniq; oratione facta surrexi. Erat enim ad dextrã Lychnus accẽsus,quem cum stillis frequenter defluere conspexissem, testor Deum, quia putaui quasi uas esset fractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleũ defluens decidebat. Tunc conuersus ad Abbatissam aio, Tanta ne te retinet mentis ignauia,ut integrum cicendilem laborare nõ possis, in quo oleũ accendatur,nisi effractũ quo defluat ponas? At illa,Non est,domine mi, sed uirtus est crucis sanctæ,quam cernis. Tunc ego ad me reuersus, & ad memoriã reuocans quæ prius audieram,conuersus ad lychnũ in modum ollæ feruentis magnis fluctibus exundare conspexi,ut per orã ipsam undis intumescentibus superflueret,&(ut credo)ad incredulitatem meã arguẽdam magis ac magis augeri, ita ut in unius horæ spatio plusquã unũ sextariũ redderet uasculum, qđ quartarium non tenebat. Admiratusq; silui,ac uirtutem adorandæ crucis deinceps prędicaui.

Puella quædam Chrodegildis nomine,dum post mortẽ patris in urbis Cenomanicæ territorio desideret, oculorum amissione mulctatur.Postquã aũt ex iussione Chilperici Regis adhuc beata Radegunde Regina superstite,ad antedictã monasterij trãsmisisset regulam,ipsa beatissima ostendente, ante sanctã prosternitur 5 crucem, ibiq; cum reliquis sanctimonialibus uigilias explicans,dato mane ijsdem discedentibus, prostrata solo in eodem loco quieuit, apparuitq; ei per uisum quasi aperiret aliquis oculos eius,et unũ sanitati redderet,cum alius adhuc laboraret.Ita subito ad ostij reserati sonum expergefacta,unius oculi lumen recipit.Qđ non ambigitur per crucis uirtutem fuisse præstitum.Energumini,claudij, & alij quoq; infirmi persæpe in hoc sanantur. De his hactenus.

Speciosi aũt,omniq; metallo nobiliores Dñicæ crucis claui, qui beata membra tenuerunt,ab Helena Regina post ipsius sacræ Crucis inuentionem reperti sunt,& de duobus quidem frenũ Imperatoris muniuit,quo facilius,si aduersæ gentes restitissent Principi, hac uirtute fugarent. De quibus non est ignotũ,Zachariam uaticinasse prophetam. Erit, inquit, qđ in os equi ponitur, sanctum Dñi. Eo aũt tpe Adriaticum mare magnis fluctibus mouebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demersio hominũ,ut uorago nauium diceretur.Tunc prouida Regina condolens excidia miserorum,unum ex quatuor clauis deponi iubet in pelago confisa de Dñi misericordia, qđ sæuas fluctuum cõmotiones facile posset reprimere.Quo facto redditur mare quietũ, trãquillaq; deinceps nauigantibus flabra pstant. Vnde usq; hodie nautę sanctificatũ 6 mare uenerantur cum ingressi fuerint,ieiunijs oronibusq; & psalterio uacantes.

Claui ergo Dñici q quatuor fuerint,hæc est ratio.Duo affixi erant in palmis,& duo in plantis. Sed qritur cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce sancta depẽdere uisæ sunt potius quã stare. Sed in stipite erecto foramen

4 *Vides quod etiã sancti uiri olim deuotionis causa ad sanctorũ uisenda sepulchra peregrinabantur?*

5 *Ecce crucis adoratio, ecce Vigiliarum celebratio.*

Cap.6.

Nota de mari Adriatico scitu digna.

6 *Nautæ sanctificatum mare uenerantur, ieiunijs,orationibus et psalterio uacantes.*

factum manifestum est. Pes quoq; paruulæ tabulæ in hoc foramine insertus est. super hanc uero tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.

Quæritur etiã quid de his clauis fuerit factũ. Duo sunt, ut supra diximus, aptati in freno; Tertius proiectus in fretum; Quartum asserunt esse defixum in capite statuæ Constantini, quę ciuitate, ut aiunt, tota excelsior suspicitur, scilicet ut tota ipsa ciuitas, cui eminet, munitione salutis quodãmodo galea coronata esset. Magnam asserunt uirtutem esse huius freni, quod ambigi nequaquam potest, qd' Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodã mago propter pecuniã emissam, quam sibi dæmonis umbra intolerabilis attulerat, per duarũ curricula noctium sustinuit insidias: Sed cum tertia nocte frenum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus ultra non habuit; repertumq; auctorem insidiarum Imperator gladio percussit. Nobis uerò quæ sit uirtus ligni eius, hoc modo manifestum est.

Aduenit quidam, qui nobis pallulam holosericam ualde uetustã exhibuit dicens, Ab hac in Hierosolymis Crucem Domini inuolutam fuisse. Quod cum apud rusticitatem nostrã incredibile haberetur, ac rimaremur sollicitè, unde ei tanta fuisset gratia, ut ista meruisset, cum sciamus in templo, quo sacrum hoc lignum adoratur, non solũ exinde nihil quenquam mereri, sed etiam importunius accedentem uerberibus arceri, respondit, Quando, inquit, Hierosolymã abij. Tutem Abbatem repperi, qui magnam cum Sophia Augusta gratiam habuit, huic enim omnem Oriẽtem quasi præfecto cõmiserat. Me huic subdidi, à quo cum ab Oriẽte regrederer, & sanctorũ pignora, & hanc palllam, de qua eo tempore sancta Crux inuoluebatur, recepi.

Postquam mihi uir ille retulit, & hanc mihi pallam tradidit, præsumpsi, fateor, eam abluere, & frigoreticis potum dare, qui mox opitulante uirtute diuina sanabantur. Scindebam etiã exinde plerunque particulas, & dabam religiosis pro benedictione. Vni uerò Abbati partẽ diuisi, qui post duos ad me annos rediens, cum sacramento asseruit, duodecim ab ea energuminos, tres cæcos, duosque paralyticos fuisse sanatos. Mitto cuidam ipsam pallã: In os posuit, quæ cum dentes linguamque eius attigit, statim uocem, eloquiumque restituit. Quod nos fideliter credere ipsa Domini promissio illicit, dicens, Omnia quæcunq; petieritis in nomine meo, credite, quia accipietis, & uenient uobis.

Cap. 7. De lancea uerò, arundine, spongia, corona spinea, columnaque, ad quam uerberatus est Dominus Redemptor Hierosolymis, aliquid dicendum est. Ad hanc columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circundant, quas rursum pro benedictione recipiunt diuersis infirmitatibus profuturas. Ferunt etiã ipsas Coronæ sentes, quasi uirides apparere, quæ etsi uideantur aruisse folijs, quotidie tamen reuirescunt uirtute diuina. Prodit & ex monumento, quo Dominicũ iacuit

corpus

corpus mira uirtus, quòd sæpius terra naturali candore radiāte repletur, & exinde iterum ablata aqua conspergitur. De qua tortulæ paruulæ formantur, ac per diuersas mundi partes transmittuntur; de quibus plerunque infirmi sanitates hauriunt. Illud est mirū, quòd sępissimè accessus serpentiū uitant. Sed quid ego temerarius de his loqui audeo, cū fides retineat, omne quod sacrosanctū corpus attigit esse sacratum?

De Tunica uerò beati corporis non consuta, desuper contexta per totum, quæ iuxta Dauidicum uaticinium sub sorte iacuerat, fides Euangelica pandit; Ait enim, Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestē meā miserunt sortes. De hac uerò immaculati agni tunica, quæ audiui, silere nequeo. Ferunt autem in ciuitate Galathæ, in basilica, quæ ad sanctos Archangelos uocitatur, retineri. Est enim hæc ciuitas ab urbe Constantinopolitana quasi milibus centum quinquaginta. In qua basilica est cripta abditissima; Ibique in arca lignea hoc uestimentum habetur inclusum. Quæ arca à deuotis, atque fidelibus cum summa diligentia adoratur, 7 non immerito digna, quæ hoc uestimentum retineat, quod Dominicum corpus, uel contingere meruit, uel uelare. *Cap. 2.*

7 Vide etiam arcam ligneam adorari, quæ dominicum continet uestimentum.

Dignum autem uidetur, ut & de Iordane, in quo Dominus baptizatus est, aliquid memoremus. Igitur à monte Phamo duo cōsurgunt fontes, quorum unus Ior, alter Dan uocitatur. Qui ab utraque parte Phamadæ urbis, quæ prius Cæsarea Philippi uocabatur, descendentes, sub ipsa urbe tam fluentis coniuncti, quam nomine, una Iordanem efficiunt, qui usque Hierico ciuitatem, & ultra defluit. In eo habetur locus, in quo Dominus baptizatus est. In uno etenim reflexu aqua reuoluitur ipsa, in qua nunc leprosi mundantur. *Cap. 16.*

Cum autem aduenerint, sæpius lauātur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. De publico tamen, dum ibi commorati fuerint, uictū accipiunt; sanati autem ad propria discedunt.

Ipse quoque Iordanis ab eo loco in quinto miliario mari commixtus mortuo, nomen amittit. Mare enim mortuum ab hoc dicitur, eo quòd ab incendio Sodomæ, uel reliquarum urbium est uersatum; & aqua ipsa asphalto permixta est, unde à nōnullis mare asphalti appellatur, in quo qui natare nescit, super aquam fertur, & circa eum sulphur adhæret.

Igitur, ut diximus, in ipso primo Iordanis egressu Phamada Ciuitas sita est. In qua habetur statua ex electro purissimo fabricata, in qua Redēptoris nostri forma dicitur esse expressa. Nam ut plerosq; audiui, qui eā contēplati fuerant mira claritas in eius facie cōtinetur. Sed ne cui hoc uideatͬ absurdū, narrare quę de ea Cęsariensis refert Eusebius, non pigebit. *Cap. 20.*

Ait enim. Mulierem, quam sanguinis profluuio laborātem à Saluatore curatam Euangelia tradiderunt, huius urbis ciuem constat fuisse; domusque eius in ea nunc ostenditur. Præ foribus uerò domus ipsius basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius uelut genibns prouolutæ palmas suppliciter tendentis imago ærea uidetur

8 Habes ex hoc loco imaginum usum licitum & antiquum esse, quæ si Deo displicerent, hæc domini imago tantæ uirtutis non fuisset.

expressa. Astat uerò alia ærea nihilominus fusa statua 8 habitu uiri stola compte circumdati, & dextram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuæ in basi herba quædam noua specie nascitur. Quæ cũ exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius æreæ indumenti fimbriã solet. Quam cũ summo uertice herba crescens contingerit, uires inde ad depellendos omnes morbos, languoresq; conquirit; ita ut quæcunq; fuerit illa infirmitas corporis, haustu exiguo madefacta salutaris graminis depellatur; nihil omnino uirium gerens, si anteq̃ æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem uultus Iesu tradebant. Quæ permãsit etiam ad nostra usque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum si ei, qui ex gentibus crediderant, pro beneficiis, quæ à Saluatore fuerant consequuti, huiusmodi uelut munus uidebantur offerre; 9 cum uideamus etiam nunc & Petri uel Pauli Apostolorum ipsius Saluatoris imagines designari, tabulasq; depingi. Hæc Eusebius retulit.

9 Vides non solum Saluatoris domini sed et Apostolorum eius Petri & Pauli imagines solitas fuisse designari?

Cap. 21.

10 Ecce quomodo non solum in principio nascentis ecclesiæ fuere imagines, sed & lõgo post tempore tã in ecclesiis quam in domibus frequentatæ. Quid ergo latras hæretice?

Nam & isto nunc tempore per credulitatem integram tanto Christus amore diligitur, ut cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam imaginem ad commemorationem uirtutis in tabulis 10 uisibilibus pictam, per Ecclesias ac domos affigant. Sed & in hoc inimicus semper humani generis æmulus extat. Nam Iudæus quidam cũ huiusmodi imaginem in tabula pictam, ac parieti affixam in Ecclesia sæpe uidisset, ait, Ecce seductorem illum, qui nos genusq; nostrum humiliauit. Et sic nocte ueniens, telo ipsam imaginem uerberat, elisamque de pariete opertam ueste ad domum portans, flammis parat exurere. Sed res mira apparuit, quæ de uirtute Dei exisse non potest ambigi. Nã de uulnere, ubi imago transfossa fuerat, sanguis effluxit; quod ipse iniquus, spiculator oppletus furore non sensit. Cum autem per obscuræ noctis tenebras domum suam fuisset ingressus, lumine adhibito cernit se totum sanguine cruẽtatum; timensq; ne scelus suum patefieret, abiectam à se tabulã abdidit in obscuris, nec ausus est ultra contingere quod inique presumpsit 11 auferre. Venientes autem Christiani diluculo ad domum Dei, imaginẽ non inueniunt, stupentesq; ac requirentes quod fuerat factum, cruoris uestigia deprehendunt, quæ sequentes, ad domum Iudæi accedunt. Deniq; sciscitati de tabula nihil certi cognoscunt. Requirentes aũt eam solicitè, in angulo cellulæ Iudæi reperiunt. Qua Ecclesiæ reddita, furem lapidibus obruerunt.

11 Si imagines Deo displicerent, non tanta miracula ostenderet Deus contra earum prophanatores.

Cap. 22.

Est & apud Narbonensem urbem in Ecclesia seniore, quæ beati Genesii martyris reliquiis plaudit, pictura, quæ Dominum nostrũ, quasi præcinctum linteo indicat crucifixum. Quæ pictura 12 dum asidue cerneretur à populis, apparuit cuidam Basilio presbytero per uisum persona terribilis dicens, Omnes uos obtecti estis uariis indumentis, & me iugiter nudum aspicitis, uade quantocius, & cooperi me uestimento. Et persona non intelligens uisionem, data die, nequaq̃ ex ea rememoratus est.

12 Vide & aliud miraculum circa imaginẽ crucifixi.

Rursumq; apparuit ei. Sed & illud paruipendit. Post tertium autem diẽ secundæ uisionis, grauiter excruciato eo uerberibus, ait, Nonne dixeram tibi ut cooperires me uestimento, ne cernerer nudus, & nihil ex hoc à te actum est? Vade, inquit, & tege linteo picturam illam, in qua crucifixus appareo, ne tibi uelox superueniat interitus. At ille commotus, & ualde metuens narrauit ea Episcopo, qui protinus iussit desuper uelum expandi. Et sic obtecta nunc pictura conspicitur. Nam etsi parũper detegatur ad contemplandum, mox demisso uelo contegitur, ne detecta cernatur.

VITA BEATI IOANNIS BAPTISTÆ præcursoris Do. per Diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in lib. eiusdem in gloriam plurimorum martyrũ edito. cap. 12.

IOannes Baptista actu Herodis per Herodiadem uxorem fratris in carcerem colligatur. Tunc temporis à Gallijs matrona quædam Hierosolymam abierat pro deuotione tantum, ut Domini & Saluatoris nostri præsentiam mereretur. Audiuit autem quòd beatus Ioannes decollaretur. Cursu illuc rapido tendit, datisq; muneribus supplicat percussori, ut eam sanguinẽ defluentem colligere permitteret, nec arceret. Illo autem percutiente matrona concham argenteam præparat, truncatique martyris capitis cruorem deuota suscepit. Quem diligenter in ampulla positum patriá detulit, & apud Vasatensem urbem ædificata [1] in eius honore Ecclesia, in sancto altari collocauit.

[1] Vides quod etiam in primitiua ecclesia tẽpla in honore sanctorum ædificabantur.

IOSEPI PATRIARCHÆ VITA A' PHILONE Hebręo composita, in qua uir administrande Reip. peritus describitur, Petro Fracisco Zino Veronẽsi Interpte.

Habetur in eius operibus Græce conscriptis modo latine reddita.

TRes sunt rationes, quibus optimus finis constituitur, disciplina, natura, exercitatio quarũ singulis Moses tres itẽ sapientiũ uetustissimos insignes tradit. Horum uitas, quam eorum quisque cum doctrina, tum ingenio, tũ exercitatione instituerit, scriptis persecuti, quartã deinceps ciuilem, qua Patriarcharũ unum nobilem, à primaq; ætate cõprobatum idẽ statuit, explicabimus.

Is septimũ decimum agens ætatis annum cœpit collaudari, cũ in pastorale studium & curam incumberet. Quod quidem munus tractandæ reipub. muneri congruens & affine est. Ex quo poëtæ, ut arbitror, pastores populorũ Reges uocare solent. Nam qui præstantissimus pastor est, idem Rex optimus esse poterit, cùm gubernandi pulcherrimi animaliũ gregis hominũ facultatem in leuiore administratione didicerit. Quemadmodum enim ei, qui bella gesturus, & exercituũ ductor futurus est, uenãdi artes sunt maximè necessariæ, sic illi, qui sit reipub. gubernacula tractaturus, procuratio pastoralis est accomodatissima, tanquã ciuilis atque

imperatorij muneris dux quędam & magistra. Egregiam igitur in eo indolem perspiciens pater, maioremq; prudentiã, quàm quæ priuato homini cõueniret, admirabatur, & cõplectebatur, eumq; magisq; reliquos filios diligebat, præsertim quia senex eum susceperat, qui non minimns est ad excitandam beneuolentiã stimulus, & quia scitus, atque elegans erat, ingeniũ pueri ardentius amabat, eximioq; ac singulari studio prosequebatur, ut non incenderet solũ, uerũetiam magis reluceret. Sed ĩuidia, quæ magnis actionibus semp aduersatur, familiã tunc omnibus partibus rectè constitutã inuasit atq; disiunxit, multosq; fratres aduersus unũ incitauit, ut beneuolentiæ patris in eum parem ipsi maleuolentiã conciperent, tantoq; odio prosequerentur, quantus erat amor, quo diligebatur. odium aũt non pferebant, sed animis inclusum cõseruabant. Quapropter acerbius euadebat. Nanque animi morbi, qui cælantur, nec uerbis aliquo modo respirant, grauiores fiunt.

Cãdidis ergo simplicibusq; moribus pditus & fratrũ animos â se esse abalienatos ignorans faustum illis, quod fecerat somniũ ut amicis enarrat. Tempus, inquiens, mesis adesse mihi uidebatur, nosq; omnes ĩ agrũ ad fructus colligendos profecti sumptis falcibus metere, meus autẽ repentè manipulus, excitari, & rectus in sublime tolli, uestri uerò tanq ex consensu accurrentes illũ admirari, atq; omni honore prosequi & adorare. At illi, qui ualebant ingenio, quiq; per similitudines inuestigare, coniecturaq; assequi poterant, quid ea re portenderetur, ne putes, inquiunt, te Regem nobis ac Dominũ fore. Hæc enim sibi falso opinionis errore significari persuaserant. Quapropter odium magis accendebatur, & nouã semper aliquã incrementi causam reperiebat. At ipse nihil suspicans paucis post diebus, quæ in quiete uiderit prioribus admirabiliora, fratribus exponit. Solem enim & Lunã & undecim Stellas ad se adorandũ accedere existimabat. Pater autẽ uisum admirans cogitatione cõplectebatur, animoq; condebat, & quid euenturũ esset, considerabat. Grauiter autem, ut ęquũ erat, nequid erraret, filium reprehendit, ego ne, inquiens, & mater, & fratres tui adorabimus te? Me nanq; per Solem uideris subsignificare, matrẽ autẽ per Lunã, & fratres per undecim Stellas. Quod tibi, fili, ne in mentẽ quidem ueniat optare, sed eorũ, quæ uidisti, memoria obliuione deleatur. Nam me quidem iudice dominatũ in suos sperare atque expectare detestabile est. Idemq; sentire arbitror, quicunq; dant operã, ut æquo & pari iure naturali cũ cæteris uiuant. Cauens autẽ pater, nequa inter fratres ex æmulatione simultas atq; discordia nasceretur, succensebant enim ei, qui uisa retulerat, misit alios ad pascendas oues, illum autẽ, quoad ei uisum est cõmodum, retinuit domi. Sciebat enim perturbationum atq; ægritudinũ animi tẽpus esse medicũ dici. Siquidem & dolorẽ tollit, & irã extinguit, & metũ abstergit. Nihil enim est natura tam insanabile, quod non dies ipsa molliat ac leniat.

Cum autẽ in eorũ animis maleuolentiæ nihil amplius residere conij-

ceret, filium emisit, tum ut fratres salutaret, tũ etiam ut ad se referret quo & ipsi & ouium greges haberent. Hoc iter magnorũ cũ malorũ tũ etiam bonorũ principium præter ipsorũ spem erat futurum. Nam ille quidẽ patris mandato parens proficiscebatur, ipsi uerò procul aduenientẽ conspicati nihil inter se faustum colloquebantur. Quandò ne nomine quidem ipsum suo appellare dignati sunt, sed somniorũ coniectorẽ & inspectorẽ atq; alijs eiusmodi uocibus nominarunt, eoq; iracundia prouecti sunt, ut si nõ omnes, pleriq; tamen de cęde ipsius cogitarent, ac ne deprehenderẽtur, sublatũ in cisternam deijcere decreuerunt. Multæ autẽ in illis locis ad excipiendos imbres cisternæ sunt. nec multum abfuit, quin se maximo fraternæ cędis scelere coinquinarent. Ab ea nanq; sententia fratris natu maximi consilio uix deducti sunt. Admonebat enim ne facinus admitterent, sed in unã ex illis cisternis tantũ proijcerent. Etenim de salute ipsius cogitabat, ut cũ discessissent, ipsum educeret, ab omniq; malo liberũ & incolumem ad patrem mitteret.

Hac sententia comprobata ipsum ad se accedentẽ ac salutantẽ, ut inimicũ corripiunt, omnia uestimenta detrahunt, eaq; cũ in profundas fossas ipsum detrusissent, edino sanguine conspersa ad patrẽ mittunt, ut eo signo filium à feris dilaniatũ intelligeret. Forte fortuna mercatores quidam Arabes illo die iter faciebant illac, merces in Ægyptũ conuehentes, quibus extractũ fratrẽ uendiderunt, fratris, qui quarto loco natus fuerat, sententiam secuti. is enim, ut mihi uidetur, ueritus, ne quando ab ipsis implacabili ira excandescentibus dolo necaretur, consuluit ut uenderetur, grauiore pœna in leuiorem, hoc est morte in seruitutẽ cõmutata. Reuersus frater natu maximus, neque enim uenditioni interfuerat, uim despexisset, nec quẽ paulo ante reliquerat, intueretur, clamare, uociferari, uestem conscindere, sursum ac deorsum tanq; insanus ferri, manus complodere, capillumq; conuellere. Quid, inquiens, factũ est fratre? dicite, uiuit ne an mortuus est? si nõ uiuit amplius, defunctum ostendite, ut cadaueri illacrimans dolorẽ mitigem, si iacentẽ uidero, me cõsolabor. Quid etiam mortuo succensemus? Aduersus eos, qui è medio sublati sunt, non uiget odium. Sin uiuit, quo'nã terrarũ abijt? apud quos custoditur? Neq; enim ego, quemadmodũ ille suspectus sum, ut mihi fides haberi nõ debeat.

Respondentibus autẽ uenditũ esse, atque ostendẽtibus pretium, egregiam, inquit, mercaturã fecistis, diuidamus prędam. Accipiamus coronã, ꝙ cũ latronibus de sceleris magnitudine cõtenderimus. gloriemur, ꝙ crudelitate à nobis uicti sint. In alienos illi coniurant, nos in coniunctissimos atque charissimos. Magnũ patratũ est flagitium, insigne dedecus admissum est. Patres nostri documenta probitatis ubiq; gentium reliquerunt. Nos perfidiæ atq; inhumanitatis perditę monumenta relinquemus. Vagatur enim ubiq; facinorum fama, cũ admiratione & gloria, si bona sint: cũ uituperatione, ac dedecore, si mala. Quo'nam pacto pater huiusce rei nuntium accipiet? Homini beatissimo ac felicissimo uitã, quantũ ad uos

pertinet,acerbiſsimã redditis. Eius'ne uicem ob ſeruitutẽ deplorabit,an noſtrã propter ĩmanitatem?noſtrã nimirũ magis. Quandoquidem iniuriam facere,q̃ accipere grauius eſt. Hoc duobus maximis ſolatijs fulcitur miſericordia & ſpe,quibus illud utriſq; carens omniũ ſententijs condemnatur. Sed quid ego hæc lamentor & clamo,cum ſilere ſatius ſit, ne mihi quoq; aliquid cõtingat,quod nolim?Aſperrima enim maximeq; implacabilis ueſtra eſt iracundia, ſpiratq; adhuc perſpicua in unoquoque ueſtrum indignatio.

Iam ubi pater audiuit,non id,quod res erat,filium fuiſſe uenditũ, ſed quod mendacio confictũ fuerat à feris dilaniatũ occidiſſe,aureſq; ijs,quę nuntiabantur,percuſſæ ſunt, atq; oculi ſpectaculo, quod proponebatur: ueſtis enim lacerata & cõſciſa multoq; ſanguine conſperſa fuerat allata: dolore turbatus diu mutus atq; exanimis iacuit, ut caput tollere calamitate afflictus oppreſſusq; non poſſet. Tum repente tanq̃ lacrimarũ fontẽ emittens,acerbo cũ gemitu genas,& mentũ,& pectus,& ueſtimẽta proluit,atque ita locutus eſt: Non mors excruciat me,fili,ſed tumulus. Si in patria tua ſepultus eſſes,me conſolarer. Curaſſem enim te,ægrotanti eſtitiſſem,prius morienti extremos cõplexus, oſculaq; dediſſem,clauſiſſem oculos,illacrimaſſem,iuſta cumulatè ſoluiſſem, nullũ officij munus prætermiſiſſem: ſin in aliena deceſiſſes,cũ natura quod ſibi debetur,accepiſſet,dixiſſem,heus tu,triſtitiam depone, patria ad uiuos pertinet, defunctis quæ'uis terra ſepulchrũ eſt. Celerrimè moriuntur omnes homines. Lõgiſsima cuiusq; uita,ſi cũ æternitate cõparetur, breuiſsima eſt. Quòd ſi per uim atq; inſidias tibi moriendum fuit,manibus hominũ ſaltẽ interijſſes,id enim mihi leuius eſſet malũ. Etenim illi ipſi qui interfeciſſent, miſericordia cõmoti mortuo puluerem inijci, & cadauer affici ſepultura permiſiſſent. Quòd ſi fuiſſent omniũ crudeliſsimi,quid amplius potuiſſent efficere,q̃ ut inſepultũ proijcientes abirent? At in uia forte p̄tereuntium aliquis conſiſtens & ſpectans, cõmunemq; naturã miſeratus ſepeliendi curã ſuſcepiſſet. Nunc autẽ,ut audio,tæuis,atque in manibus feris conuiuium & epulum factus es,quæ te,mea uiſcera, deguſtarũt ac deuorarunt. Repentina mihi tanq̃ athletæ,nec opinata certamina proponuntur. Fruſtra tam multas calamitates expertus ſum,dum me neceſsitas captiuũ,extorrem,mercenarium eſſe cõpulit,dum inſidijs cũ ſummo uitæ periculo petitus ſum à quibus minimè oportebat. Ac multa quidẽ uidi, multa audiui,plurima ipſe nõ ferenda perpeſſus ſum, quibus ad tolerantiam eruditus non ſuccubui,nec fractus ſum.Sed hoc caſu nihil intolerabilius,quo uires animi debilitatę conciderunt.Quæ nanq; maior,aut magis cõmiſeranda calamitas eſſe poteſt?Hæc filij ueſtis mihi delata eſt patri,filij uerò nulla pars,nullum mẽbrum,nullæ ſuperſunt reliquiæ, totus omnino confectus,ac deuoratus eſt,nec 1 aſſequi potuit ſepultura.Hæc autẽ ad me nõ alia prorſus de cauſa uidetur miſſa, niſi ut doloris monumentũ eſſet,& eorũ quæ filius inaudita ſuſtinuit,mihi memoriam reno-

1 *Vides quantum crucietur ſanctus pater, quia putat filium caruiſſe ſepultura? Et tamẽ quidam noſtro*

uaret ad perpetuã miseriam ac sempiternã. Atque ille quidem eiusmodi uerbis calamitatem suam deplorabat.

tempore negligendã omnino, & nõ curandam docent.

Mercatores autẽ in Ægypto puerũ uendunt cuidã ex regis Eunuchis Quoquorũ principi. Operæpretium est autẽ, ut post narrationẽ ea, quæ ad uitã, moresq; pertinent, explicemus. Omnia enim aut certè plurima, quæ in legislatione continentur, allegorijs referta sunt. Qui igitur mos censetur, apud Hebræos quidẽ Ioseph, apud Græcos autẽ Domini additio uocatur. Quod rei expositæ aptissimè quadrat, & congruit. Etenim cũ natura omniũ ab authoritate pendeat, administrandæ Reip. ratio, quę apud populos adhibetur, additio est. Magna enim ciuitas hic orbis est, unaq; gubernandi ratione utitur, atq; una lege. Est autẽ naturæ ratio efficiens ea, quæ facienda sunt, à contrarijsq; deterrens. Quæ uerò per loca constitutę sunt ciuitates, nec numero cõprehendi queunt, & uarijs administrandi rationibus ac legibus utuntur. Nam apud alias alij uigent mores atq; instituta, quæ sibi singulæ excogitarunt, atq; addiderunt. Huius autem rei ea causa est, ꝙ separati sunt, nec uitæ societate aut cõmunitate coniuncti nõ solum Græci cũ Barbaris, aut Barbari cũ Græcis, sed ne alterutri quidẽ inter se. Ex quo fit, ut accusent ea, quæ culpa uacant, improuisas tẽpestates, frugũ inopiam, agrorũ sterilitatem, situm, quod uel maritimus sit, uel mediteraneus, uel in insula, aut continenti, & alia eiusdẽ generis, cũ uerã causam sileant, nẽpe auaritiam, mutuamq; perfidiam, quibus ab insita naturæ lege recedentes, ea, quæ cõmuniter sibi idemq; sentientibus uisa sunt expedire, leges appellauerunt. Quare singulares administrandæ Reip. rationes meritò unius illius naturalis appendices dicendæ sunt. Nam singularũ ciuitatũ leges sunt rectę naturæ rationis additamenta. Et homo ciuilis eandem rationem habet cum illo, qui ex naturæ pręscripto uiuit.

Nec à proposito alienum est, ꝙ tunicam uariam dicitur accipere. Res enim uaria & multiplex est Reip. administratio, innumerabilesq; ex personis, negotijs, causis, priuatis hospitijs, tẽporꝝ, locorumq; differentijs mutationes suscipit. Ac quemadmodum gubernator, ut prosperè nauiget, non uno tantũ modo nauẽ impellit & dirigit, sed pro ratione uentorum uelificationẽ mutat. Medicus item nõ eodẽ pacto curat ægrotos omnes, imò uerò, ne unũ quidẽ, si morbus inconstans sit, sed remissiones, incrementa, repletiones, exinanitiones, causarum mutationes considerans, omnia ad curationẽ accommodat, & modo hoc, modo illud adhibet medicamentum, sic Remp. capessentem necessariò uarium ac multiplicem esse arbitror, ut alius in pace sit, alius in bello, alius si pauci, alius si multi sibi aduersentur. paucis constanter resistat, atque occurrat, oratione blanda multitudinẽ conciliet & alloquatur. Vbi periculum adest, ei se ultrò cõmunis utilitatis causa in primis offerat. Vbi requiritur labor & officium, prompto animo alijs inseruiat. Nã quòd homo dicitur uendi, nònne qui popularem se profitetur, & è suggestu concionem alloquitur, ut quæ ue

neunt mancipia, propter honores quos uidetur accipere è libero innumerabilium dominorum seruus efficitur?

Quòd autem à fera captus introducitur, quæ immannior fera, quàm inanis gloriæ cupiditas, quæ insidias struit, corripit, coreptosq; necat, ac perdit? Porrò qui coëmerunt, etiam uendunt. Nam qui gerit Remp. non unum sed multos dominos habet; qui sibi alius post alium uicissim succedunt. Qui autem sæpius uenduntur, malorũ seruorũ more dominos mutant, cùm propter ingenij inæqualitatem, rerumque nouarum studiũ stabiles esse non possint. Ac de his quidẽ hactenus.

Adolescens in Aegyptum ductus, & apud Eunuchum dominum, ut dictum est, manens, tale paucis diebus probitatis & ingenui animi specimen dedit, ut alijs seruis præfectus sit, & totius domus procurationem acceperit. Herus enim nihil eum sine diuina prudentia aut dicere, aut facere multis iam coniecturis animaduerterat. Videbatur ille quidem ab hero procurator domus constitutus, sed reuera id egerat ipsa natura, quæ ciuitatum ei, & gentis, & magnæ regionis, imperium ambiebat. Oportebat enim, ut ad Remp. accessurus in rebus domesticis administrandis erudiretur prius, atque exerceretur. Nam ut ciuitas est magna domus, & Resp. cõmunis res familiaris, sic domus est angusta, paruaque ciuitas, & res familiaris est contracta Resp. Quamobrem constat eundem esse rei familiaris, & Reip. administratorẽ licet hæc, quæ ille ut tractet, & in quibus uersetur, subiecta sunt, inter se multitudine, ac magnitudine discrepent, ut in pingendi fingendiq; arte perspici potest. Bonus enim statuarius, aut pictor siue multa & mirandæ magnitudinis opera, siue pauca, minutaq; conficiat, eandem ostentat artem, & idem ipse est.

Sed is, qui in domus custodia ualde probabatur, ab heri coniuge impudici amoris insidijs petitur. Hæc enim cũ adolescentem pulchritudine capta deperiret, & effrenis in furias & rabiem ageretur, ipsum aduersantem, & qui eã ob innatũ pudorẽ atq; modestiam ne adire quidem audebat omnino, sermonibus amatorijs, ut secũ cõmisceretur, interpellauit. Cumq; inhonesta cupiditate magis ac magis inflãmaretur, & conflagraret, frustraq; tentanti nihil è sententia succederet, ad uim sese conuertit, adolescentemq; ueste correptum ad lectulum usque fortiter trahit, robustior effecta, quòd cupiditas, quæ imbecilliores etiam firmat, ac roborat, uires ei subministraret. At ille præsenti difficultate superior has libero atque ingenuo homine dignas emisit uoces.

Quid, inquiens, mihi uim affers? Nos Hebræorũ filij singularibus institutis ac legibus utimur. Reliquis, ubi quartumdecimũ ætatis annũ expleuerint, impunè licet, cũ scortis, & meretricibus, & omnibus, quæ corpore quæstum faciunt, sese coniungere. Apud nos autẽ & cũ meretrice uiuere nefas est, & quæ pudicitiam prostituit, morte mulctatur. Ante legitimã cũ uxore coniunctionẽ cũ alia fœmina consuetudinẽ non habemus, sed celebratis nuptijs casti ad uirgines castas accedimus, nec uoluptatẽ nobis,

sed

ſed legitimã liberorum procreationẽ proponimus. Quocirca cũ ad hanc uſq; diem me purum, integrumq́; ſeruarim, non comittam, ut leges uiolare incipiam à grauiſsimo flagitiorum omnium adulterio. Quòd ſi ante hac intemperãter uixiſſem, aut adoleſcentiæ feruore uictus, aut regionis delicias imitatus, alienũ tamen non deberem thalamum coinquinare. Quód quidẽ ſcelus quis hominũ capitale non putat? Etenim quum aliјs in rebus ſoleant inter ſe homines diſcentire, in hac ſola cõſentiũt, ut ubiq; omnes millies morte dignam exiſtiment, indictaq; cauſa deprehẽſos capientibus dedant. Tu uerò indulgentior tercium etiã facinus addis, quæ iubes non ſolum ut cõmittam adulterium, ſed dominam, & domini uxorem uiolem. Niſi forte in ueſtram domũ iccirco ueni, ut omiſsis officiјs, quæ ſeruũ exequi conuenit, uino me obruam, ebriusq; ſpem illius, à quo emptus ſum fallam, & connubium, familiã, & genus ipſius contaminẽ, præſertim cũ illũ iam non ut dominum ſolũ, ſed ut de me benemeritum obſeruare debeam, qui mihi, nulla prorſus excepta nec magna, nec parua, res ſuas omnes domeſticas præter te uxorem cõmiſit, ac tradidit. Pro quibus ego ſi quemadmodũ mones ipſum remunerabo, gregiam ſcilicet & acceptis beneficiјs dignam gratiã referam ille me dominus captiuum, & peregrinum, quod in ipſo quidem fuit, liberũ, ciuemq́; reddidit. Ego autem ſeruus domino ut peregrino, ſeruoq́; illudam? Quo'nam animo nefarium ſcelus admittam? Qua fronte illum ferreus intuebor? Conſcientia enim premens receis oculis non ſinet aſpicere. Etiam ſi cœlatum iri me ſperem, non cœlabor tamen. Innumerabiles enim ſunt, eorum, quæ occulte fiunt, exploratores, qui tacere non poſſunt. Quod ſi nemo alius id reſciret, aut reſciens efferret, egomet tum colore, tum uultu, tum uoce ab ipſa, ut pauloante dixi, conſcientia, reprehenſus me ipſum indicarem. Sed eſto, ut nullus id proferat, non'ne iuſtitiam quę Deo proxima ſedet, & omnia contuetur, metuimus ac ueremur?

Talia ille multa colligebat, ac philoſophabatur, at illa obſurduerat. Libido enim acutiores etiam ſenſus obtuſos efficit. Quod ipſe animaduertens relictis ueſtimentis in eius manibus, quibus tenebatur, aufugit. Ex quo mulier optatam occaſionẽ arripuit, qua adoleſcentem ulciſceretur. E foro enim redeunti uiro cõtinentẽ ſe & caſtam, ab impudicisq; rebus abhorrentem ſimulans, ſeruũ, inquit, Hebræũ nobis adduxiſti, qui non modò iam animum tuũ corrupit, cùm ei tam temere incõſiderateq; domum cõmiſiſti, uerũ etiam corpus meũ fœdare conatus eſt. Neq; enim nequiſsimo ac libidinoſiſsimo uitiaſſe cõſeruas ſatis fuit, niſi dominę pudicitiam attentaret, mihiq́; uitium conaretur offerre. Cuius furoris ecce tibi perſpicua manifeſtaq; indicia. Etenim cũ uim eſſet allaturus, egoq́; exclamans eorum, qui intus erant, auxilium imploraſſem, ipſe re improuiſa conteritus, ueritusq;, ne cõprehenderetur, ueſtẽ, reliquit, ſeq; in pedes, ac fugam dedit. Hanc igitur oſtendens eo ueluti teſtimonio crimina comprobabat. Quæ quidem dominus uera iudicans in carcerem conijci

hominẽ iubet, duplici se obstringens peccato grauissimo; uno, ꝙ non facta reo se defendendi potestate innocentem indicta causa tanq̃ nocentissimum condemnauit: altero ꝙ uestis, quã mulier ut ab adolescente relictã circunferebat, signum erat uis, quam nõ attulisset fœminę, sed sibi ab ea allatam effugisset. Nam ut uim attulisse coargui posset, si uestẽ dominæ retinuisset, sic eam declinasse perspicuũ ex eo fit, ꝙ propriam sibi detractam reliquit. Sed magna hominis imperitia fortè potest excusari, quippe qui sanguine, fumo, cinere oppletus in coquina uitam transegerit, ut rationis tempus in se quiescens expectare non posset, cui non minus q̃ corpus, animus ipse sordesceret.

Tres iam ciuilis hominis formas expressimus, pastoralem, domesticã, & in modestia, ac tolerantia constitutam. Ac de duabus quidem prioribus dictum est. Tertia autem non minus, q̃ illæ Reip. conuenit. Etenim cũ temperantia in omni uita conducat, præcipuè tamen, ut facile cuiuis, ac promptũ est intelligere, utilis, & salutaris est ciuitatibus. Quis enim calamitates ignorat, quæ terra, mariq; gentibus, regionibus, & omnibus orbis partibus ex intemperantia contigerunt? Ex bellis enim plurima & maxima propter amores & adulteria, & fœminarũ dolos gesta sunt, quibus amplissima atq; optima tam Græcorũ q̃ Barbarorũ pars euersa est, & flos ciuitatum concidit. Quapropter si ex incontinentia atq; intemperantia seditiones, intestina bella, aliaq; ĩnumerabilia mala proficiscuntur non est dubium, quin ex continentia, temperantiaq; consurgat optimus Reip. status, & pax, & perfectorum bonorum fructus & copia. Quæ cũ ita sint, non alienũ erit, ut quæ per hæc significantur, ordine declaremus.

Qui damnatũ emit, eunuchus meritò dicitur. Nam populus, qui ciuilem hominẽ mercatur, uerè est eunuchus, cũ membra ad gignendũ apta habere uideatur, sed gignendi careat facultate, non secus, atq; illi, qui cæci sunt, cũ oculos habeant, oculorum tamen munere fungi, atq; intueri non possunt. Quæ igitur est Eunuchi cũ populo similitudo? ea nimirũ, quòd cũ sapientiæ sit expers, uirtutis tamen studiosus uidetur. Quando enim omnium ordinũ multitudo unum in locũ conuenit, æqua, honestaq; loquitur, sed contraria sentit & facit, pro ueris germanisq; adulterina & falsa suscipiens. Quoniã opinionis errore uicta non curat ea, quæ uerè honesta sunt. Quapropter eunuchus iste, quod absurdissimũ est, uxorem etiam habet. Nam ut maritus coniugem, sic populus cupiditatẽ amplectitur, eiusq; causa cuncta dicit, & agit. Cum illa dicenda, tacenda, magna, paruaq; cõmunicat, ea uerò, quæ dictat ratio, minimè solet attẽdere.

Iam quod princeps quoquorũ sit, sanè q̃ appositũ est. Quemadmodum enim quoquus non nisi ĩmoderatas & superuacaneas uentris uoluptates curat, sic etiam populus aurium oblectationes & delicias aucupatur, quibus mẽtis robur frangitur, & animi nerui quodãmodo soluuntur. Quis autem ignorat, quid inter medicos & quoquos intersit? Illi, quę salubria sunt, licet suauia non sint, omni studio parant: Hi contra neglectis

utilibus iucunda curant. Medicorum in populo similes sunt leges, quiq; ex legũ præceptis præsunt integri Senatores & iudices, & ad comunẽ salutem atq; utilitatẽ omnes suas curas cogitationesq; referunt: Quoquorum autem frequentes Iuniorum congressus, quibus curæ est, non quod ipsis expediat, sed quod præsentem afferat uoluptatẽ. Sed cupiditas tanq̃ lasciua fœmina ciuilis hominis amore capta sic eum alloquitur. Heus tu, quo tecũ consuetudinem habeam, cũ populum adis, mores tuos, instituta, sermones, actiones, ĩ quibus enutritus es, obliuiscere, mihi obtempera, me obserua, fac omnia, quæ mihi uoluptati esse iudicas. Eos enim qui acerbos, constantes, ueritatis studiosos, iustitiæq; amãtes se præbẽt, quiq; superbia & grauitate in omnibus utuntur actionibus, qui nemini ulla in re cedunt, qui utilitati tantũmodo semper consulunt, nec auditorũ auribus seruiunt, non fero, Quamobrem innumerabilia in te crimina apud maritum meum dominũ tuũ conijciam. Ad hanc diem te, cũ seruus sis, ut liberũ, dominiq; tyrannũ gesisti, nec dñm prorsus mihi uideris agnoscere. Nam si meminisses, non esse serui, sed liberi, pro arbitratu suo agere, quæ quisq; uelit, didicisses deposita pertinacia me domini tui coniugem cupiditatem suspicere, & obseruare, atque omnia facere, quæ mihi grata, iucundaq; essent, ex quibus maximè probari posses. Hæc illa.

At qui uerè ciuis est bonus non ignorat summam populum habere potestatem, neq; se tamẽ seruum, sed liberũ profitetur. Itaq; quid animo sentiat, explicans, sic respondebit: Ego populũ fallere nec didici unq̃, nec studui Reip. gubernacula, administrationemq; suscepi, in hac me integrè, sincereq;, sine simulatione, cui sum inimicus, ut bonum procuratorẽ, & beneuolum patrẽ præstabo. Quamobrem cũ ita animo affectus sim, non uerebor explicare, quod sentio, nec occultabo quicquã, ut fures solent, sed animi sensum exponam tanq̃ in sole & luce, Lux enim est ueritas. Nihil eorum, quæ mihi ad terrorem proponuntur, formidabo, licet mors etiam sit oppetenda, malum enim morte grauius simulationẽ existimo, quam effugiendæ mortis gratia nunquã subibo. Quòd si populus est dominus, non iccircò sum ego seruus, cũ patria nobilis sim, ut si quis alius. Amplissimæ enim atq; optimæ huius ce mundi Reip. me ciuẽ numerari uolo. Etenim cũ me nec munera moueant, nec suasiones, nec dignitatũ amor, nec imperij studium, nec arrogantia, nec gloriæ desideriũ, nec libido, nec ignauia, nec iniustitia, nec quicquã aliud, quod ulli perturbationi aut uitio subiectum sit, cuius dominationẽ extimescam? At hi se corporis tui dominos affirmant. Id nihil ad me. Ego enim ex mente, quæ in me præstantior est pars, pendeo, ad cuius normam uitam agere consti tui, parui faciens mortale corpus, quod mihi tanq̃ conchilio adnatũ, atq; circundatum, si diuexetur, & qui intus sunt domini dominæq; difficiles, dissoluantur, non feram iniquo animo, me necessitatẽ grauissimam euasisse. Proinde si dicendũ est ius, id faciam, neq; diuiti fauens opibus ipsius allectus, nec pauperi misericordia motus propter eius calamitatem, sed

oculos ad reorũ dignitatẽ atq; habitum occludẽs, sine fraude quod iustũ uidebitur, pronuntiabo. In deliberationibus proponam, quæ Reip. conducẽt, licet minus afferant uoluptatis. Si concionabor, assentationes aliȷs relinquens, salutari atq; utili utar oratione, increpans, monens, castigans, adhibita non furiosa & præcipiti obstinatione, sed modesta, ac sobria dicendi libertate. Si quis autẽ melioribus consiliȷs offenditur, is parentibus etiam succenseat, & tutoribus, & magistris, & cũctis procuratoribus, qm̃ & liberos, & pupillos, & discipulos reprehendunt, & nonnunq̃ etiam uerberant, quos impium est maledictis uexare & cõtumeliȷs afficere, pium uerò omni amoris & beneuolentiæ significatione colere, atq; obseruare. Turpe enim esset, me ciuem, cui Reip. procuratio mandata est, cũ de ipsius cõmodis agitur, deteriorẽ esse illis hominibus, qui medicam artẽ profitentur. Siquidẽ hi nec fortunarũ splendorem, nec generis nobilitatẽ, nec diuitiarum copias considerant in ægrotante, nec ꝙ sit omnium illius temporis regum aut principũ gloriosissimus, sed illud solũ totis uiribus curant, ut morbũ expellant. Quòd si res ferrũ aut ignem postulet, principem, & dñm subditus & seruus incidere, atq; urere nõ ueretur. Ego uerò qui nõ unum hominẽ curandum suscepi, sed ciuitatẽ uniuersam grauissimis laborantẽ morbis, quos insitæ cupiditates inuexerunt, quid'nam faciam? omissis'ne medicamentis, quæ cunctis cõmuniter prosint, huius aut illius aures illiberali planeq; seruili adulatione demulcebo? Mortem potius oppetã, q̃ ad uoluptatẽ aliquid loquar, uerũ occultans, & quod expedit negligens. Ad hæc tragicus ille, afferte, inquiet, ignẽ, afferte gladiũ, concidite atq; cõburite carnes istius. Tu uerò sitim exple, meumq; sanguinẽ nigrũ bibe. Citius enim astra subsidẽt inferius terra, terraq; super astra feretur sublimis, q̃ à me tibi assentationis poculum misceatur. Tam præstanti igitur animo præditũ, uoluptate, metu, dolore, cupiditate, omnibus deniq; perturbationibus uacuum ciuẽ populus, qui dominus est, ferre nõ potest. Itaq; comprehensum tanq̃ aduersariũ punit, dumq; putat inimicũ ulcisci, maximo omnium se ipse supplicio afficit, qm̃ in errore atq; ignorantia relictus non emendatur, nec imperio parere discit, qđ honestissimũ, & fructuosissimum est, imperandiq; peritiam parit. Verũ cũ & de his satis iam dixerimus, ea, quæ sunt consecuta, uideamus.

Accusatus igitur adolescens apud dñm ab amatrice fœmina confingente in eum crimina, quibus ipsa tenebatur, nec ulla defendẽdi data potestate in carcerẽ abducitur. Vbi tantã uirtutis magnitudinẽ præsetulit, ut qui illic erant inclusi homines scelestissimi eum suspicientes & admirantes, calamitatum subleuatorẽ, liberatoremq; se crederent inuenisse. Quãta autẽ inhumanitate sæuitiaq; referti sint carcerum custodes, quis est, qui nesciat? Etenim cũ naturã immitem habeant, eam exercitatione quotidie magis efferatam, & crudelẽ efficiunt, quippe qui nihil benignũ aut mansuetum, sed omnia uiolenta, acerbaq; uideant, loquantur, & faciant. Quemadmodum enim qui bene compactis ac firmis corporibus

sunt,

bunt, si artis etiam adiunxerint adiumenta, uim, ac firmitatē illā ita corroborant, ut ei resisti nō posit, sic qui natura īmani, ac feris moribus est, si feritatē illam exercitatione cumularit, bifariā excludit misericordiam, quę una affectio ab animo benigno mansuetoq; prouenit. Ac quemadmodum qui cū bonis, probatisque uiris uersantur, moribus & uita meliores fiunt, si eorū consuetudine delectantur, ita qui cū improbis, & sceleratis hominibus uitam agunt, flagitia & uitia illorū imitantur, consuetudo enim ad naturæ similitudinē impellit. Versantur aūt carcerum custodes cum crassatoribus, furibus, effractoribus, maledicis, uirginum uiolatoribus, sacrilegis, adulteris, quorū è singulis aliquid nequitię contrahunt, & mutuantur, ex eaque colluuie cōmixtam & omnibus partibus absolutam improbitatem conficiunt.

Ille carceris custos erat eiusmodi, sed adolescentis tamen probitate mitigatus, non modo omni eū metu & cura solutum & liberum esse uoluit, uerum etiā imperij in eos, qui in custodia uincti seruabantur ita participem fecit, ut nomine duntaxat ad speciē esset custos carceris, re autē uera adolescentis arbitrio cuncta committeret. Ex quo multa perueniebāt cōmoda ad eos, qui in carcerē conijciebantur. Itaque locum illū non carcerem amplius, sed modestiæ & temperantiæ custodiam appellandum existimabant. Tormentorū.n.& cruciatuū loco, quibus uapulantes uinculis constricti, & nihil non mali perpetientes afficiuntur, philosophiæ monitis, atq; pręceptis, & quę omni oratione sunt potiores, ipsius doctoris actionibus instituebantur. Vitam.n.suam tanq; fabrefactum cōtinentiæ & uirtutū omnium exēplar proponens homines ēt planè perditos ac desperatos ad resipiscendū excitabat, quos improbantes ea, quæ cōmiserant, pœnitebat. A' diuturnis aūt animi morbis recreati loquebantur in hunc modū: Vbinam olim latuit tantū bonū, quo initio caruimus? Ecce enī ipso elucēte tanq; speculo deformitatē nostrā ītuētes erubescebamus.

Dum igitur hoc illi modo meliores fiunt, adducuntur duo Regis eunuchi, alter pincernarū, alter pistorū magister, quorū uterq;, q in suo munere deliquisset, accusatus, damnatusq; fuerat. Hos ille non minus, q̃ cęteros curabat, optans, ut, qui sibi cōmittebantur, quantū efficere poterat, tales redderentur, ut innocentibus nihilo deteriores essent. Verū cùm eos, qui in carcere erant, non multo post inuiseret, eunuchos cogitabundos & solito tristiores deprehendit, cumq; ex magna ipsorū mœstitia conijceret eis noui quippiā accidisse, percontatus est tristitiæ causam. respondentibus aūt, se somnia uidisse, eoq; mœstos ac sollicitos esse, quod illorū interpretē non haberent, bono, inquit, animo este, & somnia enarrate, fient.n. uolente Deo perspicua. Vult aūt, ut quæ sunt obscura & tenebris inuoluta, ueritatis amantibus aperiantur & pateant. Tum pincernarū magister prior uidebar, inquit, uidere magnā uitē, cuius è pulcherrima stirpe tres propagines enascebantur, hæc cū floruisset, racemos, tanq; autūnus ipse uigeret, producebat, ego uerò maturescente uua racemos carpebā,

& in regium calicẽ exprimebã, eumq; mero cõmodè plenũ offerebã Regi. Ad hæc ille paulisper cunctatus, fausta, inquit, uisum denuntiat, teque in pristinũ, dignitatis gradum restitutũ iri. Tres nanq; uitis propagines tres significant dies, quibus transactis Rex tui recordabitur, atq; hinc eductο ueniam dabit, Itaq; muneri atq; ordini restitutus & confirmatus pocula Dño miscebis ac ministrabis. His ille auditis lætabatur.

Tũ magister pistorꝝ interpretationẽ admiratus, tanq; ipse quoq; fortunatũ somniũ inspexisset, quod tamen non mediocriter infaustũ erat, bona deceptus alterius spe, at ego, inquit, uidebar tria canistra bellariorũ capiti imposita gestare, quorꝝ summũ omne genus eorꝝ, quibus Rex uescitur, continebat, erant aũt cibaria pro uictu regio uariè ac diligenter elaborata, sed uolucres aduolantes è capite rapiebant, nec prius edere atque explere se desistebant, q; omnia cõsumerentur, & eorꝝ quæ tam bene instructa erant, nullæ reliquię superessent. Ad hęc ille, uellem, inquit, istud tibi uisum non contigisse, aut te illud silentio inuoluisse, aut certè siquis narraret, me tam procul abfuisse, ut aures meę narrationẽ exaudire non possent. Mala.n. inuitus pręnuntio. Quoniã me cogit humanitas, ut ex aliorꝝ calamitatibus non minus ipse molestię dolorisq; percipiã, q; illi ipsi, qui in eis uersantur. Verũ qa somniorũ interpretes esse ueridicos oportet, cũ diuina responsa explicent, atq; declarent, nihil dissimulans, dicã. Nam cũ omnibus in rebus mendaciũ fugere optimũ est, tum in oraculis maximè piũ. Tria canistra triũ dierum significationẽ habent, qbus pręteritis te suspendi iubebit Rex & obtruncari, uolucres aũt aduolantes comedent carnes tuas, quoad totus absumaris. His ille confusus, ut uerisimile est, refugit, animoq; excruciatus pręfinitũ responsi diem expectauit.

Cũ igitur tres dies pertransissent, illuxit dies natalis Regis, quẽ diem omnis regionis populus celebrabat, pręcipueq; illi, qui in aula uersabantur. Quare cũ magistratus, & familiares tanquã in publico conuiuio sese oblectarent, Rex, eunuchorũ, qui in carcere erant, recordatus, ad se ut ducerentur, imperauit, adductosq; conspicatus ea, quę ex somniorũ interpretatione pręnuntiata fuerant, perfecit, & confirmauit, iubens ut alter ageretur in crucẽ, eiq; caput absciнderetur, alter munere qđ ante habuerat iterũ fungeretur. Pincernarũ igitur princeps Regi reconciliatus, eius qui sibi reditũ in gratiã pręd ixerat, omnesq; suas calamitates subleuarat, oblitus est. uel quoniã omnes ingrati eorũ, qui de se benemeriti sunt, obliuiscuntur; uel quia sic placuit prouidentię Dei, qui nolebat, ut adolescenti per alium magis, q; per se prospera euenirent.

Post bienniũ.n. & bona, & mala, quę regioni euentura erant, in quiete Regi duobus uisis idẽ confirmandę fidei gratia significantibus diuinitus ostenduntur. Videbatur.n. sibi intueri septẽ boues è fluuio egredi pingues & perq; obesas, aspectuq; pulchras, & propter fluminis ripas pasci. Post has aũt, alteras totidẽ numero, graciles, macieq; confectas, & aridas, atq; deformes ascendentes cõpascere. Repentè uerò meliores illas deuo-

rari ab his deterioribus. Quę tñ ob id ne minimo quidẽ tumore uentres auxisse, sed eos potius contraxisse uidebantur. Experrectus aũt cùm rursum obdormisset, altero uiso cõmotus est. Existimabat.n.se uidere septẽ frumenti spicas ex uno culmo consurgere, augeriq; & florere, atq; in altitudinẽ ualde firmas tolli. Deinde alteras septẽ tenues & imbecilles prope illas nasci, quę irruentes culmũ spicis fœcundũ consumpserunt. post hoc uisum reliquã noctis partẽ insomnẽ duxit. Sollicitudines.n.eum pungentes ac stimulantes somnũ capere non permittebant. Quare summo mane sapientes conuocat, & somniũ narrat. cuius uerã significationẽ cũ nullus eorũ inuestigare & cõiecturis assequi posset, pincernarũ princeps in mediũ prodiens, spero, inquit, Dñe, uirũ, quem desideras inuentũ iri. Iusseras me & pistorũ pręfectum ita cõmeritos in carcerẽ trudi. Ibi quoquorũ magistri seruus erat Hebręus quidã, cui quę nobis in quiete per uisum apparuerant, exposuimus. Ipse uerò tam aptã & accõmodatã protulit interpretationẽ, ut quicquid ille pręxit, utriq; cõtigerit. Nam supplicitũ ei, mihi aũt ex benignitate tua reditũ in gratiã prænuntiauit.

Hæc audiens Rex iuuenem celerrimè adduci iube. Qui aũt iusi fuerant, capillũ ei, & barbã totonderunt, prolixius.n.in carcere excreuerant, & pro sordido splendidis indutũ uestimentis, & alijs rebus exornatũ ad Regem introduxerunt. Qui ex aspectu hominẽ ingenuũ & nobilẽ esse coniiciens; insunt.n.in corporibus quędã notę non omnibus tñ perspicuę, sed illis dũtaxat, qui perspicaci mentis oculo pręditi sunt, ex quibus qualis quisq; sit, intelligit; somnia, inqt, nostra, ut pręsagit mihi aĩus, nõ perpetuis ignorationis tenebris obuoluentur. Pręsefert hic iuuenis specimen sapientię, qua ueritatem aperiet, & tanq̃ luce tenebras, sic scientia sua discutiet nostrorũ sapientiũ inscitiã. Tunc proposuit somnia. Ille uerò dicentis dignitate minimè territus, sed tanq̃ Rex cũ subdito, non aũt subditus cum Rege fidenter simul & uerecundè loquebatur, quęcunq̃, inquiens, in hac regione facturus est Deus, pręsignificauit tibi. Gemina aũt uisa ne credas esse duo diuersa somnia, unũ.n.est, sed repetitũ, nec frustra tñ, sed quo res facilius fidẽ inueniat, iudicio duplici confirmata. Septẽ enim pingues boues, septemq; lętę ac florentes spicę, septẽ fertilitatis atq; ubertatis annos declarant. Septem aũt alteros penurię ac famis significãt septẽ illæ boues posteriores graciles, fœdę, macieq; consumptę, itemq; septem tenues, corruptę, afflictęq; spicę. Veniet ergo septenniũ, quod ingentẽ fructuũ copiam afferet. Tunc.n.flumen singulis annis exundans, agros tam pingues ac fertiles reddet, ut nulla unquã maior ubertas fuerit. Sequetur deinde septenniũ alterũ, priori contrariũ, qđ grauem rerũ necessariarũ inopiam & penuriã importabit. Etenim flumen ex alueo non egredietur, nec agros lętos & pingues efficiet, Ex quo pręteritę fertilitatis memoria obliterabitur, & siquid ex superiore ubertate & copia reliquũ fuerit, consumetur.

Succinit aũt mihi quiddã & eloquitur Deus, subijciens tanq̃ in mor-

bo remediũ salutare. Grauissimus.n.ciuitatũ & regionũ morbus est fames, quę ut imbecilla & infirma reddatur, curandũ est, ne planè corroborata habitatores deuoret & aboleat, Sed quõ ĩfirmabitur? Quicquid fructuũ ex septẽ annorũ ubertate pręter necessaria populorũ alimenta superit, id aũt erit ferè quinta pars, in oppidis & uicis condetur. Nec oportebit longius eos transferre, sed ad incolarũ solatiũ, eisdẽ in locis seruare, ubi collecti fuerint. Cõportabuntur aũt cum ipsis manipulis anteꝗ terantur, aut excernãtur omnino quatuor ob causas. primũ quia sic operti diutius manent incorrupti. Deinde ut quotannis terentibus & uentilãtibus memoria fertilitatis seruetur. Rerũ.n.uerarũ similitudo proximã illis uoluptatem affert. tertio loco, ne despõdeant animos anteꝗ collecti fructus absumantur, sed æquo tranquilloq; animo sint, quę quidem tranquillitas magis sustentat, ꝗ ipse cibus. Spes.n.in primis alit, grauemq; ex inopia morbũ leuat. Postremò ut reliquis etiã animalibus pabulũ suppetat ex paleis & quisquilijs, quę in ipsa tritura relinquuntur. Harũ igitur rerũ qui curam gerat, constituendus est uir prudentissimus, ac solertissimus, & planè probatus, qui ad ea, quæ dicta sunt, sine odio & reprehẽsione rectè paranda & conficienda sit idoneus, nec ullam populis euenturę famis suspicionẽ cõmoueat. Graue.n.periculũ esset, ne animis ante defatigati in desperationẽ inciderent. Quòd si quis causam exquisierit, respondendũ erit, quemadmodũ in pace parantur, quę bello sunt necessaria, sic in ubertate & copia, penurię famisque difficultatibus oportere cõsulere. Incerta aũt esse, ut belli, sic famis tempora, & ex improuiso prorsus euenire. proinde non expectandũ, ut accidant, ac tum demũ conquirenda subsidia, cũ inutilia sunt, sed occurrendum illis esse, & ante prouidendũ, necessariò.

Audiens Rex & somniorũ interpretationem scitè & rectè ad ueritatẽ ipsam pertingentem, & cõsilium, ut uidebatur, ex prouidentia futuri euentus incerti, maximè utile, eos, qui conuenerant, propius iussit accedere, ne audiret, &, inueniemus ne, inquit, ò uiri, talem hominẽ, qui diuinũ in se spiritum habeat? collaudantibus autem illis & comprobantibus, astantẽ ipsum aspiciens, in propinquo, inquit, est, ut eũ, quẽ mones requiramus, Haud procul abest sapiens & prudens ille, quem ex consilio tuo debemus eligere, nam tu ille ipse es, neque enim sine diuino numine mihi uideris hæc loqui. Vade, familiæ meæ procurationẽ suscipito, & Aegypti totius esto gubernator. Nullus autem facilitatẽ meã accusabit, cũ in hac re me ipse non amem, quod quidẽ uitium curari uix potest. Etenim nec ad magna, præclaraque ingenia probanda longũ temporis spatium requiritur, quippe quæ uirtutẽ statim explicant suam, qua sine mora cogimur ea cõplecti atque diligere: nec ipsa res patitur cunctationem, cũ tẽpora nos ad necessarios apparatus urgeant. Tũ Regi uicariũ, aut, si uerũ dicendũ est, Regem ipsum constituit. Nomen enim imperij reseruans sibi, administrationẽ illi concessit, & omnia alia tribuit, quę ad honorem iuuenis pertinerent. Nã & annulũ regium, & sacram uestẽ, & monile au

reũ

reũ dedit, iuſsitq́ue ut in ſecundũ aſcendẽs currũ per ciuitatẽ ueheretur, præcedente prçcone, & dignitatẽ ipſius ignorãtibus diuulgante. Ex ſomniorum autem iuterpretatione mutauit illi nomen, & patria eũ lingua appellauit, filiamq; ſacerdotis ſolis lectiſsimã uirginẽ in Aegyptoque nobiliſsimã deſpondit.

Hæc geſta ſunt, cũ ætatis annũ circiter trigeſimum ageret. Tales ſortiuntur euentus homines pij, licet enim affligantur, non in perpetuum iacent, ſed exurgentes eriguntur, & tam ſtabili ac firmo collocãtur in ſtatu, ut amplius cadere aut labefactari non poſsint. Quiſnã ſperaſſet, ut uno die fieret è ſeruo dominus? & carceris loco, ſummã aſſequeretur dignitatem? ut ꝓ miniſtro cuſtodis carcerũ, Regis prouinciarũ rector crearetur? ut regiam pro carcere gubernaret? & pro ſummis ignominijs primos honorũ gradus obtineret? Attamen hæc euenerũt, & ſçpe, cũ Deus uoluerit, ſunt euentura. Subſit modò in animis una aliqua uirtutis & probitatis ſcintilla, ea neceſſe eſt aliquando excitetur & luceat.

Verùm, quoniã ea, quæ narramus, ad uitam, moresq́; referre propoſitum eſt, de his etiam aliquid, quod alienũ non ſit, dicemus. Ac tametſi, quiſpiam fortaſſe leuior è uulgo hæc audiens irridebit, ego tamen audacter affirmabo, uirũ ciuilẽ omnino ſomniorum interpretem eſſe oportere, non ex numero circulatorum, qui nugas, & mendacia pretio uendũt, ut ex eorũ, quę in ſomnis apparent, interpretatione corrogandę pecunię occaſionem arripiant, ſed qui cõmune, & uulgare, magnũq́ue ſomnium non dormientiũ modò ſed uigilantiũ diligenter conſiderant, & interpretantur. Hoc autẽ ſomniũ, ut quę à mẽdacio ſunt remotiſsima, dicamus, eſt hominũ uita. Quemadmodũ enim ſomniantibus accidit, ut uidentes non uideamus, & audientes non audiamus, & guſtantes tangenteſue nec guſtemus, nec tangamus, loquentes nihil dicamus, deambulantes minimè moueamur, & reliquis motibus, & actionibus nobis uti uideamur, nec utamur tamen, cũ illa omnia ſint inania, nec in ulla hæreant ſubiecta materia, ueritasq; duntaxat imaginẽ & ſimulachrum quoddã adũbret eorꝝ, quæ uerè non ſunt, ſic uigilantes in opinionibus ſomniorꝝ ſimilibus uerſamur. Venerunt; receſſerunt; apparuerunt, euanuerunt, priuſquam planè caperentur, auolarunt. Rem expendat unuſquiſque, & domi ſecũ exploret, nec argumentis noſtris indigebit, pręſertim ſi iã ętate prouectus ſit. Is enim aliquando infans fuit, deinde puer, poſt pubes, tũ adoleſcens, poſtea iuuenis, mox uir, poſtremò ſenex. Sed nõ ſimul hęc omnia. Necp.n. infans in puero ſubſtitit, nec puer in pubere, nec pubes in adoleſcente, nec adoleſcens in iuuene, nec iuuenis in uiro, nec uir in ſene, nec ſenex in morte. forte autem, forte, inquam, unaquęque ętas robore cedens ętati ſuccedenti prius moritur, atque ita nos ſenſim natura docet, ne mortẽ in ſumma formidemus, cũ eam in ſingulis partibus tam facile tulerimus. Nã & infantię, & pueritię, & pubertatis, & adoleſcẽtię, & uirilis ętatis mortẽ obiuimus, earũ enim nulla iam adeſt adueniente ſenectute.

Quid? illa quæ ad corpus pertinent, nónne sunt somnia? forma quidē uno die permanet, & marcescit antequā floreat. Valetudo instabilis propter multa mala, quę illi struunt insidias, robur innumerabiles ob causas morbis obnoxium, sensuum integritas minimè firma, cū breui temporis momento euertatur, incertā uerò rerū externarum conditionem quis ignorat? Sępenumerò homines ditissimi uno die decoxerunt. Qui ad sūmos maximarum dignitatū gradus ascenderant, ad infimos obscurissimi deciderunt. Amplissima Regum imperia perleui temporū inclinatione sunt euersa. Testatur hoc Dionysius ille Corinthi, qui cū in Sicilia rerum potiretur, amisso principatu Corinthū exul profugit, ibíque ex tāto principe literator effectus ludum aperuit. Accedit etiam testis Regum opulentissimus Cræsus, qui se Persarū imperium euersurū sperans, non solū amisit suū, sed cū uiuus uenisset in hostiū potestatē, haud procul fuit, ut combureretur. Somniorū testes sunt non singuli homines tantū, sed ciuitates, gentes, regiones, gręcia, barbaries, qui in continenti, qui in insulis habitant, Europa, Asia, occidens, oriens. Nihil denique cōmemorari potest, quod in eodem statu permanserit. Omnia prorsus conuersionū, cōmutationūque uicissitudines senserunt. Aegyptus, quę multis olim gentibus imperabat nunc est in seruitute. Macedones ad tēpus adeò floruerunt, ut totius orbis imperiū attingerent, nunc autē coactoribus annuā sibi à Dominis īposita pēdunt uectigalia. Vbínā illa Ptolemœorū domus, ubi singulorū successorū splendor, qui ad extremos usque terrę, marisque terminos elucebat? Vbi libertas gentiū, & ciuitatū, quę proprijs legibus utebantur? Vbi contra subditorū seruitutes? Nònne Persę Parthis imperabant? at Parthi nunc īperant Persis. Propter humanarū rerum cōuersiones, uariasque tanꝗ in ludo talorum cōmutationes, diuturnas & immensas sibi quidā fingunt prosperitates, sed eas ingentiū malorū causas inueniunt, & festinantes tanquā ad bonoꝝ hæreditatem, in graues calamitates incurrunt.

Alijs rursus, qui res aduersas expectabant secundissimæ contigerunt. Athletæ, qui uiribus, robore, & corporis firmitate confisi certam animo & spe uictoriam præceperant, sæpe uel certamine, exclusi sunt, quòd nō probarentur, uel in certamen admissi fuerunt uicti. Alij uerò, qui ne secūda quidem præmia se consecuturos sperabant, prima coronati perceperunt. Aestate quidā soluentes, quo tēpore prospera solet esse nauigatio, naufragiū fecerunt. Hyeme naufragiū expectantes alij, in portū sine periculo aduecti sunt. Tanquā ad certa compendia nonnulli contendunt mercatores, & iacturas inopinatas offendunt. E contrario se detrimentū accepturos quidā metuunt, & emolumēta magna consequuntur. Adeò in alterutrā partem incerta est fortuna, humanæq; res tanquā in trutina inæqualibus examinatę pōderibus sursum deorsum feruntur, & magna in obscuritate multis inuolutæ tenebris detinent̄. Nos antē quasi ꝓfundo oppresi somno oberramus, & rōnis ui nihil assequi possumus, nihil cer-

tũ aut firmũ cõprehendere. Nã oĩa sunt umbris, uisisq; similia, & tanq; in põpis prima quæq; prætereuntia nostros oculos fugiunt. Et quemadmodũ torrentiũ fluctus tanta celeritate concitati pertranseunt, ut apprehendi nequeant, sic in hac uita res feruntur, atque prætereunt. Videntur illæ quidem consistere, Verum ne puncto quidem temporis manent, sed assiduè subtrahuntur & fluunt. Qui autẽ uigilant, cũ nihil à dormientibus differant, quantũ quidem ad certã pertinet rerũ comprehensionem, tamen se ipsos decipientes earũ naturam se existimant posse non errantibus rationibus intueri, cũ nullus sensuum sit, quod non afferat impedimẽtũ. Corrũpuntur enim succorũ spectaculis, & humorũ proprietatibus, ad quæ declinantes totũ etiam animũ secũ trahunt, ac deprimunt, nec permittunt ut excitetur & rectus sine errore per publicã quasi uiã incedat. Deinde quæ sublimia simul atque humilia, quæ magna atque eadẽ parua, & alia denique omnia, quæ ex inæquabili discordique uarietate permixta concretaque sunt, hallucinari cogunt, magnãque oculorũ uertiginem, ac tenebras afferunt.

Cùm tanta igitur perturbatione, confusioneque & obscuritate plena sit uita, oportet, ut somniorũ interpres accedens tanquã sapiens in ea interpretandi facultate, quæ de die somnia & uisa ĳs, qui uidentur uigilare, contingunt, diiudicet, & uerisimilibus coniecturis, ac probabilibus argumentis de unoquoque disputet. Hoc, inquiẽs, honestũ est, illud turpe. Hoc bonũ, malũ illud. Hoc iustum, illud iniustũ, & reliqua eodem modo. Hoc prudens, forte, religiosum, piũ, utile, cõmodum, contrà Illud inutile, inconsideratum, ignauũ, impiũ, nefarium, incõmodũ, & se nimiũ amantis. Præterea illud alienũ est? ne concupiscas. Hoc tuũ? utere, ne abutaris. Diuitĳs abundas? eas cõmunica, atque impartire. Diuitiarũ enim decus non in sacculis & arca, sed in fouendis ac subleuandis pauperibus splẽdet. Pauca possides? ne inuideas locupletibus. Nullus enim inuidum pauperẽ miserabitur. Gloria & honoribus præstas? ne tibi placeas, neque efferaris. Aduersatur fortuna? ne concidat animus. Omnia è sententia prosperè succedunt? uicissitudinẽ time. Multis affectus es damnis? meliora spera. Rerũ enim humanarum in contraria fiunt cõmutationes. Sol, luna, & cęlum uniuersum certũ ac manifestum splendorẽ habent, quoniã in ipsis cuncta similia, & ad ueritatis regulã ordine, harmonia, cõcentuque optimo dimensa manent. Quæ autem terrena sunt, multa confusione, perturbationeque referta nullũ concentum, nullã retinẽt harmoniam, ut uerissimè dici possit, Hæc ꝓfundam obscuritatẽ occupasse, illa uerò in luce nitidissima ferri, imò uero ipsa esse uerissimam atq; purissimam lucem.

Si quis igitur uoluerit res introspicere, reperiet cœlũ esse diem sempiternum, ab omni nocte atque umbra remotissimũ, quippe quod puris, illis, quæ nunquã extinguntur, luminibus circumsplendeat. Quantum autem apud nos uigilantes à dormientibus, tantum in mundo cœlestia à terrestribus discrepant. Cęlestia semper uigilant, quorum actiones cer-

tæ,perpetuę,atque in omnibus perfectæ ſunt. Terreſtria ſomno detinentur,ac tametſi parumper excitantur, rurſus tamen deprimuntur,& dormiunt.Cũ nihil eorum ſit,quod rectè poſsit animo perſpicere,quin aberret,& hallucinet.Falſis enim opinionibus tanq̃ tenebris obſcuratus, atq; obrutus ſomniare cogitur,atque ita à rebus excluſus nihil firmè concipere,aut bene cognitum & exploratum habere poteſt.

Nec illud ſignificatione caret,quòd in ſecundum ex regijs curribus aſcendere dicitur.Ciuilis enim uir ſecundas poſt Regem partes obtinet. Nam neque priuatus,nec Rex eſt,ſed utrique finitimus, priuato quidẽ ſuperior,ſed inferior Rege,qui iure ſuo regnum obtinet,Regis enim loco populum habet, pro quo bona fide,ac ſine dolo cuncta, ut antediximus,gerit. Fertur autem tanq̃ curru biiugi,rerum geſtarum gloria, & populari ſtudio in ſublime prouectus,præſertim cum tã magna, q̃ parua cedunt è ſententia,nihil aduerſante fortuna,ſed omnia Deo ut in ſecũda nauigatione ad ſalutem ſubminiſtrante.Annulus autem à Rege traditus eſt fidei ſignum clariſsimum,quam & Rex populus habet ciuili uiro,& uir ciuilis regnanti populo. Aureus uerò torques, qui collum eius exornat,uidetur ſignificare gloriã & animaduerſionẽ.Quando enim in Rep.adminiſtranda cuncta proſperè ſuccedunt,honore, authoritateque excellit apud populũ,at ſi aduerſo quopiã caſu aliquid offenſum fuerit, etſi culpã eius rei fortuna ſuſtineat, ideoq; uenia dignus ſit,tamen is nihilo ſecius eo colli ornamento deorſum trahitur & affligitur,cùm populus id ſolùm dicat,ego torquẽ iſtum largitus ſum tibi, qui & ornaret te, ſi res meæ bene & feliciter gererentur,& ſi contra,ſtrangularet.

Audiui tamen & alia ratione locum hunc,magiſque ad mores accõmodata diligenter explicari.Dicunt enim corporeæ regionis in ſingulis hominibus animũ eſſe principẽ,à quo tanquã à Rege corporis ſtudioſo pendet imperiũ.Tria ſunt aũt,quæ maxima cura paranda ſunt, panis, obſonium,potus.Ad hęc conficienda tribus etiã miniſtris utitur,uno piſtorꝝ,altero pincernarũ, tertio quoquorꝝ præfecto.Primus enim eſculenta,alter poculenta,tertius condimentorꝝ delicias curat. Sunt autem omnes eunuchi.Etenim qui uoluptates amat,quæ maximè neceſſaria ſunt, ut tẽperantiã,uerecundiã,continentiã,iuſtitiã,& reliquas uirtutes generare non poteſt.Nihil enim alteri tã inimicũ eſt,quã uirtuti uoluptas, ꝓpter quã multi effrenatis cupiditatibus,quibus imperandũ eſt,obtemperãtes atque indulgentes, ea, quæ in primis curanda ſunt,negligunt.Quoquorum præfectus in cuſtodia non includitur, nec ulla afficitur pœna, quia condimenta non ſunt admodum neceſſaria,nec uoluptates,ſed uoluptatũ quidam ueluti ſtimuli & faces,quæ facilè extinguuntur. Duo aũt qui circa miſerum uentrẽ ſunt occupati, piſtorum unus, alter pincernarum præfecti,quoniam ea,quæ uitæ ſummopere neceſſaria ſunt, continent eſcam,& potum,ſi debitam illis curandis diligentiam adhibent, laudem aſſequuntur,ſin negligentiores ſunt,indignatione ac ſuppplicio di-

gni indicantur. Eſt etiam diſcrimen in animaduertendo, quandò diſpar eſt eorũ uſus. Panis enim ualde neceſſarius, uini autẽ non item. Nam & ſine mero uiuunt homines, dum aquam fluentem bibunt. Itaq; pincernarum præfectus in gratiã reſtituitur, quòd is in re leuiori peccauerit. piſtorum aũt princeps in gratiã reduci non poteſt, ſed ad mortem uſque Regis indignationẽ ſuſtinet, ꝙ in re grauiſsima deliquerit. Eſcę nanq; penuria mortem affert, & iccirco qui in ea re peccaſſe deprehenditur, capite damnatur, atq; ſuſpenditur, merito & pari affectus ſupplicio, quoniã & ipſe ſuſpendit & occidit eſurientem fame. Ac de hoc quidẽ hactenus.

Ille igitur in Regis locũ ſubſtitutus, qui Aegyptum regeret, & gubernaret egreſſus eſt, ut ab omnibus incolis cognoſceretur, & in ſingulis oppidis edicta proponens, magnũ ſui deſiderium non ſolum beneficijs, quibus omnes afficiebat, ſed aſpectu & incredibili ac ſingulari ſermonis congreſſusq; gratia uidentibus excitauit. Verũ cũ ex ſomniorꝫ interpretatione prius ubertatis ſeptẽnium adeſſet, quintã fructuũ partẽ per alios prę fectos, qui ſibi in publica procuratione ſubſeruiebant quotãnis colligens & condens, tantã manipulorũ multitudinẽ cõgregauit, ut maiorẽ nullus poſt hominũ memoriam fuiſſe meminerit, cuius rei clariſsimũ illud argumentũ eſt, ꝙ eorũ numerus ignorabatur. Sed cũ præterijſſent ſeptem anni, quibus agrorũ fertilitas fuerat, exorta eſt fames, quę progrediens & creſcens non modo Aegyptũ, oppreſsit, ſed exteras ciuitates & regiones uſque ad orientis occidentisq; terminos longe lateq; inuadens, totũ terrarum orbẽ occupauit. Nulla profectò peſtis tam ingens unq̃ publicè graſſata dicitur, inſtar illius morbi, quẽ Herpeta medici appellant, ꝙ ſerpens per omnes partes totã exulceratorum corporũ cõpagem & coniunctionẽ tanq̃ ignis ſenſim omnino depaſcatur. Vndiq; igitur rei frumentarię cauſa probatiſsimi uiri mittebantur. Iam enim prudentia iuuenis, q̃ ſummã frumenti copiam ad tẽporum difficultatẽ atque inopiam cõdiderat, & conſeruarat, ubiq; percrebuerat. At ille primũ iubet recluſis theſauris aceruos omnes exponi, quo ſpectantium animos exhilararet, eisq; bona ſpe prius, q̃ corporibus mederetur, deinde ꝑ homines, quos eiuſmodi negotio pręfecerat, emere uolentibus pretio uendi, futurum ſemper proſpiciens, & acutius cernens, q̃ pręſens, id, quod inſtabat.

Interim pater cũ rerũ uictui neceſſariarũ anguſtia premeretur, filijq; felicitatẽ ignoraret, ad emendum frumentũ decẽ filios mittens, natu minimũ apud ſe retinuit, qui ex eadẽ matre natus erat, ex qua Regis munere fungentẽ ſuſceperat. Atque illi quidẽ in Aegyptũ pręfecti fratrẽ tanq̃ alienum conuenerunt, cumq; antiquo de more dignitatẽ ipſius admirati ſomniorumq; ſignificationẽ cõfirmantes adorarunt. Ille uerò eos, qui ſe uendiderant intuitus, ſtatim agnouit omnes, cũ ab eorũ nemine agnoſceretur. [illegible] enim uolebat Deus rem patefieri neceſſarijs de cauſis, [illegible] nihil autẽ cõmutarat, uel ut grauiorẽ [illegible] [illegible] præfectus eſſet, uel [illegible]

à se cognoscendo cogitationes auerteret. Tum non ut iuuenis, qui tantũ imperium administraret, quiq; primũ dignitatis locũ secundum Regẽ obtineret, & ab omnibus hominibus ab ortu solis ad occasum usq; suspiceretur, ætatis flore, & magnitudine potestatis elatus, ultionis nactus occasionẽ, iniuriæ uoluit recordari, sed impetum animi repressit, & cęlauit, & alienationẽ prudenter prętetulit, oculisq; & uultu, & uoce, atque alijs signis se indignatũ simulans, O uos, inquit, nihil pacificũ mihi sentire uidemini, speculatores missi estis ab aliquo Regis hoste, cui operã uestram in scelere polliciti, uos id clam laturos quidẽ existimastis, sed nullæ me, licet occultissimæ, insidiæ latere possunt.

Tum illi conari sese defendere, dicentes, ea in se crimina cõferri, à quibus essent alienissimi. neque enim ab hostibus uenire, neque alienos ab Aegyptijs animos habere, aut unq̃ habuisse, sed natura pacis amantes esse, & iam inde ab ipsa pueritia bene parere didicisse ab homine religionis ac pietatis colentissimo ac studiosissimo patre suo, qui duodecim liberos procreasset, quorum unus natu minimus, quia propter ætatẽ peregrinationis laborẽ ferre nõ posset, domi remansisset, decem adesse, quos ipse pręsentes cerneret, reliquũ autẽ è medio sublatũ fuisse. Hæc audiens de se tanq̃ mortuo dici ab illis, à quibus proditus fuerat, nõ potuit quidem animo non cõmoueri, attamen eiusmodi motũ non prętetulit, sed cũ intrinsecus accensus atque inflãmatus esset, graui tamen uultu, si uera, inquit, sunt, quæ dicitis, nec regionẽ speculaturi uenistis, uos quidẽ hic, ut uobis credam tantisper manete, donec frater minimus literis accersitus ueniat. Quòd si abire festinatis, ne forte diuturno uestri desiderio pater sollicitus sit, omnes discedite, uno tantũ relicto, qui uas sit, donec cũ fratre minimo reuertamini, non obtẽperantibus autẽ grauissimũ capitis suppliciũ propositum est. Hæc truci uultu cõminatus, seq; uehementer iratum ostendens discessit.

At illi cogitabundi ac tristitia pleni se ipsi accusabãt, q̃ fratri fecissent insidias, peccatũ illud, dicebant, pręsentium malorum est causa. Iustitia enim rerũ humanarũ moderatrix & arbitra iam contra nos aliquid molitur. Etenim posteaq̃ tempus exiguũ quieuit, consurgens implacabilem atque inexorabilem naturã supplicio dignis ostendit. Quid enim nõ sumus cõmeriti, qui fratrẽ orantẽ obsecrantemq; despeximus? Ille nihil peccarat, uisa tantũ sibi secundum quietẽ familiariter ut amicis retulerat, ob quæ nos omnium crudelissimi atq; immanissimi, indignati, nefarium in eum scelus, uerum enim fateri oportet, cõmisimus. Quamobrem & hęc & his grauiora nos perpessuros formidemus, qui, cũ soli ferè ex omnibus hominibus ob eximias patrum, auorum, maiorumq; uirtutes ingenui & nobiles appellemur, insigni fœditate genus dedecorauimus. Fratrum autẽ natu maximus, qui initio struentibus insidiãs aduersabat̃, nihil prodest, inquit, post facta pœnitere, cohortabar, atque obtestabar uos olim, ne iracundiæ uelletis indulgere, exponebã piaculi magnitudinẽ, uos autẽ

cum deberetis ſententiam meam cōprobare, temeritati ueſtrę paruiſtis. Quamobrē pertinaciæ, atque impietatis fructum percipimus. Illarum enim inſidiarum repetuntur pęnæ. Repetuntur autē non ab homine, ſed uel à Deo, uel à ratione, uel à diuina lege.

Hæc illis ſecretò inter ſe colloquentibus per interpretē nuntium accipiebat frater, qui uenditus fuerat. Itaque cōmotus non poterat non lacrimare. Quare ne deprehenderetur, auertit ſe, atq; ſeceſsit, & magnā effudit uim lacrimarum. cumq; paulopoſt ſubleuatus oculos abſterſiſſet, reuerſus eſt, iuſsitq; fratrē, qui ſecundo loco natus erat, in aliorꝫ fratrum conſpectu uinciri. Is enim ſibi ex altera parte reſpondebat, In pluribus enim ille, qui ſecundum obtinet locum, ordine reſpōdet ei, qui ultimum antecedit. Qua quidē ratione & extremo reſpondet primus. Vel ob eam etiam fortaſſe cauſam eum uinculis aſtringi potiſsimum uoluit, ꝙ oīum grauiſsimè peccaſſe uidebatur, cum ipſe quodāmodo dux eſſet, & alios ad crudelitatem incitaret. Etenim ſi cum fratre natu maximo, qui mite, atque humanum conſilium dabat, conſenſiſſet ipſe, qui ut illo minor erat ætate, ſic reliquos ſuperabat, fortaſſe peccatum nō fuiſſet admiſſum. Nā conſpirantes, idemq; ea de re ſentientes ipſi, qui principes erant, & honore præſtabant, cęteros in ſentētiam ſuam facile perduxiſſent. Nunc autē à clemētiore, melioreq; parte deficiens, ad acerbiorē deterioremq; ſponte ſe contulit, eiusq; tanq̃ dux ſocios impulit, ut nefarium ſcelus nō dubitarent perficere. His de cauſis ille mea quidē ſententia uinctus fuit. Domum uerò cæteri reditum adornabant. Iuſſerat autē regionis pręfectus ĳs, qui frumentum uendebant, primum quidē ut ſaccos fratrum tanq̃ peregrinorum omnes implerent, deinde pretium quod acceperant, in ore ſaccorum clam collocarent, poſtremò tantum cōmeatus adiungerent, quantum eis in itinere uictum abundè ſubminiſtraret, ne frumentum, quod exportabant, imminueretur.

Iter facientes igitur, fratremq; retentū in uinculis, ut par eſt, cōmiſerantes nō minus dolebant uicem patris, qui calamitatē alterā eſſet auditurus, tanq̃ ſingulis itineribus aliquid ei de pulchra filiorꝫ copia detraheretur. Quid? quod non credet, dicebant, uinculis conſtrictum eſſe, ſed mortuū ſuſpicabitur, nos autē uincula confinxiſſe, quo mortē eius occultaremus? ſolent enim qui ſemel percuſsi ſunt, eadē in parte uulnerari. Cū autem adueſperaſceret, iumenta quidē oneribus leuarunt, ſed grauius ipſi curarū pondus animis ſuſceperunt. Fit enim, ut dum corpora quieſcunt, acrioribus animi ſollicitudinibus angantur. Eorū autē unus cū aperuiſſet ſaccū, in eius ore marſupium reperit argēto plenum, quo numerato pretium, quod pro frumento ſoluerat, ſibi repoſitū animaduertit, admiratione q; cōmotus rem fratribus nunciauit, qui id non beneficĳ, ſed inſidiarū indicium exiſtimantes, quāuis omnes ſaccos ſcrutari cuperent, tamen inſequentes ueriti collectis ſarcinis q̃ celerimè contenderunt, atq; ita currētes ut ſibi uix ſpirandi ſpatium concederent, multorꝫ dierum uiam breui

confecerunt,patremq́;,unus ex hac,alius ex alia parte,cõplectentes non sine lacrimis osculabantur. At ille huc illuc sese uertens, singulos lætus amplexabatur. Quanq̃ animus iam inopinatum aliquid præsagiebat, etenim in ipsa congresſione & cõplexu de filio,qui deerat,cogitans,eum tarditatis incusabat,oculosq́; ad ipsos introitus identidem referens,cupiebat absolutum filioꝝ numerũ intueri. Sed cũ foris nemo amplius accederet,uidentes eũ re inexpectata perculsum,molestius est,inquiunt, pater, in dubio uersari,q̃ ipsam rẽ intelligere. Qui enim rem intelligit,uiam ad salutẽ excogitat. Mentis autẽ hæsitatio difficultatẽ affert, nec ullum exitum reperit. Audi igitur ualde iniucunda qdẽ,sed dictu tamẽ necessaria.

Frater,quẽ frumenti causa nobiscũ misisti, uiuit ille quidem,oportet enim te à maiore metu mortis ipsius liberare. Viuus autem in Aegypto apud regionis præfectum manet,qui,siue ut calumniaretur, siue id uerè suspicaretur,nos uti speculatores criminatus est. Cumq́; defensionis gratia responderemus ea,quæ tẽpus postulabat,tum de te patre,tum de reliquis fratribus,quorũ alter decesſisset,alter apud te esset. Domi enim propter ætatem, quoniam adhuc puer esset, mansisse dicebamus,omnia denique ad genus & familiam nostrã pertinentia tollendę suspicionis causa persequentes & aperientes,nihil aliud profecimus,nisi ut diceret, se tum demũ crediturũ non esse falsa,quæ narrassemus,si puer ipse minimus ad se perduceretur,eaq́; de causa secũdum apud se tanq̃ pignus, obsidemq́; retinuit. Hoc est edictum oĩum acerbisſimũ,quod non tam ipse iussor,q̃ tẽpus imponit,cui parere necesse est propter frumentũ,quod fame laborantibus Aegyptus sola suppeditat. Ille uerò grauius ingemiscens, quẽ, inquit,primũ deplorem? eum'ne qui ante ultimum natus,nõ ultimus sed primus seriem calamitatũ inchoauit? an secundum,qui secundas malorũ partes tulit,ante mortẽ uincula? an postremũ & minimũ hunc,qui detestandum iter suscipiet,si tamẽ suscipiet,nec fratrũ aduersis casibus deterrebitur. Ego autẽ per partes & mẽbra cõminutus,partes enim & mẽbra parentũ sunt filij, periculũ adibo, ne qui ex magna pulchraq́; ꝓle paulo ante beatus existimabar,redigar ad orbitatem.

Ad hæc natu maximus duo,inquit,filij mei, quos solos genui, apud te obsides maneant. Hos interficito,nisi tibi fratrẽ fidei cõmissum meæ saluum & incolumẽ reducã. Hic si in Aegyptum proficiscitur, duo nobis maxima conficiet.Nam & fidẽ nostrã liberabit,ostendetq́; nos nec speculatores,nec hostes esse: & fratrẽ,quẽ uinculis constrictum reliquimus,recuperabit. Cum magnopere torqueretur & ambigeret pater,quid'nam ageret. Etenim cum duos ex eadẽ matre liberos suscepisset, unus, aiebat, iam occidit,alter,qui relictus est solus, uiam exhorrescet, & uiuens præmorietur metu, cum formidanda illa, quæ prior perpessus est,cogitabit. Hæc ille cum diceret,audacisſimũ,& qui ad dicendum natura uim maximã habebat,is autẽ ætate post primum ordine quartus sequebatur,adduxerunt,ut omnium sententiam explicaret. Quæ erat eiusmodi.

Cum

Cum uictui deficerent necessaria, ꝙ frumentum prius aduectum consumptum esset, ingrauescente autem premerentur fame, sibi necessariò proficiscendum uideri, non profecturos tamen, si frater minimus maneret. Regionis enim præfectum edixisse, ne accederent, nisi illum adduxissent. Cõsiderans ergo, ut uirum sapientẽ decebat, satius esse, incerto atq; ancipiti rerum futurarum euentui unum obijcere, ꝗ permittere ut tam multi minimè dubiam, sed certã mortẽ oppeterent, quorum interitu tota domus fame oppressa funditus euerteretur, tantum respondit, quãdò necessitas, inquiens, consilio meo superior est, cedamus. Forte natura melius aliquid parat, quod cogitationibus nostris nondum uult esse perspicuum. Minimũ igitur uobiscum ducentes, ut prædictũ est, discedite, non ea tamen ratione, qua prius. Tunc enim ut ignotis hominibus, & quibus nondum quicꝗ aduersi contigerat, argento duntaxat ad emendũ frumẽtum opus erat, nunc autẽ & muneribus opus est, primũ ut apud regionis rectorem, reiq; frumentariæ præfectum, cui uos esse notos dicitis, gratiã ineatis, deinde ut uinculis deuinctum citius redimatis pretium afferentes, postremo ut suspicionẽ, quã de uobis tanꝗ speculatoribus habet, ꝗ maximè fieri potest, depellatis. Omnium igitur, quæ terra nostra fert, quasi primitias offerte homini, & duplicẽ argenti summã, & ante datam, quæ forte alicuius imprudentia reddita fuit, & quam pro frumento soluatis. Afferte simul & uota nostra, quæ seruatori nũcupamus Deo, ut & apud indigenas peregrinantes gratiosi sitis, & incolumes reuertamini, reddatisq; patri deposita necessaria, filios, & quem uinctũ reliquistis, & quem minimum, ac rerum usus expertem nunc abducitis.

Discedentes igitur in Aegyptum contendebant, quò paucis post diebus cum peruenissent, eosq; regionis princeps conspexisset, summopere lætatus est, iussitq; domus procuratori, ut prandiũ pararet, eosq; sibi conuiuas futuros introduceret. Introducti autẽ cuius culpæ sibi nõ erant conscij, metu perteriti, & cõturbati suspicabantur, se ut fures accusatum iri, quasi frumenti pretium surripuissent, quod prius in saccis inuenerant. Itaque domus procuratorẽ adeuntes sese excusabant, in quo nullus eos audebat criminari, conscientiæq; medentes suæ protulerunt atque ostenderunt argentum, ut redderent. Ille uerò blanda atque humana oratione eos consolabatur, iubebatq; ut bono animo essent. Quis enim (dicebat) tam impius erit, ut Dei benignitatem in crimen uocet? Deus enim thesauros ut imbrem immisit in saccos uestros, nec escas solum, sed diuitias prompte dedit. His uerbis confirmati munera, quæ domo attulerant, ordine statuerunt, obtuleruntq; aduenienti Domino, interrogatiq; ab eo, quomodo se haberent, & utrum uiueret pater, quo de ante locuti fuerãt, de se nihil, patrem autẽ ualere responderunt, quod ille libenter audiens, eumq; Dei amicissimum uirum appellans, ad fratrem ex eadem matre natum oculos conuertit, quẽ cum aspexisset, sibiq; temperare nõ posset, sed affectione uinceretur, anteꝗ res patefieret, auertit se, currensq; seces-

sit, tanquam ad serium & graue aliquod negocium festinaret, (uerum enim eloquendi non erat tẽpus) & in occulto quodam ædium loco flendo lacrimarum copiam profudit. Deinde cum se abluisset, rationeq; ad uincendam animi affectionem confirmasset, ad hospites conuiuas processit, eo prius restituto, quẽ pro minimo uadem acceperat. Epulabantur autẽ simul & alij inter Aegyptios probati ac nobiles uiri. Singulis tamen ex patrio cuiusq; instituto & more ministrabatur. Iniquum enim existimauit antiquas leges non obseruare, præsertim in eo conuiuio, ubi plus uoluptatum inesset, q̃ molestiarum.

Verum cum pro ætatis ratione iusi essent ordine discumbere, admirabantur ꝙ Aegyptij, cum ea disciplina nondum reliqui homines in conuiuijs uterentur, Hebræorum consuetudinem atque ordinem in discumbendo tam diligenter obseruarent, & omnibus pro sua cuique ætate honorem haberent. Alias fortasse, dicebant, hæc regio in eiusmodi rebus erat imperitior, sed hic uir, qui Reipu. præfectus est, non solũ in magnis tum pacis, tum belli negotijs administrandis rectum ordinẽ adhibuit, sed etiã in his leuioribus, quæ ferè in iocis uersantur. Hilaritatẽ enim conuiuia requirunt, grauiores, tristioresq; mores aspernantur. Has illis submissa uoce laudes in uirum conferentibus, mensæ non nimis magnificis dapibus instruuntur. Etenim grassante fame nõ æquum esse censebat, qui conuiuio hospites acceperat, in aliorum calamitatibus delicijs indulgere. Quod ipsi ut ingeniosi prudentesq; uiri ad eius item laudẽ referebant, q̃ sapienter, dicebant, inelegantiam euitauit, q̃ sapienter & inopes cõmiserantis, & conuiuiũ agentis personã sustinuit, quod in utroq; laudandum est, imitans, & quod uituperandũ, effugiens, Apparatus igitur purus, elegans, ac mundus fuit, ut tẽpus exigebat. Quod autẽ deerat, continua lætitia supplebatur, cũ prægustantes sese uicissim faustis uocibus ad bibendum, & accipiendũ quod præbebatur, inuitarent. Quod quidẽ hominibus ingenuis & elegantibus moribus præditis iucundiora sunt, q̃ illa omnia, quæ conuiuiorum & cœnarum studiosi parant, dum ostentantes ea, quæ nulla cura sunt digna, pusilli animi signa præseferunt.

Postridie autem summo mane domus procuratorem accersit, atque imperat, ut oẽs ab hominibus allatos saccos frumento repleat, rursumq; cum marsupijs pretium in ore saccorũ deponat, in saccum autẽ illius, qui ætate minimus esset pulcherrimũ ex argento poculum, quo ipse bibere solitus erat, injiciat. Iussa statim ille remotis arbitris perfecit. At ipsi bonis, quæ præter spem acciderant, gaudentes discesserunt. Hæc enim metuerant: In furti crimen propter pretium redditum se uocatũ iri, obsidẽ fratrem non recuperaturos, amissuros etiã fortasse fratrem minimum, si ab eo, qui tam studiose illũ requisiuerat, ui retineretur. Euenerant autem hæc, quæ uix eis in mentem uenisset optare. Nam præterq̃ quod nullum in eos crimen coniectum fuerat, mensæ, salisq; facti erant participes, quę ueræ amicitię signã ab hominibus reperta sunt, fratrem sine contumelia

nullius operam aut preces adhibentes receperant, minimum ad patrem reducebāt,incolumem. Quòd speculatores essent, suspicionē euaserant, magnā cibariorum copiā exportabāt,bonamq; in futurū spem. Etenim & si sæpius,dicebant,defecerint necessaria, non amplius, ut ante pauidi, sed læti ad regionis principem tanq̄ ad amicum, non autē ut ad alienum reuertemur. Sic animo affectos & talia cogitantes improuisus eos ac repentinus terror inuadit.Domus enim procurator mandato Principis cū magna satellitū multitudine manuū motu atq; alĳs signis imperans, uti consisterent cum clamore currebat, ac præ contentione anhelans, & cū difficultate spiritum trahens,mala,inquit,pro bonis referentes etiā priora crimina confirmastis.eandem iterum scelerum uiam ingressi surripuistis frumenti pretium, & grauius adhuc facinus cōmisistis. Improbitas enim impunitate crescit.Pulcherrimū & pretiosissimum poculum Dn̄i mei,quo ille uobis propinauit,surripuistis,uiri gratiosi, uiri pacifici, qui speculatoris,ne nomen quidē intelligebatis,qui duplicē argenti summā, non ut priorem ablatam restitueretis, sed ut plura aucuparemini & corriperetis dolo tanq̄ escam attulistis.Fraudulentis ac sceleratis non semper è sententia res cedunt,sed dum latebras quærunt,depræhenduntur.

Hæc illo cōmemorante dolore & metu malorum grauissimorū, quibus repente opprimebantur,stupidi sic obmutuerunt, ut ne hiscere quidem possent. Improuisæ enim ac repentinæ calamitates, uel eloquentes homines mutos & elingues reddunt. Respirantes tamen, ne conscientia uicti tacere uiderentur,quomodo, inquiunt, aut apud quē nos defendemus? tu enim & iudex futurus es & accusator, qui si alius nos in crimen uocasset,patronus ac defensor esse debueras, posteaq̄ fidem nostram expertus es,qui argentum prius inuentū nullo indicante retulimus, ut redderemus,tantopere mox fuerimus immutati,ut furantes detrimentis hospitem affecerimus? istud auertat Deus,nec ulli nostrum incidat unquā tam dira cupiditas.Siquis ex nobis poculū habere deprehensus fuerit,occidat̄. Multis enim de causis si admissum est,capitale facinus iudicamus. Primum quoniā auaritia & rerum alienarū appetitio maximè legibus interdicitur. Deinde quia conari benemeritos lædere ualde nefarium est. Et eos postremò qui se claro genere natos gloriantur malefactis detrahere maiorum dignitati, est dedecus turpissimū. Quibus siquis nostrum obnoxius inuenitur, ut qui millies morte digna patrauerit, trucidetur. His dictis iumenta soluunt,onera deponunt,hortantur,ut diligentissime perscrutetur. Ille uerò qui innatu minimi sacco poculū esse non ignorabat,ut qui illud ipsemet occulte coniecerat, callide se gerebat. Incipiens enim ab eo,qui natu maximus erat, & ad reliquos ordine sigillatim accedens,cū suum quisq; saccum proferret atq; ostenderet, scrutabatur, donec ad extremū tandē peruenit,apud quē,quod quærebatur,inuentū est.

Id illi ut conspexere,confestim ingemiscere,uestimenta conscindere, suspirantes collacrimare, uiuentemq; fratrem uti iam mortuū deflere,

nec suã ipsorũ magis, q̃ parentis uicem lamentari, qui euenturam filio calamitatem prospiciens, uolentibus fratrem secũ adducere, aduersabatur. Mœsti igitur ac conturbati eodẽ itinere in ciuitatem reuersi sunt, casu ipso obstupefacti, nec id fratris auaritia cõmissum, sed in eo factas ĩsidias fratri suspicantes. Tum ad regionis præfectum adducti fraternæ charitatis affectionẽ facile præseferentes, prostrati genibus eius aduoluebantur, tanq̃ furti, quod crimen ne in uno quidem illo hærere poterat, oẽs essent affines, lugebant, supplicabant, se ipsos dedebant ei uoluntariam inseruitutem, ipsum dominũ, se peregrinos, seruos, mancipia ipsius, nullas supplicum uoces prætermittentes appellabant. Ipse uero magis adhuc eos tentans, nunq̃, inquit, id ego efficerem, ut unius peccato tam multos subijcerem seruituti. Qui enim æquũ sit, eos ad suppliciorũ societatem uocare, qui criminum participes nõ extiterunt? In eum unũ, qui solus peccauit, animaduertatur. Et quoniã audio, uos anteq̃ in urbem ingrederemini, sententiã tulisse, ut morte mulctaretur, qui in furto deprehẽsus foret, ego, qui ad lenitatem & clementiã omnia traho, leuiore pœna cõtentus sum, & mortis loco seruitutem decerno.

Has minas propter crimen, quòd in se falsò conferebatur, cum grauiter, & periniquo animo ferrent, qui quarto loco natus erat, ualebat enim dicendi facultate, eaq; liberè, sine impudentia tamen, sed uerecundè utebatur, in mediũ procesit, obsecro, inquiens, Domine, indignationi ne indulgeas, ne'ue nos, quia secundũ Regem primum dignitatis obtineas locum, indicta causa condemnes. Priore nostro ad te aduentu tibi de fratre patreq; interroganti respondimus, patrem quidẽ esse iam senem, senio tamen non tẽpore magis, q̃ asiduis contracto calamitatibus, quibus tanq̃ athleta exercitatus in laboribus grauissimisq;, molestijs uitam traduxisset: fratrem uerò admodum puerũ, quẽ pater ipse unicè diligebat, uel ꝙ eum in senectute procreasset, uel ꝙ ex duobus filijs ex eadem matre susceptis ipse solus relictus esset, altero, qui maior erat, acerba morte cõsumpto. Iubente autẽ te, fratrem ut ipsum adduceremus, & cũ minis prohibente, ne tuũ ad conspectum sine illo rediremus, tristes discesimus, & simulac peruenimus domũ, patri mandata tua exposuimus, qui primum quidẽ filio metuens recusabat, post autẽ cũ uictui deficerent necessaria, nec ullus nostrũ ad emenda cibaria propter decretũ tuũ sine fratre minimo redire auderet, uix tandem adduci potuit, ut eũ nobiscum mitteret, cũ sæpius nos reprehendisset, ꝙ alium sibi esse filiũ indicassemus. Sæpius etiã eum miseratus esset, ꝙ à se esset discessurus, infans est enim, inquiens, & rerũ omnium ignarus, nõ solũ externorũ, sed ne ciuium quidẽ suorũ nouit mores & instituta. Ad patrem igitur sic affectum quomodo redire, aut quibus oculis eũ sine hoc aspicere poterimus? Audiens duntaxat illum, non reuertisse miserabiliter uitam deseret. Atq; ita nos, inimici, & maleuoli, qui in eiusmodi calamitatibus insultant, fratricidas & parricidas appellabunt. Ego autẽ potisimũ accusabor, qui pollicitus sum patri,

me

me illum reducturũ, cũ faterer me tanq̃ depositũ accipere, q̃ cũ à me flagitabitur, quo'nam modo reddere potero, nisi tu propitius fueris? Oro, obtestorq; te, ut miserearis ætate confecti senis cogita, quęso, quibus mo lestijs excruciabitur, cũ filium, quẽ inconsiderate credidit, non recipiet. Quòd si te læsum arbitraris, à me pœnas repete. Ego libenter dabo. Iam nunc me seruũ adscribe. Omnia quæ nuper emptũ mancipium exequi tur, præstabo, si adolescentulum abire patieris. Nec si beneficiũ hoc dederis, ipse illud accipiet, sed qui nõ adest tot filiorum, quos omnes amisit, iam pater, qui per te sollicitudine subleuabitur. Supplices enim sumus, ad sacrosanctam dexterã tuã confugimus, à qua nunq̃ recedemus. Ad misericordiam adducat te senium uiri, qui in omni uita pro uirtute labores per tulit ac decertauit, quẽ omnes Syriæ ciuitates admirantur atque suspiciunt. Quãuis enim longè diuersis ac differentibus à regionis consuetudi ne moribus ac legibus utatur, uitæ tamen integritas, & dictorum cũ factis, factorumq; cũ dictis consensus atque exęquatio, beneuolentiam omniũ ei sic conciliauit, ut licet patrijs dissentiant institutis, amici tamen coniun ctiq; sint. Hunc tibi uirũ eo deuincturus es beneficio, quo nullũ maius in hominẽ conferri potest. Quid enim maius, aut gratius patri queat accidere, q̃ ut amissum & de quo nulla sit amplius spes, filium recipiat?

Hæc & quę ante gesta sunt, fieri permisit regionis princeps, ut exploraret, quo'nam animo essent erga fratrẽ ex eadẽ matre, ex qua natus erat ipse, procreatum. Verebatur enim, ne naturale aliquod odium concepissent, quali esse solent, qui ex alia pari dignitate fœmina suscepti fuerint. Quapropter & tanq̃ speculatores accusabat, & de genere ipsorum percontabatur, ut ea occasione cognosceret, utrũ uiueret frater, an per insidias ê medio sublatus esset. Et uno retento reliquos discedere permisit, qui se fratrem minimũ adducturos promiserant, ut eũ, cuius maximo tenebatur desiderio, cerneret, & grauissima de ipso sollicitudine liberaretur. Et posteaq̃ præsentẽ fratrẽ aspexit, cura parũper leuatus eum, cũ omnes accepisset conuiuio, lautioribus dapibus honorauit, intuens singulos, ex aspectuq; conijciens, num aliqua subesset inuidia. Cumq; eos minimi fratris honore nihil cõmotos, sed gaudentes aspexisset, duobus iam argumentis intelligens nullas inimicitias intercedere, furti crimen confingendum ita curauit, ut minimus ipse culpã sustineret. Clarissimũ enim ex ea re singulorum animi & affectionis in fratrẽ falsò accusatũ indicium futurũ erat. Quibus omnibus signis confirmatus facilè perspexit nullam inter eos esse simultatẽ, necp ullas insidias ab illis strui contra fratres ex eadẽ matre susceptos. Quinetiã ex eo coniecit, sibiq; persuasit, ea, quæ ipse pertulerat, non fratrum insidijs sibi contigisse, sed prouidentia Dei, longè prospicientis, & futura non minus, q̃ præsentia contuentis.

Victus igitur ea fraternæ beneuolentiæ significatione ad concordiam & gratiæ reconciliationẽ facilè ductus est. Ac nequa ignominiæ nota fratribus ob id negotium inureretur, neminẽ Aegyptiorũ mutuæ fratrum

agnitioni uoluit interesse, sed cũ ministris omnibus, ut secederent, imperasset, repẽte fontẽ effundens lacrimarũ, fratribusq; dextera significans, ut propius accederent, ut ne casu quidẽ alius quispiam posset exaudire, rem, inquit, tenebris inuolutã & longo tẽpore cęlatam, quoniã patefieri necesse est, solus ego uobis solis aperio. Frater ille, quẽ in Ægyptũ prodidistis, ego ipse sum, quẽ nunc præsentẽ conspicitis. Hac illi re improuisa inopinataq; perculsi & obstupefacti cũ oculis tanq̃ uiolento aliquo pondere detrahente in terrã defixis ĩmobiles, muti, elinguesq; consisterent. Timorẽ, inquit, ac tristitiam deponite. Omniũ, quę in me cõmisistis, ueniam do, & obliuione memoriã deleo sempiterna. Alterius aduocati aut patroni auxilio non indigetis. Ego enim sponte mea uos libens ac uolens in amicitiam recipio, duabus me rebus cõpellentibus patris charitate, cui plurimũ tribuo, & humanitate naturali, qua cũ in omnes, tũ præcipuè in sanguine coniunctos, ac fratres utor. Eorũ autẽ quæ acciderunt, non uos, sed Deum authorẽ fuisse mihi persuadeo, qui munerum & donorꝫ, quæ difficillimis istis tẽporibus humano generi dignatus est elargiri, me ministrũ & distributorẽ esse cõstituerat. Quod quidẽ ex ijs, quæ cernitis, facilè potestis intelligere. Ego enim toti Aegypto præfectus sum. Maximũ apud Regẽ honorẽ ac dignitatem obtineo. ille me iuuenẽ natu grandior ut patrẽ colit. Obseruor autẽ non ab ijs tantũ, qui Aegyptũ incolunt, sed ab alijs plurimis nationibus, siue alterius imperio subiectæ sint, siue liberę. Inopia enim & fames efficit, ut me omnes egeant pręside. Argentum & aurũ, & quod his magis necessariũ est, frumentum à me custoditur. Id ego singulis indigẽtibus ad usus necessarios diuido atque distribuo, ut nihil desit, quod uel ad delicias, uel ad explendã famem sit opus. Hæc autẽ non gloriandi iactandiq; causa cõmemoro, sed ut cognoscatis eiusmodi bona tribuere homini seruo, & in carcerẽ coniecto (falso enim crimine etiam ĩ carcerẽ coniectus olim fui) potuisse mortalium neminẽ, sed Deũ ipsum, cui nihil difficile est, præstitisse, grauissimasq; calamitates in amplissima ac summa cõmoda cõuertisse. Proinde cũ me sic animo affectũ intelligatis, nolite amplius timere, sed molestiã & sollicitudinẽ in gaudiũ lætitiamq; conuertite. Optimum præterea factu erit, ut ad patrẽ contendatis, eiq; me inuentum esse nuntietis, ne, quod plerunq; fit, ipse rumor anteuertat.

Ipsi uerò fratrẽ certatim alius aliud cõmendantes non cessabant summis laudibus in cęlum ferre. Alius iniuriarũ obliuionẽ, alius humanitatẽ, alius prudentiã, omnes pietatẽ, prosperos euentus referentes ad Deum, nec amplius primis honoribus, & dignitatibus, quæ pręter spem feliciter euenerant, inuidentes, & excellentẽ cũ uerecundia tolerantiam, qui tot tẽpestatum uarietate iactatus, nec cum premeretur seruitute, in fratres, à quibus uenditus fuerat, maledictum ullum coniecit, nec cum in carcerẽ duceretur, quicq̃ locutus est, quod taceri oporteret, nec cum diutius ibi contineretur, alijs ea, quæ sibi contigerant, aperuit, ut eorum mos est, qui

in eiuſmodi locis cõcluſi ſunt, ſolent enim calamitates ſuas recenſere; nec quando ſomnia interpretatus eſt uel eunuchis uel regi, cum tẽpus ipſum poſtularet, ut de ſua nobilitate loqueretur; nec quando princeps à Rege conſtitutus totius Aegypti procurationẽ, & imperium obtinuit, ne humili, aut obſcuro, ſed claro & illuſtri genere ortus uideretur, nec natura ſeruus, ſed inſidijs & iniurijs grauiſsimis eorũ, à quibus oppugnari minimè oportebat. Ad hæc magna æquitatis benignitatisq; laus accedebat. Aliorũ enim principum inſolentiam & arrogantiã intuentes admirabantur, cum ab eo nihil ſuperbè fieri cernerent, nihil quod meritò reprehendi poſſet. Qui ſimul ac fratres ad ſe primum aduenientes uidit, cum eos poſſet occidere, aut ad extremum fame laborantibus cibaria non impertiri, non ſolum abſtinuit, ſed iubens ut pretium redderetur, gratis neceſſaria tanq̃ benemeritis dedit. Adeò memoriam inſidiarum & uenditionis omnem in perpetuum abiecerat.

Magiſtratus igitur gratulabãtur, q̃ fratres Præſidis aduenîſſent, eoſq; hoſpitio inuitabant, & Regi feſtinabant nuntium afferre, omnia deniq; paſsim lętitiæ plena erant, nõ aliter, ac ſi agrorum fertilitas extitiſſet, aut ſi penuria & fames in ubertatẽ & copiam uerſa eſſet. Cum accepiſſet autem Rex ei & patrẽ eſſe, & familiam eius magnã ac celebrẽ, hortatus eſt ut domum uniuerſam in Aegyptum adduceret, ſeq;, ſi id feciſſet, fœcundiſsimã Aegypti partẽ donaturum promiſit. Vehicula igitur & currus, & iumentorum, quibus neceſſaria cõportentur, multitudinem fratribus dat cum idonea ſeruorũ manu, ut tutò patrẽ adducant. Ad quẽ illi cum reuertiſſent, & incredibilia atque inſperata de fratre narrarent, ille uix adduci poterat, ut uera eſſe duceret, non q̃ illi qui narrabant, non eſſent digniſsimi, quibus crederet, ſed q̃ tanta erat rei magnitudo, ut fidẽ ſuperaret. Videns autẽ magnificos apparatus, & rerũ neceſſariarũ copias ijs, quæ læta nunciabantur, congruere, Deum laudabat, q̃ eam domus partem, quæ cecidiſſe uidebatur, fulciſſet, & ſartam tectam conſeruaſſet.

Verum ea lætitia ſtatim animo ſenis ſcrupulum iniecit de patrijs inſtitutis. Iuuentutẽ enim lubricã ac præcipitẽ eſſe non ignorabat, peregrinationẽ autẽ atq; iter ſuſcipere nihil aliud eſſe, q̃ ad peccandũ inducias ac fœdus facere, in Aegypto præſertim à uero Dei cultu aberrante, quippe quæ mortalia cæcaq; numina ſibi cõfingeret, ac uneraretur. Accedebat diuitiarũ & gloriæ cumulus, quæ puſillos animos decipiunt, præterea, cũ nullus monitor & caſtigator ex patria familia ſupereſſet, periculũ erat, ne ſolus & bonis præceptoribus deſtitutus, ad externos mores & alienos cultus inclinaret. Hunc ergo ſic affectũ intuitus ille, cui ſoli animi arcana perſpicua ſunt, miſericordiaq; motus ei nocte quieſcenti apparuit, & ne uerearis, inquit, in Aegyptũ cõmigrare. Ego itineris dux ero, peregrinationemq; tutam atq; felicẽ præſtabo, & filium optatiſsimũ reddam, qui abs te quondã ut mortuus deploratus, nõ ſolũ uiuit, ſed tantæ regionis eſt princeps. Bona igitur ſpe plenus ſummo mane cũ gaudio ſe in uiam de-

dit. Quod cum ex ſpeculatoribus & exploratoribus, qui itinera obſeruabant, filius audiuiſſet, celeriter occurrit patri, qui non longè à finibus aberat. Ad oppidum autẽ, quod Heroum appellant, congreſsi ad cõplexus & oſcula concurrunt, & diu ſic inhærentes ueſtimenta lacrimis madefaciunt, & ſeſe ſatiare, ac ſeparare uix tandẽ poſſunt. Tunc ad regiam contenderunt. Rex autẽ ſenem contẽplatus, admiratusq; præſentiæ grauitatem, non ut præfecti parentẽ ſed ſuũ omni cũ obſeruantia atque honore ſuſcepit, eiq; terræ partẽ fructuoſiſsimã, & quę maximè placuit, largitus eſt. Filijs autẽ, quos intelligebat eſſe paſtores, & magnas habere in gregibus & armẽtis facultates, capras, oues, bouesq; ſuos, quorꝫ maximus erat gregum armentorumq; numerus, curandos tribuit.

Iuuenis autẽ tantã fidei præſtantiam exhibuit, ut cũ & tẽpora & negotia plurimas cõparandæ pecuniæ præberent occaſiones, quibus breui locupletiſsimus fieri poſſet, falſis tamen, adulterinisq; diuitijs ac cęcis ueras & germanas atq; uidentes anteponens, argentũ & aurũ omne, quod ex frumenti pretio collegerat, retulerit in theſauros Regis, & in rẽ ſuam ne teruntium quidẽ conuerterit, exceptis duntaxat muneribus, q̃ ſponte ſua Rex illi largiebatur. Quemadmodum autem Aegyptum & alias regiones, ac populos hic uir melius, q̃ dici poſsit, rexit, & gubernauit, frumenta, ut decebat, diſtribuens, nec pręſentem modò ſpectans utilitatem, ſed futurã longè proſpiciens, ſic cũ ſeptimus adeſſet annus penuriæ, agricolas conuocandos curauit, eisq;, quoniã ubertatis iam ac fertilitatis ſpes erat, ordeum & triticũ, ut ſementẽ facerent, tribuit, cauens tamẽ per optimos ad eiuſmodi munus delectos uiros, ne quisq̃ in proprios uſus ea conuerteret, ſed in agris, quos colendos acceperant, ſpargerent.

Longo autẽ poſt penuriam & famẽ tempore defuncto patre, fratres ſuſpicione metuq; conterriti, ne iniurias meminiſſet atque ulciſceretur, ad eum cum uxoribus & liberis ſupplices acceſſerunt. Quibus ille lacrimans tempus quidẽ, inquit, eſſet opportunũ ad inijciendã ſuſpicionẽ uobis, qui uos intolerabili facinore iam obſtrixiſtis, nec alia re magis q̃ conſcientia ſtimulamini, cũ obitus patris timorẽ, quo ante reconciliatam gratiam tenebamini, renouet, uerentibus, ne ueniam dederim, ut patri gratificarer, nec ullam ei moleſtiam exhiberem. Ego uerò temporibus mores non muto, nec unq̃ pacta uobiſcũ fœdera uiolabo. Vltionẽ enim non diſtuli, ſed condonaui, primũ quidẽ, uera enim dicenda ſunt, paterna adductus pietate atq; obſeruantia, deinde etiam fraterna aliqua ex parte neceſsitudine & beneuolentia. Quòd ſi patris tantũ gratia benignũ me uobis atq; humanũ præbuiſſem, eundẽ tamen etiam defuncto præſtarẽ. 2 Bonorum enim uirorꝫ me quidẽ iudice nullus moritur. Quin etiam in perpetuũ uiuet, nec ulla opprimetur ſenectute, cũ animus ſit ĩmortalis, nec ullis amplius corporis obnoxius neceſsitatibus. Verũ quid de patre tantũ, qui genitus eſt, mentionẽ facitis? Habemus patrẽ nunq̃ genitum, ĩmortalem, ac ſempiternũ, qui omnia uidet, omnia audit etiam ſilentia, omnia

2 *Ecce quomodo uiri boni non moriuntur, ſed in perpetuum uiuunt, cum eorum animas ſit immortalis. Cur ergo a quibuſdã ſancti appellantur emortui?*

omnia ſcrutatur, quæ uel in mẽtis penetralibus latent. Hunc ego cõſcientiæ meę & uerè reconciliatæ gratiæ teſtẽ adhibeo, ego enim, nec admiremini ſermonẽ meum, ſum Dei, qui mala cõſilia ueſtra in bonorꝝ copiam conuertit. Proinde metum abijcite longè meliora in poſterũ habituri, quàm uiuente adhuc patre percipiebatis. His uerbis fratres conſolans atque cõfirmans promiſſa factis egregie comprobauit.

Cæterũ cũ inopiæ & fami copia & rerũ omnium abundantia ſucceſſiſſet, ab omnibus ut de ſe difficillimis tẽporibus benemeritus colebatur. Fama uerò per exteras ciuitates euagata gloriam hominis ubiq; propagauit. Sed cũ centũ ac decẽ expleſſet annos proſpera ſenectute deceſsit, cũ & pulchritudine & prudentia, & eloquentia præſtitiſſet. Ac corporis quidẽ pulchritudinis teſtis eſt amor quo mulier illum deperiuit. Prudentiæ autẽ, æquabilitas, quæ in maximis uitæ diſcriminibus & conſenſum rebus diſcordibus & diſcrepantibus concentũ reddidit. Eloquentiæ uerò tum ſomniorum interpretatio, tum in uarijs cauſarũ generibus orationis copia, atque ſuauitas, perſuadendiq; uis, quibus rationibus fiebat, ut ſubditorũ nemo neceſsitate magis, q̃ uoluntate obtẽperaret. Aetatis ſuę decẽ & ſeptẽ annos in paterna domo adoleſcens tranſegit: tredecim in inopinatis calamitatibus, dum inſidias perfert, & uenditionẽ, & falſa crimina, & in carcere uincula. Reliquos octoginta in principatu atque omni proſperitate, cũ in penuria & copia præfectus eſſet, & rector optimus, & ad ea moderanda, quæ tẽpus utrunq; requirit, accõmodatiſsimus.

MOYSIS VITA A' PHILONE HEBRÆO Conſcripta. Liber. 1. Petro Franciſco Zino Veronenſi, Interprete.

Habetur in eius operibus Græce ſcriptis, nunc primũ Latinis cognita.

MOſis apud Iudæos legiſlatoris, ut quidam uolunt, uel, ut alij cenſent, ſacrarũ legũ interpretis, uiri in rebus omnibus ſummi, atq; hominis planè perfecti, abſolutiq; uitam, ne ignoretur ab ijs, qui eius cognitione ſunt digni, ſcribere conſtituimus. Nam legũ quidẽ, quas reliquit, gloria per uniuerſum orbẽ peruagata, ad extremos uſq; terrarũ fines peruenit. Ipſe autẽ qui'nam uerè fuerit, haud ita multis eſt notum. Etenim qui ciuitatibus leges condiderunt, propter inuidiam fortaſſe, & quod ipſe nõ paucis in rebus ab inſtitutis ipſorum diſſentiret, noluerunt, ut inter eos, qui apud Græcos celebres erant, numeraretur. Quorꝝ pleriq;, quã ex literarũ ſtudijs adepti erant facultatẽ, monumentis tum carmine, tum ſoluta oratione conſcriptis dedecorarunt, peruulgatas comœdiæ, ſybariticæq; nequitiæ turpitudines cõponentes. Quos exercere ingenia in uirorũ præſtantium uitis explicandis oportebat, ut nec pręclarũ quicq̃, quod illuſtrari poſſet, ſilẽtio prętermiſſum obliuione deleretur, nec ipſi, potioribus omiſsis argumentis, cognitione indigna prętuliſſe uiderẽtur, cũ accuratè ſcelera ad flagitioſorũ hominũ gloriã promulgarent. At ego

neglecta istorũ inuidia, quę de hoc uiro uel ex sacris libris, quos ipse tanq̃ admiranda sapientię suę reliquit monumenta, uel ex gentis senioribus didici, memorię tradam. Sẽper enim auditis lecta coniunxi atq; contexui: Quo factum est, ut diligentius, q̃ cæteri, quę ad uitam eius pertinent, uidear persecutus. Exordiar autẽ, unde principiũ ducendũ est necessario.

Moses genere quidẽ Hebręus fuit, sed in Aegypto genitus, & educatus. Illuc enim maiores eius, cũ Babylon, & loca finitima diuturna fame premerentur, uictus quęrendi gratia uniuersi cõmigrauerant. Ea quippe regio cãpestris, & plana, & cũ rerum omnium, quibus indiget humana uita, tum frumenti potissimum feracissima. Nam huius flumen uigente ęstate, quo tẽpore non torrentes solum, sed perennes fluuij minuuntur, exundat, atque agros foecundos reddit, qui cũ imbre non egeant, magnã omnium fructuũ copiam quotannis afferunt, nisi propter redundantẽ incolarũ impietatẽ iratus Deus eos intercipiat. Parentes sui ordinis optimos habuit, qui licet tribules essent, concordiæ tamen uinculo magis, q̃ generis necessitudine deuincti erant. Septima ætate fuit hic post illũ primũ, qui cũ esset aduena, totius Iudæorũ gentis dux extitit. Regia autem educatione nutritus est ob hanc causam.

Aegypti Rex, cũ huiusce gentis hominũ multitudo uehementer cresceret, ueritus, ne aduenę nun[me]ro indigenas superantes, ualidiore manu cũ illis de imperio contenderent, robur ipsorũ tollere nefarijs consilijs machinabatur. Permittens igitur ut fœminas, quę nascerentur, suscipi atq; educari liceret, siquidẽ fœmineum genus propter naturę imbecillitatem ineptum est ad bellum gerendum, iussit ut interficęrentur mares, ne per ciuitates propagarentur & crescerent. Nam uirorũ propugnaculũ haud facilè capi euertiq; potest. Natus itaq; puer augustiorem, q̃ pro priuato homine indolem pręsetulit. Quare parentes, quoad fieri potuit, edicta Tyranni negligentes, eum clam domi tribus mẽsibus nutrierunt. Verũ, quoniam in regnis non desunt, qui illa etiam, quæ in penetralibus geruntur, diligẽter explorent, ut noui semper aliquid ad Regẽ afferant, ueriti, ne dum unius saluti conantur consulere, unà cũ illo perirent, lacrimãtes filium propter fluminis ripam exposuerunt, gementesq; recesserunt, miserantes tum uicem suã, qui proprijs manibus filium cogerentur occidere, tum iniquissimum ipsius interitum. Deinde tanq̃ in alieno negotio se ut maioris calamitatis authores incusabant. Cur enim eum (aiebant) nõ simul ac in lucẽ est editus, exposuimus? Quandoquidẽ qui non peruenit eò, ut mansuetioris uictus particeps esset, eũ multi ne hominẽ quidẽ existimant. Nos autẽ superuacaneam adhibentes curã, tres mẽses illum enutriuimus, atque ita uberiorem tum nobis molestiam, tum ipsi acerbitatẽ exhibuimus, quippe qui ad ea quę iucunda molesta ue sunt, diutius tolleranda iam idoneus, acerbiore malorũ sensu perimitur. Ac illi quidẽ futuri euentus ignari, miserabili dolore affecti discesserunt. Soror autẽ infantis expositi fraterna affectione ducta, paulo longius, quid euenturũ esset,

obſeruabat. Quę mihi uidentur omnino prouidentia Dei, cui puer curę erat, accidiſſe.

Regionis Rex charam & unicam habebat filiã. Hæc, ut fertur, cũ iam diu nupta eſſet, nunq̃ conceperat, quare prolis præſertim maſculę, quæ opulentã paternæ felicitatis ac principatus hæreditatem caperet, erat admodũ cupida, ne deficiente ſobole ad alienos perueniret. Quãobrem eo die q̃ maximè triſtis atq; ſollicita, licet domi manere, nec porta pedẽ efferre ſolita eſſet, tamen curarũ onere fatigata ſe cũ ancillulis ad flumẽ cõtulit, cumq; balneo uſura eſſet, in carecto denſiſsimo puerũ conſpicata, ut ad ſe afferretur, imperauit, eumq; à uertice ad pedes uſq; contẽplans, pulchram habitudinẽ & formã cõmẽdauit, cumq; lacrimantẽ cerneret, nõ aliter, ac ſi ꝓprius fuiſſet filius, materna affectione miſerata eſt. Sciẽs autẽ illũ eſſe filiũ Hebręorũ, Regis edictũ metuentiũ, quomodo tolli educariq; poſſet, cõſulebat. Neq; enim tutum exiſtimabat, eum ſtatim in regiam ferri. Adhuc igitur ambigenti ſoror pueri, quæ tanq̃ è ſpecula dubitationẽ ipſius conijciebat, accurrit, & rogat, an eum à mulieribus Hebræis lactari uelit, illaq; annuente, ſuã & infantis matrẽ tanq̃ alienã adduxit, quo prõptius libentiq; animo occaſionẽ arriperet, ſeq; illũ mercede nutriturã polliceretur, Deo ſic prouidente, ut prima alimenta puer germana perciperet. Tũ ipſum uerè Moſem appellarunt, ꝙ ex aqua ſublatus eſſet. Aquã enim Aegyptij Mos uocant.

Cum autẽ maiora continenter incrementa, q̃ pro ratione tẽporis acciperet, citius à mãma depulſus eſt, & à matre eademq; nutrice, cũ nõ egeret amplius lacte, redditus ei, quæ ipſum lactandũ tradiderat. Erat autem generoſa liberaliq; forma præditus. Itaq; uidens eũ perfectiorẽ, q̃ ætas pateretur, ex ipſoq; aſpectu magis, q̃ antea diligens & charũ habens, adoptat ſibi, cũ prius artificio tumorẽ uentris ſimulaſſet, quo uerus, nõ autẽ ſuppoſititius eſſe putaretur. Omnia autẽ, quæ Deus uult, quãuis difficillima ſint, facilia reddit. Regio igitur cultu atq; inſtitutis educatus, nõ ut planè puer rebus ridiculis & leuibus oblectabatur, licet ij, quorũ fidei & curæ cõmiſſus erat, permitterent, ut animum relaxaret, & nihil ei triſtè aut ſeuerũ oſtenderent, ſed pudorẽ ac grauitatem præſeferens, ijs audiendis & ſpectandis uacabat, quæ animo erat profutura.

Iã pręceptores undiq; conuenerant partim è locis propinquis, Aegyptiq; præfecturis ſponte ſua, partim è Græcia magnis præmijs accerſiti, quorũ ille facultates haud ita longo tẽpore, ingenij præſtantia doctrinã & præcepta ipſorũ anteuertens adeò ſuperauit, ut reminiſci non diſcere uideretur. Quin etiã, quæ cognitu difficillima erãt, ipſemet excogitabat. præclara enim ingenia per ſe multa noua reperiunt. Ac quẽadmodum Athletarum magiſtros ſollicitudine liberant ea corpora, quę rectè ualẽt, & oĩbus partibus bene cõpacta, & agilia ſunt, quippe quæ nihil aut parũ eis curæ præbeant, Atque item agricolas felices generoſæq; arbores, quæ ſponte ſua meliores fiunt, ſic egregius animus præripiens, quę dicuntur,

per se ipse potius, q̃ doctorũ opera iuuatur, arrepto nanq; aliquo scientię principio, tanq̃ equus, ut aiunt, per campum excurrit. Numerandi igitur dimetiendiq́; rationem, orationisq́; numeros, concentum, & modos, 1 uniuersamq́; musicam, quæ uel instrumentorũ usu, uel uocibus continetur, & philosophiã, quæ per cõparationes, & coniecturas in literis, quas sacras uocant, ostenditur, ex cõmendatione animalium, quibus diuinos honores tribuunt, & quæ artibus ac doctrinis his leuioribus cõprehenduntur, ex Aegyptiorũ sermonibus didicit. Græci autẽ aliam disciplinarum seriem tradiderunt. At illi, qui è locis finitimis uenerant, tum assyrias literas, tum chaldaicam de rebus cœlestibus scientiã docuerunt. Hãc tamen ab Aegyptijs etiã accepit. Mathematicę enim facultatis in primis studiosi sunt. Diligenter igitur ab utrisq; didicit, & in quibus inter se uel conuenirent, uel discreparent. Sine contentione autẽ lites & controuersias præteriens ueritatem inquirebat. Natura enim ipsius nihil falsi poterat admittere. cui uitio sunt affines, quicunque pro partibus pugnant, & propositi, qualecunq; fuerit, defensores, utrum probabile sit, nec ne, nihil explorantes, similes patronis operam suam mercede uendentibus, qui nihil curant, an causæ quas suscipiunt, iustæ sint.

1 Vides ex hoc loco quod studiũ liberaliũ artium, & disciplinarum, non est a scholis explodẽdum tanquã inutile, sicut garriũt nonnulli?

Cum autẽ è pueritiæ terminis excederet, prudentior euadebat, nec ut quidã solent, adolescentiæ cupiditatibus indulgebat, licet innumerabilibus illecebris accenderetur ex occasionibus, quas regna cumulatè suppeditant, sed ipsas continentia ac temperantia, tanq̃ quibusdã habenis coercens, earum impetum cohibebat. Nam reliquas ægritudines animi, quæ ad iram mœrorem ue cõmouent, natura mitigans & leniens, moderabatur. Quòd si quicquã animus tantũmodo perculsus & afflictus esset, rationis castigatio grauiorem adhibebat animaduersionẽ. Ac primos omnino animi motus atq; impetus, ut ferocem & indomitum equum obseruabat, ueritus, ne rationem, quæ aurigę munere fungi debet, prӕcurrentes omnia perturbarent. Sunt enim bonorũ malorumq́; causæ. bonorum quidẽ, cũ parent rationis imperio, malorũ autem, cum contumaces sunt, nec ei uolunt obtemperare. Quibus ex rebus fiebat, ut & qui cũ illo uersabantur, & reliqui omnes merita noui spectaculi admiratione affecti dubitarent, utrum illustris illa, quæ corpus eius incolebat mens diuina esset, an humana, an ex utroq; cõposita: Animaduertebant enim aliarũ non esse similem, sed eminere, & ad magnificentius quiddam extolli. Ventri enim præter necessarium tributum, quod natura præscripserat, nihil impertibat. Voluptatum autẽ, quæ sub uentre sunt, ne meminerat quidem, nisi quandiu liberis operam daret. Parsimoniæ uerò præcipuè studiosus erat. A' molli enim delicataq; uiuẽdi ratione, ut siquis alius, abhorrebat. quippe qui animo tantum uiuere cupiebat, nõ corpore. Philosophię prӕcepta ex quotidianis actionibus ostendebat, sic loquens, ut sentiebat, ita se gerens, ut ad orationis uitæq; concentum dictis facta congruerent, ut qualis sermo, talis uita, & qualis uita talis sermo reperirentur, uicissimq́;

ſibi tanq̃ in inſtrumento muſico concinentes reſponderent.

Iam cũ multi, ſi proſper aliquis fortunæ flatus eos pauliſper prouexerit, inflati magnos ſpiritus tollant, & humiliores deſpiciãt, eosq́; quiſquilias, ſordes, incõmoda, inutilia terræ pondera, & alijs id genus nominibus appellent, non aliter, ac ſi cõmutabilem ipſi fortunæ conditionem apud ſe in tuto ſtabiliq́; loco cõcluſam obſignatamq́; contineant, cũ ne poſtridie quidẽ eodẽ fortaſſe futuri ſint ſtatu. Quid enim fortuna mutabilius, quæ humana cuncta ſurſum deorſum uerſans, uno eodemq́; die ſæpe ex celſo loco poſitum deprimit, abiectumq́; ſublimem tollit? Hæc iſti cum ſemper fieri uideant planeq́; intelligant, domeſticos tamen atq; amicos contemnunt, legesq́;, ſecundũ quas geniti educatiq́; ſunt, uiolant, & mores atque inſtituta patria, quæ meritò reprehendi non poſſunt, mouent, atque diſſoluunt, rerumq́; præſentium ſtudio, nullius ueterum memoriam retinent. Ille uerò felicitatis humanę faſtigium aſſecutus, cum tanti Regis nepos, auitiq́; regni ſic, ut nullus unq̃ filius magis, hæres omniũ ſpe exiſtimaretur, atq; adeò Rex iuuenis uocaretur, diſciplinã tamen, in qua natus erat, à maioribus traditam ſtudioſè coluit, eorũ, qui ſe adoptauerant, bona, licet tẽporibus ſplendidiora eſſent, aliena tamen adulterinaq́; putans, eorum uerò, à quibus fuerat procreatus, quanuis exiguũ ad tẽpus obſcuriora forent, propria tamen germanaq́; iudicans, tanq̃ incorruptus quidã iudex utrorumq;, hos amore beneuolentiaq́; promptè proſequebatur, illos ut de ſe benemeritos grata uoluntate remunerabat, idq́; perpetuò præſtitiſſet, niſi nouum & nefarium à Rege ſcelus in ea regione patratum aſpexiſſet.

Hoſpites enim, erant Iudæi, Nam maiores, unde genus ducebant, ut antea diximus, ex Babylone atq; alijs regnis penuria uictus in Aegyptũ demigrauerant, & ſupplices quodãmodo ad Regis fidem indigenarũq́; miſericordiã tanq̃ ad ſacrum Aſylũ confugerant. Hoſpites enim apud eos, à quibus ſuſcipiuntur, meo quidẽ iudicio ſupplices ſunt. Nec ſupplices ſolũ erant, & amici, ſed incolæ iam ad parem cum urbanis honorem aſpirantes, ac propè ciues ab ipſis indigenis parum differebant. Hos, qui proprijs ſedibus relictis in Aegyptum tanq̃ in alterã patriã conceſſerãt, regionis princeps non ſecus, ac ſi eos aut bello cepiſſet, aut emiſſet à dominis, quorũ in ædibus uernæ nati eſſent, ſeruitute opprimebat, eosq́; ut mãcipia tractabat, qui nõ ſolum liberi erant, ſed hoſpites, & ſupplices, & incolæ, & Deum liberis, hoſpitibus, ſupplicibus, familiaribus præſidentẽ, taliumq́; facinorum inſpectorem ac uindicem nihil ueritus aut reformidans. Ad hęc eos nouis quotidie laboribus premens maiora, q̃ ſuſtineri poſſent, onera imponebat. Ea ſiquis propter imbecillitatẽ detrectaret, ferrum præſtò erat. Operibus homines immitiſsimos, ac ſæuiſsimos, neminiq́; ignoſcentes præfecerat, qui ex ipſa re operũ exactores appellabant. Lutum alij conflandis lateribus conficiebant; alij paleas undiq; cõportabant: Laterum enim uincula ſunt paleæ: alij domos, muros, urbes extrue-

bant: alij excindebant lapides, materiā ipsi die noctuq; nullis succedentibus exportantes. Nulla dabatur quies, adeò, ut ne somnū quidē capere liceret. Omnia & opificū & ministrorū munera obire cogebantur. Itaque breui prius animi concidebant, tum corpora defatigabātur, atq; ita tanq̃ pestilenti lue correpti, alij post alios interibant. Hos 2 insepultos extra fines abijciebant, & tam miserabiliter defunctis propinquos aut amicos non solū puluerē inijcere, sed ne illacrimare quidē permittebant, ut animi etiā affectionibus, quas propè rerum omniū solas natura liberas esse uoluit, seruitutem intolerabili grauioris necessitatis onere affligentes impij minitarentur.

2 *Cum dānet crudelitatis Aegyptios, q̄ mortuos Hebræos sepeliri non permitterent, constat pietatis opus eē sepelire mortuos, & deo placere.*

Hæc ille ferens iniquo animo, uehementerq; dolens, cum nec iniurios ulcisci, nec læsis opitulari posset, oratione, quantum poterat, adiuuabat, præfectos monens, ut moderatè se gererent, & mādatorum acerbitatem mitigarent atq; remitterent: operarios autem cohortans, ut præsentem fortunā fortiter ferrent, seq; uiros præstarent; nec si corpora fatigarentur, animis deficerent, sed post aduersam, prosperā expectarent. Rerū enim, quæ in mundo sint, omniū esse uicissitudinem. Cœli perturbationē in serenitatem conuerti: uentorum uiolentiam in placidū aeris statum: turbulentam maris tempestatē in quietam tranquillitatē: res item humanas sic agi, atq; eo magis, quo sunt mutabiliores. His ce rationibus se grauissimos eorū morbos ut bonus medicus lenire, ac leuiores reddere existimabat. At illi paulisper mitigati rursum irruebant, & ex respirādi interuallo nouum aliquod omnino & grauius malum afferebant. Erant enim ex præfectis quidā planè implacabiles, atq; ita rabidi, ut à uenenatis carneq; uorantibus bestijs crudelitate nihil differrent, feræ sub humana figura, quæ corporis formam ad mansuetudinis speciem uenandi decipiendiq; causa gestabant, ferro adamanteq; duriores. Horum unū immanissimū, cū admonitionibus non mitior, sed asperior fieret, iussaq; tanta diligētia ac manuum celeritate facientes, ut ne spatium quidē haberent respirandi, ad necem usq; contumeliosè flagris cederet, de medio sustulit, æquum esse iudicans, ut qui pernicie atq; interitu hominum pascebatur, ipse perderetur ac interiret.

Hoc audito Rex indignatus est, & grauiter tulit, non q̄ unus iustè, an iniustè necatus occidisset, sed q̄ è filia natus à se dissentiens non eosdem, quos ipse, inimicos, atq; amicos iudicaret, sed odisset, quos ipse diligeret: diligeret, q̄bus ipse infensus esset, in eosq; se mitē misericordēq; p̄beret, quos summo ipse odio prosequeretur ac sempiterno. Hanc magistratus semel occasionem nacti, cū scirent adolescentē scelerū ipsorū esse memorem, eaq; opportunè uindicaturū suspicarētur, innumerabiles hinc inde calumnias in apertas aui aures intulerunt, ut etiā amittendi regni timorem inijcerēt. Id molietur, dicebant, nihil enim humile sapit, semper aliquid machinatur, ante tēpus affectat regnū. Quosdam blanditijs allicit, alios deterret minis, alios necat indicta causa, quos tibi charissimos ani-

maduertit, aspernatur, Quid iam cunctaris? an expectas, ut cogitata perficiat? Magni momenti est apud eos, qui insidias struunt, eorum cunctatio, qui petuntur insidijs.

Istorum criminationibus in Arabiam finitimam secessit, ubi tutó cōmorabatur, Deum obsecrans, ut miseros è difficillimis incōmodis liberaret, eos autē, à quibus nihil in ipsis discruciandis omittebatur, meritis supplicijs afficeret, sibiq; duplicatam hanc gratiā concederet, ut utrunque posset intueri. Hoc eius bonorū studiū, & malorū odium diligens Deus, ipsius audijt uota, nec eorū, quæ illic patrabantur, in longū, ut ipsum decebat, iudicium distulit. Interim se in stadio uirtutis Moses exercebat, ciuiliq; ratione magistra, optima uitæ genera, quæ tum in contemplatione, tum in actione uersantur, cū laude colens utebatur, & philosophiæ decreta uersans. studioseq; animo repetens, ita memorię commendabat, ut nunq̄ obliuisceretur, eaq; statim factis exprimens laudē īueniebat apud omnes. Quanq̄ nō uideri, sed esse laudabilis studebat. Sibi enim tanquā signū proposuerat rectā naturæ rationē ac legē, quæ sola uirtutum est & principium & fons. Alius ergo implacabilē inexpiabilemq; Regis iram fugiens, ac tum primū in alienā regionē profectus, incolarū mores ignorans, nec planè sciens, quibus rebus delectarentur, aut à quibus abhorrerent, etsi quietam & uulgo incognitā uitā agens latere potius uoluisset, q̄ in publicū sese cōferre, eos tamen qui potentia atq; opibus plurimum possent, officiorū assiduitate rationibus suis studuisset adiungere, unde subsidiū & opem expectaret, siqui uim aduenientes sibi conarentur inferre. Ille uerò diuersam à cōmuni sententia uiam ingrediebatur, saniora animi consilia sequens, nec supplantari se, aut decipi patiebatur. Quam obrem maiores nonnunq̄ uiribus animos tollebat, iustitiā satis per se firmam atq; expetendā existimans, eaq; incitatus imbecillioribus ultrò ferebat auxiliū. Quæ autē eo etiā tēpore gesserit, dicam. Licet enim parua uideri queant, non à parua tamen sapientia profecta sunt.

Apud Arabes mos est, ut armenta gregesq; pascant, non uiri solū, sed fœminæ, nec pueri tantū sed uirgines, non modò obscuris, sed illustribus ortæ parentibus. Septem igitur puellæ sacerdotis filię gregem duxerāt ad quendā fontem, urnasq; funibus uinctas una ab alia, quo labor in singulas ex æquo dispertiretur, ordine excipientes alacriter admodū canales in propinquo sitos implebant. Accedentes autē alij pastores contempta uirginum imbecillitate, eas unà cū grege conabātur expellere, gregesq; suos ad paratum potū adducentes alieni percipiebant laboris fructum. Quod intuens Moses, qui non procul aberat, sed propè stans morem & institutum illud attentè considerabat, ab iniuria, inquit, nō temperabitis? Auaritiæ'ne uestræ suffragari solitudinem existimatis? Non'ne erubescitis, qui brachia & ulnas inertes alitis? Vos setæ profundę, ac uentres estis, non homines. Illę quidē uirgines animos uiriles gerunt, quæ nihil eorū, quę agenda sunt, negligunt. Vos aūt iuuenes delicijs muliebribus uacatis.

Facessite hinc, atque illis cedite, quæ priores aduenerunt. Vos'ne, quos æquius erat, illis aquæ copiam haurire, haustam ab eis uultis intercipere? At per cœlum iustitiæ oculum, ea, quæ uel in maximis geruntur solitudinibus, perspicientē, non auferetis. Me nanq; prębuit adiutorē, qui istud non expectē, sed illis iniuria affectis opem feram cū magna manu, quā auaros aspicere nefas est. Sentietis autem eam ex occulto uos uulnerantem, nisi sententiam mutatis.

Hæc illo dicente, ueriti, ne uaticinaretur, & oracula funderet, siquidē numine afflatus, & in prophetæ speciem mutatus uidebatur, ab incępto desistunt ac parent, & uirginū gregē suis post habitis priorē ad canales ducunt. Illę uerò uehementer lętæ domū reuerterunt, & quæ prętet spē acciderant, sic enarrarunt, ut magno hospitis desiderio patrem affecerint. Reprehendebat autē eas, ꝙ ingratę fuissent, cur, inquiens, eum dimisistis, quē oportebat statim adducere, & resistentē obsecrare? Ecquid inhumanitatis in me deprehendistis? Nullos uobis amplius iniuriam facturos sperratis? Defensorū præsidio necesse est beneficiorꝫ immemores indigere. Verū, quandò peccatū adhuc corrigi potest, recurrite festinantes, & hominē, cui gratia debetur, aduocate, ut hospitio susceptū remuneremus. Properant uirgines, & eū non procul à fonte reperiunt, mandatumq; patris exponentes persuadent, ut domū ueniat. Cuius aspectum ille statim, & paulo post sapientiam admiratus, (Egregia enim ingenia perspicua sunt, nec ad ea cognoscenda longum tempus est necessarium) ei filiarū pulcherrimā in matrimonium dat, ex unico officio in illo esse conijciens omnium uirtutū decus. Honestum enim per se amabile est, nec alterius eget cōmendatione, sed proprijs insignibus splendet.

Post nuptias autē acceptos pascebat greges, atque ita ad gerendū imperium erudiebatur. Præfuturus enim mansuetissimo hominū gregi, pastorali cura ad regnū administrandū ante instituitur & exercetur, ut illi qui natura bellicosi sunt, uenatorijs artibus. In his enim exercituū duces futuri præmeditantur, quæ sint agēda, exercitationisq; materiam ex animalibus ratione uacantibus sumunt, ut prædiscant, quæ utroque imperij tēpore, tum belli, tum pacis præstare oporteat. Nam agrestium inter uenandum insectatio, est hostium persequendorꝫ institutio. Cicurū autem cura & gubernatio, est regia subditis imperandi disciplina. Quamobrē non contumeliæ, sed insignis honoris causa, populorum pastores Reges appellantur, Mihiq; non ex uulgi opinione sed ex sententia eorum, qui rem ad ueritatē explorant (rideat, qui uelit) solus ille uidetur Rex perfectus futurus, qui scientiæ pastoralis peritus in deterioribus animalibus didicerit, quæ pertinent ad pręstantiora. Magna enim perfici nequeunt, ante parua.

Cum igitur pastorum, qui tunc erant, optimus euasisset, idoneusq; ad ea ministranda, quę pecori sunt utilia, quoniam nullum laborē refugiebat, sponteq; sua libens & pręsens munere suo cum lętitia synceraq; fide

funge-

fungebatur, sic greges auxit, ut illi iam reliqui pastores inuiderent, cum gregibus suis nihil simile uiderent contingere, quibus cum satis pręclarè agebatur, si in eodem statu permanerent. at illius greges nisi quotidie augerentur, uidebantur imminui propter magna incrementa, quę suscipere consueuerant, tum pulchritudinis ex magnitudine & pinguedine, tũ multitudinis ex fœcunditate & salubritate. Ducebat autẽ greges in locũ irriguũ & herbosum, ubi magna pabuli copia suppetebat. Profectus igitur in quoddam nemus, spectaculum uidit admirabile. Rubus, (est autẽ rubus planta quędam spinosa atq; humilis) repente cũ nullus ignẽ intulisset, multa tanq̃ ex aliquo fonte manãte flamma, totus à radice ad summum circunfusus exardebat, & manebat tamen incolumis, nec comburebatur, perinde quasi res esset, quę lædi non posset, nec pabulum ignis ipse foret, sed igne nutriretur. In medio autem flammę cernebatur forma omnium pulcherrima, quę nullius similitudinem pręferebat, imago planè diuina ac singularis, lux clariorẽ igne splendorem emittens, quam coniecissent quispiam esse effigiem Dei. Vocetur autẽ Angelus, quoniã aspectu magnifico futura denunciabat silentio propè clarius, q̃ uoce. Rubus etenim ardens significabat eos, qui afficiebantur iniuria, ignis uerò urens, illos, qui iniuriam inferebant. Quòd autẽ ardens non cõbureretur, indicium erat, iniuria affectos ab inferentibus nõ deletum iri, sed horum quidem uim atque impetum inanem ac uanum fore, illis autem insidias non obfuturas. Nam Angelus ipse prouidentiam Dei res graues & formidolosas præter omnium spem in lenes ac placidas cõmutantis indicabat. Sed imaginem hanc diligentius expendamus.

Rubus, planta, ut dictum est, maximè imbecillis, sed aculeis tamen ita munita, ut solo tactu uulneret, ab igne, qui exurendi uim habet, non consumebatur, sed contrà potius seruabatur ab eo, talisq; manens, qualis erat ante, q̃ incenderetur, ac nihil prorsus abijciens, lucẽ acquirebat. Quibus omnibus ea describitur consolatio, qua tunc in calamitate constitutos sustentabat, hanc tantũmodo uocẽ nõ edens: nolite aĩos despondere. Imbecillitas uestra uis est, quæ feriet & uulnerabit innumerabiles; ab illis, qui uos euertere cupiunt, muniemini potius, q̃ adolebimini; mala uobis obesse non poterunt. Quinetiam cũ quis uos penitus oppressos existimabit, tum gloriam uestrã maximè illustratã aspiciet. Ignis rursum, qui corrũpendi uim habet, crudeles arguit, ac monet, ne proprijs uiribus elati confidant, sed robur imbelle redditum, atque sublatum conspicientes resipiscant. Vis enim in flamma comburendi, ut lignũ accenditur. Quòd autẽ in ligno naturã habet, ut cõburatur, perspicuè tanq̃ ignis accendit.

Hoc mirifico portento uelut euidentissima admonitione Mosi futura præmonstrat Deus, & oraculis incipit adhortari, ut populi curã defensionemq; suscipiat, quippe qui non solũ libertatis eius minister, sed etiã demigrationis ex eo loco dux haud ita multo post sit futurus. polliceturq;, se in omnibus præstò futurũ. Afflictorꝝ enim & intollerabiles iam

diu contumelias tolerantiũ, nullo homine nec ſubleuante nec miſerante, ego, inquit, miſertus ſum. Etenim, cũ & priuatim ſinguli, & uniuerſi uno conſenſu precantes & ſupplices ad me cõfugerint, à me decet auxilium expectare. Sum autẽ natura mitis & ueris ſupplicibus miſericors. Ad regionis Regẽ proficiſcere, nihil omnino reformidans. Prior enim, à quo inſidiarũ metu aufugeras, defunctus eſt, qui autẽ nũc rerũ potitur, nihil ſuccenſet tibi. Seniores ergo, qui ſunt in populo, tecum adducens dic, eũ oraculo à me euocatum eſſe, ut ex patrio more atq; inſtituto trium dierꝝ itinere inde progreſſus ſacrificet.

Moſes autẽ nõ ignorans, ſibi nec ſuos, nec alios fidem habituros, ſi me, inquit, interrogauerint, ecquod ſit nomen illius, qui miſerit me, ego autẽ id expedire nequiuero, non'ne uidebor eos decipere? primum, inquit, illis reſpondeto, me eſſe illum, qui eſt, ut cũ intellexerint diſcrimen, quod eſt inter eſſe atq; non eſſe, ſimul etiã diſcant, nullũ reperiri nomen, qđ propriè congruat mihi, cui ſoli adeſt ipſum eſſe. Quòd ſi ingenij imbecillitate percipere non ualebunt, & requirent, quomodo appeller, dicito, me non ſolũ eſſe Deũ, ſed trium uirtute inſignium uirorꝝ Deũ, nempe Deũ Abraham, & Deũ Iſaac, & Deũ Iacob. Quorũ primus ſapientiæ, quæ doctrina traditur, alter illius, quę natura percipitur, tertius eius, quæ exercitatione cõparatur, exemplar eſt. Quòd ſi nondũ crediderint, tribus portentis, quæ nemo prius nec aſpexit, nec audiuit, edocti cedent. Portenta autem illa erant eiuſmodi.

Virgam, quã habebat, iubet in ſolũ proijcere. Quæ confeſtim animata repebat, ac inter Serpentes excellens ingentis magnitudinis draco fit abſolutiſsimus, à quo celeriter recedens Moſes, ſeq; præ timore uertens in fugam, reuocatur, iuſſuq; Dei fiduciã & animũ ſumminiſtrantis, cauda draconem apprehendit. At ille, qui adhuc conuoluebatur, ad tactũ ſtetit, & in longitudinẽ ſeſe concinnè cõponens, ſtatim in ipſam uirgam reuerſus eſt. Vtraq; profectò cõmutatio admiratione digna, utra uerò mirabilior fuerit, iudicari non poteſt, cũ animi cogitatio ad utranq; pariter obſtupeſcat. Ac portentum quidem hoc primum fuit.

Alterum aũt haud multo poſt ſubſecutum eſt. Præcipit, ut manum condat in ſinu, eamq; proferat paulo poſt. Quo iuſſa faciente, manus è ueſtigio niue candidior apparet. Rurſum autẽ eam in ſinu condenti, rurſumq; proferenti in ſuum ſe colorem cõuertit, & formã propriã recipit. Hæc ſolus à ſolo docebatur, ut domeſticus apud præceptorem, ſecum habens portentorũ inſtrumẽta manum & uirgam, quibus inſtructus erat. Tertium porrò nõ minorem habiturũ admirationem nec edi, nec prędoceri neceſſe fuit. In Aegypto enim illud oportuit inchoari. Erat autẽ tale. Quantũ, inquit, aquæ ex flumine hauſtum in terrã fuderis, ſanguis nigerrimus euadet, ſic autẽ, nec colore ſolũ, uerũ natura, & ui cõmutabitur. Hoc ſanè credibile uidebatur nõ modò, propter dicentis, qui nõ mentitur, authoritatẽ, ſed etiã propter illa, quæ tum in manu, tum in uirga mi

rabiliter iam fuerant demonſtrata.

Quanuis igitur crederet Moſes, munus tamen recuſabat, ſe tenuitate uocis, & linguæ tarditate, atq; orationis inopia laborare dicens, præſertim ex quo Deũ loquentẽ audiuerat. Hominis enim in dicendo facultatem cũ ueritate cõparans, infantiã exiſtimabat. Pręterea cũ ad homines ſuperbos ac tumidos modeſtus & uerecundus ipſe mitteretur, onus id grauius eſſe ducebat, q̃ ut ei ſuſtinendo par eſſe poſſet. Precabatur igitur, ut aliũ eligeret, qui ad ſingula mandata perficienda foret idoneus. At ille pudorem ac modeſtiam eius cõmendans, ſi ignoras, inquit, quis homini os tribuerit, & linguam arteriãq;, atq; omnia humanę uocis inſtrumẽta fabricatus ſit, is ego ſum. Quãobrem nihil metuas. Ad nutum enim meũ cuncta reddentur concinna, & mutabuntur in melius, nec quicq̃ impediet, quominus uerborũ fluxus, atq; orationis copia, tanq̃ ex puro fonte, facilis leniſq; decurrat. Quòd ſi opus erit ĩterprete, os fratris tibi ſubſeruiet, ut ille quidem, quæ ex te audierit, multitudini nuntiet, tu autem illi, quæ à me acceperis.

His auditis, quoniam perpetuò contradicere, nec tutum erat, nec periculo uacabat, diſcedens, in Aegyptum cũ uxore & liberis proficiſcitur, occurrentiq; ſibi in itinere fratri exponit reſponſa Dei, ſeq; ut ſequatur, perſuadet. Huic autẽ animus ad parendum ex diuino cõſilio ſic affectus fuerat, ut nihil hęſitans ea collaudaret, promptuſq; ſequeretur. Cũ igitur una ſententia atq; uno animo in Agyptum perueniſſent, maioribus natu ex populo ſecretum in locum coactis, oracula nuntiant & declarant: Deũ miſericordia cõmotum uelle ſaluti ipſorũ conſulere, eoſq; inde ad meliora loca transferre. Ad ea autẽ Moſes illis ſe ducem profitetur. His ita conſtitutis Regẽ nõ uerentur conuenire, ut populum ſacrificaturum extra fines dimittat. Oportere enim ſe à maioribus inſtituta facere ſacrificia, nõ cõmuni aliorũ hominũ ritu, ſed ſingulari quodã more & lege à reliquis abhorrente. At ille, qui iam inde ab ipſis incunabulis maiorum ſuperbia ſuum animũ inquinauerat, nec ullũ Deũ præter eos, qui cernerentur, eſſe cenſebat, renuit, contumelioſeq; reſpondens, ecquis eſt, inq̃t, iſte, cui me parere neceſſe ſit? Ignoro nouũ iſtum, quẽ dicitis Dominũ. Nec populũ per celebritatis & ſacrificiorũ ſimulationẽ à me deficere cogitantem dimittam. Tum, ut erat difficilis, iracundus, & inexorabilis, iubet Præfectos operũ caſtigari, q remiſsionẽ otiumq; concederent, ſolutioris enim otioſiq; animi eſſe, de celebritatib9 & ſacrificijs cogitare, quæ ne in mentem quidem ueniant ijs, qui neceſſarijs laboribus ſunt occupati, ſed illis, qui in uoluptate delicijſq; uerſantur.

Grauioribus ergo, q̃ ante calamitatibus oppreſsi, cũ & Moſis nuntijs ut deceptoribus ſuccenſerent, & partim clam, partim apertè maledicta conijcerent, atq; impietatẽ eorũ accuſarent, q uiderentur Deũ mendacẽ conſtituere, pręſtare incipit Moſes portenta, quę didicerat, exiſtimans eos, qui illa conſpexiſſent, abiecta incredulitate, in qua uerſabant̃, fidẽ ijs,

quę dicerentur, habituros. Demonſtrata autē portenta ſunt, diligenter tum Rege, tum magiſtratibus Aegyptiorum ſpectantibus. Etenim cū omnes in regiā confluxiſſent, Moſis frater arreptam uirgam admodum manifeſtè concutiens, in ſolum proijcit, eaq; draco protinus efficitur. At illi, qui circum ſpectabant, & admirabantur, præ metu recedentes aufugiebant. Sapientes autē & Magi, qui aderant, quid, inquiunt, admiramini? nec nos talium rerum ignari ſumus. Sed earum effectricē artem callemus. Tum proiectis, quā quiſq; tenebat, uirgis, Serpentes totidem apparuerunt, qui circa primum illum unum obuoluebantur. Ille uerò cum diu oberraſſet, ſe ſublimem excitat, dilatat pectora, fauces aperit, attractuq; ſpiritus atq; impetu uehemētiſsimo cunctos tanq̄ piſcium iactum undiq; colligit, collectoſq; deuorat, & abſorbet, atq; in priſtinā uirgę naturam redit.

Iam magnifico uicti ſpectaculo Magorum animi coarguebantur ſuſpicari, hæc non eſſe hominum figmenta, nec artes ad fallendum excogitatas, ſed diuina uirtute fieri, cui omnia factu facilia ſunt. Verū cū perſpicuo rer̄ euentu ſic cogerentur confiteri, nec tn̄ minus audacter in ſua inhumanitate atque impietate, tanq̄ in maximo aliquo bono perſtarent, nec iniuſta ſeruitute oppreſſos miſerarentur, nec quę uerbis mandabantur, efficerent, cum uoluntatem ſuā Deus portentis & ſignis clarius iam, q̄ per oracula declaraſſet, grauioribus remedijs uti neceſſe fuit, & plagis, quibus ſolis ſtulti, qui oratione doceri non poſſunt, emendantur. Decem autem regioni illatę ſunt plagę, ut qui abſolutè peccauerant, abſoluto itē afficerentur pœnarum numero. Quę quidē animaduerſio inuſitata fuit ac noua. Totius enim orbis elementa, quibus ipſe mundus compactus & perfectus eſt, iudicante Deo, ad impiorum regionē euertendam atq; uaſtandam incumbunt, ut eius imperij poteſtas oſtendatur, qui, quę ſalubriter ad rerum omnium procreationē fecit, eadem, quando uult, ad impiorum conuertit interitum.

Sic autem ſupplicia diuidit, ut terna ex craſſioribus elementis terra, & aqua, unde corporeę etiā qualitates cōfectę ſunt, Moſis fratri permittat. Terna rurſus ex purioribus, animorumq; ſemina continentibus Moſi tantum aſsignet. Vnum utriq; commune ſeptimum tribuat. Terna reliqua ad eum numerum conficiendum reſeruet ſibi.

Iam aquæ ſupplicia primum aggreditur, ut quam Aegyptij rer̄ omnium ortus principiū exiſtimant, ideoq; ſummo in honore ac pretio habent, in ea primò puniantur, admirationemq;, atq; admonitionē percipiant. Cum igitur diuino mandato Moſis frater fluuium uirga percuſſiſſet, ille dictum ac factum ab Aethiopia uſq; ad mare in ſanguinē uertit, paludeſq; ſimul, & foſſæ, & fontes, & putei, quicquid deniq; in Agypto ex aqua conſtabat, naturā ſanguinis ſubit. Quāobrem penuria potus obſtructis puteis, qui apud ripas erant, alios effodiebant, ſed inciſæ uenę nō aliter, q̄ in ſanguinis miſsione, torrentium more fluenta ſanguinis iaculabantur,

bantur, cũ nulla aquæ lucidæ eliceretur ſtilla. Interibant igitur omnia piſcium genera, cũ id, quod uitã eis ſuppeditabat, exitium & perniciem afferret. Itaque frequenti corruptorũ corporũ multitudine paſsim cuncta fœtebant, magnusq; hominũ numerus ſiti moriebatur. Iacebant in triuijs cadauerũ cumuli, cũ propinqui non poſſent in ſepulchra defunctos inferre. Septẽ enim dies calamitas ſæuijt, donec & Moſem Aegyptij, & Deum Moſes obſecrauit, ut pereuntium miſereretur. Is autẽ natura benignus ac mitis, ſanguinẽ in dulcẽ aquã conuertit, fluminiq; priſtina pura ac ſalubria fluenta reddidit. At illi paulisper recreati, ad eandẽ ſęuitiam & iniquitatẽ reuerterunt, non aliter, q̃ ſi aut iuſtitia penitus ex hominibus ſublata eſſet, aut qui uno ſupplicio affecti eſſent, non ſolerent iterum uerberari. Quapropter, ut puerorum inſipientium mos eſt, uapulando didicerunt non eſſe contumaces. Pœna enim, quæ ponè ſequens, & cunctantium inhęrens ueſtigijs tardior eſt, ad flagitia properantes accurrens conſequitur & apprehendit.

Frater igitur Moſis iterũ iuſſus eſt, uirgã ſuper riuos, & ſtagna, & paludes extendere, ad eiusq; extenſionẽ tanta ranarũ exilijt multitudo, ut non ſolum fora, & quæ ſub dio ſunt loca, ſed uillas, & domos, & tẽpla, & quicquid deniq; priuatũ ac publicũ erat, cõplerent. Tanq̃ ſi genus unum beſtiarũ aquatilium natura in aduerſariorꝫ regionẽ quaſi coloniam deducere cogitaſſet. terra enim aduerſatur aquæ. Quamobrẽ cum nec domo egredi poſſent, quoniam angiportus obſidebantur, nec domi manere, q̃a iam ad ſumma uſque faſtigia intima quæq; erant occupata, in maximis moleſtijs & ſalutis deſperatione uerſabantur. Quare rurſus ad eoſdẽ confugiunt, pollicente Rege, ſe permiſſurũ, ut exeant Hebræi. Precibus igitur eorꝫ placato Deo atq; annuente, ranæ partim ĩ fluuium receſſerunt, partim interierunt ſtatim, earumq; cumuli erant ĩ triuijs, quos augebãt, alias ex ædibus efferentes. Quare fœtor intolerabilis proficiſcebatur ex cadaueribus earũ, quæ etiam dum eſſent uiuæ, magnam ſenſibus moleſtiam afferebant.

Cæterum cũ à ſupplicio parumper reſpiraſſent, quemadmodum in certaminibus athletæ colligunt uires, ut fortius pugnent, malorum, quæ ante perpeſsi fuerant, obliti, ad ſolitam malitiam reuerſi ſunt. Deus autẽ omiſsis pęnis, quas inferebat ex aquis, eas, quas illaturus erat ex terra, aggreſſus eſt, adhibito eodẽ punitore, à quo, ut iubebatur, uirga percuſſum ſolum effudit cinifum copiam, quę diffuſa ueluti nebula uniuerſam Aegyptũ occupauit. Hoc autẽ animal licet minimũ ſit, eſt tamen moleſtiſſimũ. Neq; enim ſummã tantũmodò cutẽ lædit, & uellicans incitat, quod moleſtè acerbeq; pruriat, ſed in nares, & aures penitus ingreditur, & in oculorꝫ etiam pupillas inuolat, niſi cuſtodias. Quæ uerò aduerſus impetum eius poſsit eſſe cuſtodia, præſertim ſi Deus puniat?

Quærat fortaſſe quiſpiam, cur tam abiectis animalibus regionẽ uaſtari, cũ urſis, leonibus, pardis, & alijs eiuſdẽ generis feris indomitis, & ĩma-

nibus, quæ humana carne uescuntur, uti potuerit, aut certè ægyptijs aspidibus, quarũ morsus sine mora necare solent. Hic igitur illud, primum, si uerè nescit, discat, regionis incolas Deum admonere potius, q̃ interimere uoluisse. Nam si eos funditus perdere decreuisset, non animalium opera ad eam rẽ usus esset, sed supplicijs solitis, fame, & pestilentia. Deinde documentũ illud percipiat, quod in omnẽ uitam necessarium est. Homines cũ bellum gerunt, sibi ualidissimum quodq; præsidium exquirere, quod imbecillitatẽ suam admirabilem reddat. Deum uerò, qui summa & maxima potentia est, si ad irroganda supplicia uelit quibusdam tanq̃ instrumentis uti, nõ fortissima & amplissima, quorũ ipse robur minimè curat, sed tenuia paruaq; deligere, quibus inexpugnabiles & inuictas opes euertens, sceleratos puniat atque ulciscatur. Id quod tunc etiam egit. Quid enim cinife uilius aut abiectius? Quo tamen tota Aegyptus exclamare & confiteri coacta est, id esse digitum Dei. Nam Dei manũ ne uniuersa quidem terra, q̃ longè lateq; patet, imò uerò ne totus quidẽ orbis sustinere queat. Atq; hæc quidẽ per fratrẽ Mosis supplicia fuerunt illata. Quæ autẽ ipse, & ex q̃bus naturę partibus irrogarit, deinceps cõsiderabimus.

Aër igitur, & cœlum, purissimæ partes uniuersi, aquę & terræ, in Aegypto, cuius arbiter constitutus erat Moses, castiganda succedunt. Cępit autẽ prius aërem permouere. Aegyptus enim sola pręter morẽ regionũ, quæ ad austrum uergunt, unã ex anni tẽpestatibus hyemalem nõ suscipit, ob eam fortasse causam, q̃, ut ferunt, à cingulo, qui semper ardore torretur, nõ procul abest, unde calor cõtinuò fluit, & omnia quæ sunt in circuitu, calefacit. aut forte, quia cũ ad æstiuas solis conuersiones flumen augeatur, omnes nebulas attrahit atque consumit. Aestatis enim principio incipit crescere, & desinit ad eius finẽ. Quo tẽpore contra ora nili Etesiæ perflant, à quibus prohibitus in mare, quod ea uentorũ ui intumescit, ingentesq; fluctus tanq̃ muros opponit, defluere, intus uoluitur, cumq; & undę occurrant ipsi sursum à fontibus decurrenti, &, cũ per ostia egredi debeat, propter impedimenta reuertenti, nec utrinq; coërcentibus ripis dilatari queant, ut par est, tollitur in sublime. Ac forte hyemẽ in Aegypto fieri superuacaneum esset. Flumen enim stagnans idem cõmodum affert, quod ex imbrium copia solet proficisci, ut annui fructus proueniant. Natura autẽ nihil frustra molitur, quod eueniret, si pluuiam terræ non egenti suppeditaret, & multiplici uariaq; operũ scientia delectatur, quippe quæ uniuersi concentum ex contrarijs effecerit. Itaque pluuiæ commoda tum sursum è cœlo, tum deorsum ex fontibus fluminibusq; subministrat.

Cũ igitur Aegyptus ita constituta sit, & hybernis tẽporibus uer agat, atque illæ duntaxat partes, quæ mari proximę sunt, tenuibus guttis pinguescant, quæ uerò supra Memphim Aegypti Regiã sunt positæ, nunq̃ omnino niue conspersæ fuerint, repente sic imutatus est aër, ut quę difficillima hyemis tẽpora solent afferre, cũcta simul ingruerint, imbrium

copia,grauis ac multa grandinis uis, uentorum inter se decertantium,& collidentium impetus,quo nubes effringebantur, fulgura, tonitruaq; sibi uicissim respondentia, perpetua fulmina, quę spectaculum maximè formidandum prębebant, per grandinē enim, quę pugnacē naturā obtinet,cursitantia nec eam liquefaciebant, nec ab ipsa restinguebantur, sed oberrando grandinē conseruabant. Quorū omnium cū immensa copia, tum insolentia in summā desperationē habitatores adducebat. Suspicabantur enim id,quod res erat,ea,quę cōtingebant,immitti ab ira diuina; quę noua & post hominum memoriam inaudita ratione ad arborū fructuumq; interitum & exitium aërem immutaret. Simul etiam non pauca animalia partim frigore,partim grandinis ad lapidum similitudinem ingruentis pondere obruta, quędam ab igne uel combusta, uel semiusta uulnerum à fulminibus illatorum notas ad inspectantium monitionem præferebant.

Verum cum calamitas paululum cessasset, Pharaoq; rursum eiusq; familiares superbè se gererent,iubente Deo Moses in aerem uirgā tollit, statimq; uentus uiolentissimus auster exortus est, totamq; diem ac noctem perflans uehementius intendebatur,qui cū magno per se detrimēto esset,exiccat enim,caput lędit, aures obtundit, molestiasq; & dolores affert,præsertim in Aegypto ad australes partes exposita,per quas cum uersentur stellæ,quæ lucē ferunt,fit,ut excitato solis ardore,ipsę quoque simul excitentur, tum innumerabilem locustarū multitudinē importauit,qua quidem animalia difficilia plantisq; perniciosa, fluminis instar à fulminibus grandineq; relictas arbores obligurierunt, ut nullum in tanta regione germen cerneretur. Tum demū magistratus grauiore domesticorꝫ incōmodorꝫ sollicitudine cōmoti ad Regē accedunt, & quousq;, inquiunt,exitū hominibus differs? An nondum ex ijs,quæ contigerunt, Aegyptū perditam,& uastatam intelligis? Quibus ille,quo uideretur indulgere,cuncta,si calamitas auferretur,pollicebatur. Quare precāte Mose uentus exortus è mari locustas disiecit ac dissipauit. Quo tamen facto cū Rex de populo dimittendo nihil lenius consuleret, ecce tibi malum, quod præterita mala magnitudine superabat.

Repente cū dies clarus eluceret,offunduntur tenebræ solito obscuriores,uel ꝙ sol ipse deficeret, uel ꝙ nubes continuæ,& densissimę inter se coactę coniunctæq; radios eius interciperent,ut dies à nocte nihil discreparet,quæ tamen nox longissima trium dierum totidemq; noctium spatium exęquaret. Tunc quidē aiunt, Aegyptios in lectulis proiectos non ausos esse consurgere, aut si qua naturæ necessitas coëgisset, parietibus, aut alij cuipiam adnitentes rei ueluti cęcos uix potuisse progredi. Nam utilis ignis splendor aut ui tēpestatis extinctus erat, aut tenebrarū densitate uincebatur. Quamobrem maximè necessarius uidendi sensus, aliorumq; sensuū princeps defecerat,cumq; homines uidere nō possent,nec reliquis sensibus uti poterant, qui tanquā mortuo duce erant profligati.

Nec enim loqui, nec audire, nec cibũ capere quisq̃ ualebat, sed omni sensuum carentes usu, calamitateq; correpti, silentio & inedia cuncti uitam produxerunt, quoad misertus eorũ Moses orauit Deum, qui pro tenebris lucem, & pro nocte diem clarum serenumq; reddidit.

His plagis Aegyptios à Mose solo afflictos dicunt fuisse, grandine ac fulminibus, locustis, & tenebris, quæ nullam lucis speciem reliquerunt. Vnã autem intulit simul cũ fratre, quã statim explicabo. Dei iussu manibus è camino cinerẽ sumunt, eumq; Moses in aerem spargit. Tum ex improuiso puluis sublatus hominibus atque animalibus ratione carentibus inhærens, totã ipsorũ cutim & pellem molestè ac turpiter exulcerat, corporaq; confestim efflorescentibus purulentis papulis scatebant, quas occultè intus accensas coniecisset aliquis ebullire. Quapropter doloribus, & molestijs ex ulceribus illis affecti, excruciatiq; nõ minus animis, q̃ corporibus laborabant. Vnũ enim à uertice ad calcem perpetuũ ulcus uidisses, cũ sparsę pustulę in unã & eandẽ formã coalescerent. Donec legislatoris precibus, quas pro laborantibus fudit, morbo subleuati sunt. Hæc animaduersio conuenienter utriq; cõmissa fuit, fratri quidẽ propter puluerem, qui sublatus adhęserat, quoniam ipse eorum, quæ ex terra contingebant, procurationẽ sortitus fuerat: Mosi uerò propter aerem ad affligendos incolas cõmutatum, quia plagarũ, quæ ex aere & cœlo fiebant, ipse erat minister. Reliqua tria supplicia sponte sua neutro administrante cõtigerunt, quæ sigillatim pro uiribus exponam.

Primũ autem ex his fuit ab animali omnium, quæ natura tulerit, audacisimo Cynomyia, sic enim aptè sapientes, à quibus nomina rebus imposita sunt, illud appellarunt, ex duobus impudentisimis animalibus uocabulum cõponentes, musca nimirum, & cane, altero ex ferarũ, altero ex uolucrũ genere: volitat enim musca, cursitat canis, sine timore, & quãuis repellantur, pertinacisimè contendunt, donec sese hic carne, illa sanguine saturauerit. Cynomyia autẽ, seu musca canina audaciam ab utroque mutuata est. Est enim mordax & insidiosum animal. Nam è longinquo tanquã sagitta stridens cũ strepitu irruit, & magno cũ impetu superueniens sese applicat. Tunc autẽ diuinitus immissa, grauius damnũ inferebat, cũ non solum à natura instructa, sed etiam à diuina prouidentia, quę ferocitatem illius ad incolarum cruciatum excitauerat, armata conduplicatis uiribus uteretur.

Post muscam caninam secutum est alterũ sine opera humana supplicium, nempe animalium internecio. Siquidem ouium caprarumq; greges, & omnia iumentorum, armentorumq; genera uno die, tanquã una sententia pasim occiderunt. Qua quidẽ significatione interitus hominum, qui paulo post erat futurus, portendebatur, id quod in pestilentia fieri cõsueuit. Anteq̃ enim lues ac morbi pestilentes in homines sęuiant, improuisi brutorum interitus accidunt. Decimũ postea, postremumq;, atq; omnium, quæ p̃cesserant, grauisimũ iudicium fuit cędes Ægyptio-

rum,

rum,non omnium quidē,neq; enim regionē penitus euertere,& in solitudinē redigere decreuerat Deus,sed admonere: nec uniuscuiusq; ætatis uirorꝫ & fœminarũ. Nam reliquos permittens uiuere, solos primogenitos morte mulctauit,initium faciens à natu maximo filiorꝫ Regis,finem autem in filio obscurisimę mulierculæ,quę molebat in pistrino.

Etenim circa mediam noctem,qui primũ patres & matres appellauerant,quiq; uicisim ab eis filij uocati fuerant,cũ integra ac firma ualetudine essent,omnes cuiuscunq; ętatis,nulla id exigente causa, improuiso uitam amiserunt; nullamq; domũ calamitatis expertem fuisse dicunt. Cũ autē dilucesceret, uidentes singuli pręter expectationē defunctos charissimos filios,quibus cũ ad uesperã usque simul eundē capientes cibum,ad eandem mensam discubuerant, omnia luctu cõpleuerunt. Ex quo factũ est,ut in cõmuni calamitate simul omnibus una uoce exclamantibus, ꝙ longè lateq; regio habitabatur,unica lamentatio resonaret. Ac quandiu singuli in suis ædibus constiterunt,uicinorꝫ malum ignorantes suã tantũ modò uicem lugebant,cũ uerò egresi cognoscerent,idē cęteris accidisse, duplici mœrore sunt affecti, ad priuatũ enim & leuiorē publicus & grauior accedebat,quo spes etiam cõsolationis auferebatur. Nam quis alium consolaretur,qui egeret ipse consolatione?

Cũ igitur pręsentia,quod in eiusmodi rebus fieri solet,grauiorum initium esse dubitarent,uiuentibusq; metuerent,ad regiam lacrimãtes concurrerunt, scisisq; uestibus contra Regē uociferabantur, ꝙ ipse malorũ omnium author extitisset. Nam si cũ primũ Moses,aiebant,eum conuenit,exire populum permisisset, nihil eorũ omnino, quę pertulimus,experti essemus. Cęterũ Rege solita peruicacia concedente, ut importunę cõtentionis pręmia celeriter caperent,Hebræos,alium alius,omni studio cohortabantur, ut ex omni regione confestim recederent, in eorũ enim unius diei,ĩmò uerò unius horæ mora damnũ incredibile formidabant. At illi expulsi uexatiq; nobilitatis suæ cogitationē susceperunt. Itaq; facinus aggresi sunt liberis hominibus, & qui non essent ĩmemores eorũ, quæ iniustè pertulerant,dignũ.Ingentē enim prædã tum sibi tum iumētis impositã exportarunt,non auaritia ducti,nec,ut iniquior aliquis diceret,ꝙ aliena ullo modo cõcupiscerent,sed primũ quidem,ut necessariam totius tēporis,quo seruierant, mercedē ferrent, deinde ut quas seruitute opprefsi iniurias acceperant, non pari sed leuiori ratione ulciscerentur. Quid enim simile habet pecunię detrimentum & iactura libertatis,pro qua non facultates solum,sed uitam ipsam profundere sapientes non dubitant? Vtranq; igitur ob causam rectè fecerunt,uel ut in pace mercedē reciperent,quam diu ab inuitis extorquere nõ potuerant,uel ut in bello res hostium auferrent,atq; uterentur iure uictorꝫ.Nam illi quidē iniquo dominatu hospites & supplices,ut ante diximus, in seruitute tanꝗ mancipia detinuerant, ipsi uerò data occasione, dupliciterq; sibi in apparatu bellico iustitia opem atq; auxilium ferente,se uindicarunt.

Tot plagis atq; suppliciis Aegyptus castigata & cōmonita fuit, quorum nullum attigit Hebræos, licet in eisdem urbibus, & uicis, & ædibus uersarentur, insectantibus eos terra, aqua, aere, igne, partibus naturę, quę uitari non potest. Quod profectò fuit maximè admirandum, ut eædem res iisdem in locis & tēporibus alios euerterent, alios cōseruarent. Fluuius in sanguinē uertebatur, sed non Hebræis. Cū enim ipsi uolebant haurire, aquā potui idoneam præbebat. Ranæ, quę de flumine exilientes plateas, stabula, domos implebant, à Solis Hebræorum ædibus recedebant, tanq̃ diiudicare sciret, quos punire, quos nō, oporteret. Cinifes, musca canina, locusta, quę fruges, & fructus & bestias & homines magnis afficiebant detrimentis, ad Hebręos non accedebant. Imbrium, grandinis, fulminū perpetui impetus ad Hebręos non appropinquabant. Vlcera, quę grauissimas afferebant molestias, Hebręi ne in somnis quidem patiebantur. Cum densissimę reliquis tenebræ essent circunfusæ, his in luce pura uersantibus dies splendebat. Sublatis Aegyptiorum primogenitis, Hebręis nullus interiit, & meritò quidē, quandò nec cæterorum animantium interitus ullum perdidit gregem Hebręorum. Quãobrem sicui forte contingebat interesse ijs, quæ gerebantur, is, opinor, Hebræos nihil aliud, q̃ malorum, quæ alij perferebant, existimabat esse spectatores. Ex quo religionem ac pietatem, qua nulla disciplina pulchrior est aut utilior, edocebantur. Nunq̃ enim tam euidens iudicium in bonos & malos factū est, ut, quēadmodum eo tempore, perniciem malis, bonis salutem afferret.

Sexcenta hominum millia qui ætate firma, uiriliq; erant, & eo amplius emigrarunt. Reliqua senum, puerorum, fœminarumq́; multitudo haud facilè numerari posset. Accessit aduenarꝝ seruorūq; colluuies, quę tanq̃ adulterina turba germanam sequebatur. Erant autē hi ex mulieribus Aegyptijs geniti, & siqui peregrini admiratione & studio diuini cultus tenebantur. Et qui frequentium suppliciorꝝ multitudine & magnitudine resipuerant, ad melioremq; frugem sese receperant. Quorum omnium dux & imperator cōmuni consensu Moses delectus est, nō eorum more, qui principatus armis & fraudibus, & equitum, ac peditum copijs, & classibus per uim sibi uendicāt, sed uirtute, probitate & beneuolentia in omnes, quam perpetuò conseruauit, & nutu Dei, qui uirtuti honestatiq; fauens, meritū ei munus honoremq; tribuit. Etenim cū Aegypti dominatum, sceleribus, quę in ea regione cōmittebantur, offensus reliquisset, q; eius qui tunc regnabat, nepos esset, multamq́; salutē, animi nobilitate, & magnitudine, naturaliq; uitiorū adductus odio, dixisset spei, quę proponebatur, uisum est ei qui cuncta moderatur & regit, eum remunerare, Regemq́; cōstituere gentis, tum hominum numero, tum uirtute pręstantioris, quā sibi ex omnibus gentibus electurus erat, quę pro genere humano preces assiduè funderet, calamitates auerteret, res secundas ac prosperas impetraret.

Adeptus autem imperium non in eam curam incubuit, ut pleriq; so

lent,ut familiã ſuam locupletaret aut filios (habebat enim duos) ad potẽtię atq; opum amplitudinem proueheret,ut eos & uiuens imperij participes faceret,& decedens relinqueret ſucceſſores. Omnibus enim in rebus & paruis & magnis cãdido ſynceroq; animo ſeſe gerens,naturalem in filios propenſionem beneuolentiamq; uincebat, & tanq̃ bonus iudex incorrupta ratione utebatur. Nã finem illum maximè neceſſarium ſibi propoſuerat,ut de ſubditis benemereretur, omniaq; tum facta tũ dicta ad corũ utilitatem referret,nec ullam omitteret occaſionem, qua cõmunibus commodis conſuleret. Hic poſt hominum memoriam ſolus inter Principes fuit,qui nec aurum,nec argentũ cumulauit, nec exegit tributa,nec domos,nec prędia,nec greges,armenta'ue, aut ſeruos domeſticos, aut pretioſam ſupellectilem,aut facultates ullas poſſedit, cũ tamẽ poſſet omnibus copijs abundare.Puſilli enim & egentis animi exiſtimabat, caducas iſtas diuitias admirari. Quãobrem eas ut obſcuras & cæcas aſpernabatur, illuſtrium uerò ac cernentiũ naturę diuitiarum, ut ſi quis alius, ſtudioſiſsimus erat,& cupidiſſimus.In ueſtitu 3 & uictu,& reliquo cultu nihil magnificentius,aut arrogantius oſtentabat, ſed priuati hominis frugalitatem,ſimplicitatemq; ſequebatur. In ijs autem, in quibus decebat Principem antecellere, magnificentiam uerè regiam pręſeferebat. Cuiuſmodi ſunt,quę continentiam,prudentiã, fortitudinẽ, modeſtiam, ſolertiam,laborem,tolerantiam, uoluptatum deſpicientiam,iuſtitiam,cohortationẽ ad optima, reprehenſiones legitimas tum in malos animaduerſiones & ſupplicia,tum in bonos laudes & pręmia requirunt.

3 *Aduertis in ſancto duce ueſtitus & uictus frugalitatem et ſimplicitatem.*

Nuntium igitur auaritiæ,& ſuperbis apud homines diuitijs remittenti maximas perfectiſsimasq; diuitias largitus eſt Deus, parem nimirum poteſtatem & imperium in uniuerſam terrã,& mare,& flumina,& quęcunque ex alijs elementis concreta ſunt. Nam cũ uellet eum ditionis ſuę participem declarare,totum orbem ut hęredi congruentẽ poſſeſsionem cõmiſit. Quãobrem elementa ſingulã uim, quã habebant, cõmutantia ei tanq̃ domino parebant,& mandatis eius obtemperabant. Quod forte mirandum non eſt.Etenim,ſi omnia,ut in prouerbio eſt, amicorum cõmunia ſunt,propheta autẽ Dei amicus fuit,conſentaneum eſt,ut rerum eius,quantum opus erat,particeps eſſet.Deus enim nullius egens omnia poſsidet. Vir autẽ ſapiens nullius rei ne ſui quidẽ ipſius dominus eſt,diuinis tamen muneribus,quoad fieri poteſt,utitur,ſed nunq̃ iure ſuo. Mundi enim ciuis eſt.Qua de cauſa nulli uni aſcribi debet orbis ciuitati. Siquidem non alicuius partis,ſed uniuerſi orbis hęreditatẽ obtinet. Quinetiã, quod maius eſt,ipſo Deo rerũ omnium parente authoreq; fruitur, eodẽ effectus etiã dignus nomine. Nam totius gentis appellatus eſt Deus & Rex,& in eam nebulam,in qua erat Deus,ingreſſus eſſe dicitur, hoc eſt, in rerum uniuerſitatis exemplar,quod corporis expers,oculis uideri cerniq; non poteſt. Quæ autẽ perſpiciuntur,natura caduca & mortalia eſſe conſiderans, ſe,uitamq; ſuam ueluti pulchrè depictam tabulã in mediũ

afferens, præclarum ac diuinum opus omnibus ad imitandũ tanq̃ exemplum proposuit. Beati autẽ quicunq; similitudinẽ eius in animis suis expresserunt, aut exprimere studuerunt. Ferat igitur mens perfectã uirtutis imaginem, aut si nõ habet, firmo saltẽ ac certo illius obtinendæ teneatur desiderio. Iam illud fieri quis ignorat, ut subditi obscuriq; homines principes & illustres uiros imitentur, & ad ea, quibus eos uiderint delectari, omnem suã curam studiaq; conuertant? Ex quo fit, ut si princeps mollissimã uiuendi rationem amplexus, cœperit uoluptatibus indulgere, populus, etsi nulla necessitas urgeat, uentris, & eorũ, quæ sub uentre sunt, cupiditatibus uniuersus inuoluatur, nisi qui naturę animo nõ inimico sed beneuolo & propitio præditi sint: Sin grauius aut durius uitæ genus secutus fuerit, etiã illi, qui sunt delicatiores, uel metu, uel pudore ad illud se accõmodant, & temperantiã cõplectuntur, ut uideantur esse similium sectatores. Nunq̃ enim deteriores meliorũ instituta, ne insanientes quidẽ, improbabunt. Forte etiã, quia legislator erat futurus, multo ante factus est ipse lex animata, rationisq; compos, diuina prouidentia, quæ ipsum nec opinantem legislatorem constituit.

Posteaq̃ igitur ita Deo decernente atq; annuente, totius populi cõsensu ac studio delatum suscepit imperium, coloniã deduxit in Pheniciam, & Syriam, quę Cœle dicitur, & Palœstinã, quę tũc Cananeorũ dicebatur, cuius fines trium dierum itinere ab Aegypto distabant. Ducebat autem eos non breuiore itinere, uel q uerebatur, ne si habitatores occurrerent, metuentes, ne suis ẽ sedibus expellerentur, cõtraq; arma ferrent, rursum eadẽ uia ab hostibus nouis ad ueteres in Aegyptũ redirẽt, atq; ita derisui, ac ludibrio forent, & prioribus grauiora acerbioraq; paterentur: uel ut experiretur, quomodo per longã solitudinẽ ducti se gererent, imperioq; obtemperarent, cũ non abunde suppeterent, sed paulatim deficerent res necessariæ. Diuertens igitur à recto itinere, & uiam obliquã nactus, ad mare rubrum usq; tendere constituens, cœpit proficisci. Aiunt autẽ rem admirandam, nec post hominum memoriam prius auditam contigisse. Nubes enim ad ingentis columnę similitudinẽ conformata die quidem Solis splendorẽ, nocte autẽ flãmam ignis emittens populũ antecedebat, ne aberrarent in uia, sed sine ullo errore sequerentur itineris ducem. Erat autẽ fortasse ex principibus Magni Regis Angelus aliquis, qui nullis corporeis oculis conspicuus, in ea nube latitans uiam præmonstrabat.

At Aegypti Rex, cũ uidisset eos itinere deuio, per loca aspera, deserta, incultaq; proficisci, errore ipsorum lætabatur, existimans, conclusos esse, nec exitum reperire. Post autẽ illos dimisisse pœnituit. Itaq; conatus est insequi, sperans se uel timore multitudinẽ reducturum, redacturumq; iterum in seruitutem, uel ut à se prorsus desciscentem deleturum. coacto igitur omni equitatu, & funditoribus, ac sagittarijs, leuiq; armatura, attribuensq; sexcẽtos falcibus instructos currus ijs, qui in magistratu erãt, ut in exercitu cum dignitate militarent, egressus est, omnemq; celerita-

tem adhibuit, ut ex improuiso imprudentes opprimeret. Nam & malū, quod præter spem accidit, grauius est, q̄ id quod expectatur, & quæ negligenter custodiuntur, facilius inuadi possunt, q̄ ea, quæ cū sollicitudine seruantur. Sic animatus ille persequebatur, existimans eos à se cū clamore statim circunuentum iri. Ipsi uerò castris in litore positis cibum erāt capturi, cū primū ingentem tot hominū iumentorumq; properè aduentantium strepitum audire, tum pro castris effusi qui'nam accederent, circunspicere, & auscultare, paulopost intueri sublimem hostiū globum, & aciem instructam ad prælium. Quāobrem repentino terrore consternati, cū nec ad repugnandum essent idonei propter exiguam armorum copiam, quippe qui non ad bellū sed in coloniam deducebantur, nec saluti possent fuga consulere, q à tergo pelagus esset, à fronte hostis instaret, ab utroq; latere profunda atq; inuia solitudo protenderetur, malorū magnitudine conturbati, inopesq; consilij, Ducem, quod in eiusmodi calamitatibus fieri solet, incusabant. Quoniā in Aegypto (dicebant) non erāt sepulchra, quibus mortui cōtegeremur, ideò nos adduxisti, ut contrucidatos ī hac solitudine sepelires? Non'ne quæ'uis seruitus morte leuior est? Libertatis spe tanq̄ esca captos in grauissimum uitę discrimen induxisti. Nostrā simplicitatem, an Aegyptiorum acerbitatem & odium ignoras? Non'ne malorū, quæ uitari non possunt, magnitudinē cernis? Quid agēdum est? pugnabimus'ne cū armatis inermes? an capiemus fugā, undiq; tanq̄ retibus circunclusi ab hostibus immanissimis, uastis solitudinibus, pelago, quod nauigari non potest, atq; etiam si posset, quę nauium nobis ad trāciendum copia?

Hęc ille audiens tum ipsis ignoscebat, tum oraculorum recordabatur. Itaq; mentem orationemq; diuidens eodē tēpore mēte quidem secretò Deum orabat, ut calamitatē auerteret, quæ humano consilio uitari non posset, oratione uerò uociferantes confirmabat & cōsolabatur, nolite, inquiens, animos despondere. Non eodem modo, quo homines, ulciscitur Deus. Cur uerisimilibus & probabilibus tantùm rationibus confiditis? nullo opus est apparatu. Deus enim adiutor est, cuius propriū est, è summis difficultatibus exitum facillimū exhibere, cui quę superant uires humanas perq̄ facilia sunt. Hæc adhuc sibi ipse constans prosequebat̄, paululum autē sermonē intermittens, numine afflatur, & solito spiritu plenus oraculum edit eiusmodi: Quē cernitis instructum exercitum, nunq̄ amplius uidebitis contra uos arma ferre. funditus enim concidet uniuersus, & submersus ita delebitur, ut nullæ eius in terra conspiciant̄ reliquię, idq; fiet non longo tēporis spatio, sed nocte proxima. Sic ille uaticinabatur, cū notus statim occidente Sole uehementissimus flare cœpit, eiusq; impetu pelagus, quod turgere consueuerat, recedebat, & quo magis compellebatur ad litora, eo magis tanq̄ in uoraginem & charibdim aliquam subtrahebatur. Densæ præterea atræq; nubes totum cœlū obtegebāt, & nox erat obscurissima ad perterrefaciendos hostes, qui insequebantur.

Moses autem itai ussus, mare uirga percusit, atq; illud in duas partes diuisum est, quarum altera in sublime sublata, & instar muri compacta, firmaq; quieuit & constitit: Altera cohibita ac refrenata, quasi habenis quibusdam, quæ non cernerentur, coercebatur. Medium uerò spatium, ubi facta erat confractio, exiccatum latam amplamq; uiam præbuit. Quod Moses intuens & admirans lætabatur.

Gaudio igitur plenus cohortabatur suos, ut mouerent castra. Quod quidem cum essent facturi, signum admirabilius ostensum est. Nubes. n. quæ dux antea præcesserat, post extremũ multitudinis agmen concessit, ut inter utrunq; exercitum interiecta, oppugnatos tanq; aurigæ dirigẽs, saluos incolumesq; præmitteret, oppugnantes autẽ atque irruentes propelleret & arceret. Quibus rebus exterriti Aegyptij tumultu cũcta perturbare, ordines præ timore confundere, se se mutuò implicare, & fugam in cassum quærere. Hebræi enim summo diluculo per siccam semitam cũ mulieribus, & liberis adhuc infantibus traiecerunt. Illos uerò dissectæ pelagi partes utrinque reuertentes ac recurrentes, in mari, quod Boreæ flatibus æstuans fluctus maximos excitabat, unà cum curribus & equis sic inuoluerunt, ac demerserunt, ut qui repentinæ calamitatis nuntium in Aegyptum ferret, nullus relictus fuerit. Magnum hoc opus admirantes Hebræi præter spem uictoriam incruentam reportarunt. Sed cũ improuisum hostium interitum momẽto temporis conspexissent, duobus choris uno uirorum, altero fœminarum, in litore constitutis Deo gratias agentes laudes ipsius decantarunt, cũ Moses uiris, & soror eius fœminis præesset. Fuerunt enim hi chororum duces.

Motis autẽ castris aliquantulum à mari progresi sunt, nihil amplius terrores aduersariorum formidantes. Verùm, cum tribus diebus potu caruissent, rursum in mœrore propter sitim uersabantur. Itaque perinde quasi nullum ante beneficium accepissent, cœperunt iterum conqueri. Semper enim præsentium malorum dolor præteritæ bonorum uoluptatis memoriam tollit. Conspectis autẽ fontibus læti ad hauriendam aquã accurrerunt. Verum ignorantes eas esse amaras, cum degustassent, re inopinata offensi fractiq; & corporibus & animis conciderunt, non tam suã, q; filiorum dolentes uicem, quos potum flagitantes intueri nõ poterant. Quidam etiam eorũ petulantiores, nec ita bene in religione confirmati, præterita calumniabantur, tanq; accidissent, non ut beneficio, sed grauioribus afficerentur calamitatibus. Satius fuisset, dicebant, manibus hostiũ non semel, sed ter occidi, q; fame interimi. Celeritas enim discessus è uita sine molestia apud eos, qui sapiunt, idem est, ac si non occideres. Ea uerè mors est, cum mori sine diuturno dolore non potes. Nihil enim in morte formidolosum est, sed in eo cum tibi ad ipsam accedere uideare. Sic illis conquerentibus, Moses ad Deum supplex redit, oratq; ut cum sciat animalium omnium, sed hominum in primis imbecillitatem ex alimento pendere, corporaq; necessariò difficilium dominarum famis & sitis im-

perio seruire, afflictis ignoscat, & omnium inopiæ non longo temporis spatio, sed diuino præsentiq; munere medeatur. Naturalem enim mortalium negligentiam remedij celeritatem postulare. At ille benigna potentia sua anteuertens uigiles supplicantis oculos aperuit, lignumq; demonstrauit, ac iussit, ut illud in fontes conijceret, quo quidem, ut iussum erat, coniecto, siue à natura haberet eam uim, sed incognitam, siue tum primum ad illum usum eam accepisset, aquæ adeò dulces, & ad potandũ idoneæ è fontibus effluxerunt, ut nunq̃ amaræ fuisse uiderentur, nullã enim ad pristini saporis amari iudicium guttam stillam'ue ritinuerunt.

Extinguentes igitur sitim duplici cum uoluptate, (magis enim delectant bona, quæ præter spem eueniunt.) repletos etiam utres, tanq̃ è conuiuio atq; hilari epulo asportauerunt, ebrij nõ ebrietate illa, quæ uino excitatur, sed qua pręgustatas aquas à pietatis pręfecto imperatoreq; suo sumentes affecti fuerant. Secundis castris in Elem peruenerunt, locũ irriguum ac nemorosum, ubi duodecim fontes defluebant, iuxta quos erant tenerę palmarum plantę numero septuaginta pulcherrimæ. Quę mẽtis aciem intendentibus bona, quę ad gentẽ pertinebant, argumẽtis signisq; perspicuis demonstrabant. Gentis enim sunt tribus duodecim, quarum singulæ religiosi fontis, perẽnes pietatis aquas, atq; honestas perpetuasq; actiones suppeditantis, rationem obtinent. Generis autẽ septuaginta propagatores palmę arborũ pręstantissimæ iure comparantur, quæ & aspectu pulcherrima est, & fructuosissima. Habet aũt uitalẽ uim, non, quemadmodum reliquæ arbores, in radicibus defossam, sed sursum insitam, & cordis instar, in medio ramorũ, à quibus tanq̃ uerè dux undiq; stipatur, constitutam. Talem & mens eorum, qui pietatem gustarunt, naturã habet. Superiora suspicere uersareq; didicit, cœlestia contemplatur, diuinorumq; pulchritudinẽ inuestigans humana cõtemnit, & pro nihilo ducit, hæc ludicra adumbrataq; bona, illa solida ueraq; iudicat.

Verum nõ multo post, deficiente annona, fame laborabant, tanq̃ à necessitatibus inter se mutuò succedentibus oppugnarentur. Graues enim molesteq; dominæ fames & sitis, dispertitis affligẽdi muneribus uicissim irruebant. Quapropter accidit, ut cũ altera leuati essent, altera eos adoriretur. Quod quidem erat afflictis maximè intolerabile. Etenim cũ paulo ante siti liberati uiderentur, in malas famis insidias inciderunt. Non solũ autẽ præsenti penuria, sed rerũ necessariarũ in futurũ desperatione premebantur. Mœrebant enim uehementer, cũ profundã illam, & uastam, & infrugiferã solitudinẽ cernerent, in qua nihil aliud erat, nisi aut asperæ prærumptęq; rupes, aut salsa planities, aut mõtes lapidosi, aut arenæ profundæ in summam tendentes altitudinem, nullus fluuius, nullus torrens, nullus fons, non herba, non arbor ulla, uel domestica, uel syluestris, nullũ animal nec uolatile, nec terrenũ, nisi quę ad perniciẽ hominũ uenenata serpunt, ut angues, & scorpiones. Tum Aegypti fertilitatẽ ubertatemq; in memoriam reuocantes, & rerũ omnium copiam, quæ illic erat, cũ prę-

senti omniũ inopia cõparantes ægrè ferebant, atq; inter se talia obloquebantur: Qui libertatis spe adducti iter suscepimus, ne uiuendi quidẽ liberam habemus potestatẽ. Qui promissis Imperatoris eramus beati, factis omnium sumus hominum infelicissimi. Ecquis erit istius tam longę immensæq; uię finis? omnibus, qui uel mari, uel terra iter suscipiunt, terminus aliquis propositus est, alijs mercatus, & portus, alijs oppidũ, aut regio aliqua, nobis autẽ inuia solitudo, itineris difficultas, acerbaq; desperatio. Progredientibus enim tanq; apertũ, & profundũ, ad nauigandumq; difficillimũ pelagus ostenditur, atq; in dies singulos dilatatur. Extulit inflauitq; nos oratione magnifica, & aures nostras impleuit inani spe, qui ne uictui quidẽ necessaria subministrat. Deducendę coloniæ nomine tantã decepit multitudinẽ, ex celebri cultaq; regione, in desertam incultamq; duxit, hinc ad inferos, quę uitę uia ultima est, præmissurus.

Eiusmodi contumelijs affectus, non tã criminibus in se collatis, q̃ mentis eorũ imperitia mouebatur. Innumerabilibus enim rebus admirandis, inusitatisq; edocti, nulla debebant amplius ratione probabili, aut uerisimili cõmoueri, sed illi fidẽ habere, quẽ nulla in re mendacẽ tot euidentissimis argumentis cognouissent. Verũ cum ei ueniret in mentẽ inopiæ, & famis, quo nullũ hominibus maius est malũ, ignoscebat. Pręsertim cum sciret multitudinẽ esse natura inconstantẽ, & rebus pręsentibus, quę pręteritarũ obliuionẽ inijciunt, ad quas desperatio quoq; futurarũ accederet, cõmoueri. Cũ igitur omnes in maximis angustijs uersarentur, & extremam calamitatẽ, quã imminere, & iã iamq; adesse putabant, expectarent, Deus uel naturali clementia, & amore, quo prosequitur homines, adductus, uel ut quẽ constituerat ducẽ, honoraret, & magis adhuc institueret, ut in rebus certis & incertis religionẽ pietatemq; retineret, miseratus est, & eam repulit calamitatẽ. Noua autẽ beneficia excogitauit, ut clarioribus iam testimonijs erubescerent, non patienter ferre, si quid ex eorũ sententia non continuò succederet, æquoq;, & constanti animo meliora in posterum sperarent.

Quid igitur accidit? Postridie exoriente aurora magna roris copia circa uniuersum exercitũ apparuit, quã tacitè pluuiam insolitam & cõmutatam demiserat Deus. Etenim nec aqua, nec grando, nec nix, nec glacies erat, quę hibernis tempestatibus, nubium mutationibus fiunt, sed minutissimum quoddã, ut milij granũ, & candidissimũ, quo passim decidente, cumuli ante tentoria coacti erant, spectaculũ incredibile, quod admirati ducem interrogabant, quæ nam esset ea pluuia, nulli hominũ antea uisa, & quã ob causam decidisset. Ille uerò spiritu cõcitatus, diuinoq; afflatus numine uaticinans ita respondebat: Mortalibus terra profunda proposita est, quã findunt in sulcos, arant, & serunt, & reliqua agriculturę opera faciunt, ut fructus ad usus necessarios ferant. Deo autem non una mundi pars, sed mundus uniuersus subiectus est, & eius partes illi, ad quemcunq; uelit usum, inseruiunt. Quapropter nunc ei placuit, ut aquę loco nutri-

mentum

mentum aer præberet. Quandoquidem & terra sæpe pluuiam attulit. Nam quod in Aegypto est flumen, cũ singulis annis excrescens, atq; exundans agros oblimat & lætificat, quid aliud est, q̃ pluuia deorsum ueniens? Hoc per se quidem erat admirabile, sed alijs rationibus factum est admirabilius. Afferentes enim, alius aliunde, uasa cõplebant, & iumetis, aut humeris asportabant, eo consilio, ut in longum tempus sibi necessaria conderent, quæ tamen condi seruariq; non poterant. Deus enim noua quotidie munera uolebat elargiri. Itaq; cumulabant illi quidem cum uoluptate, quæ præsenti usui ac necessitati satis essent, sed nihil eorũ, quæ in posterum diem relinquebantur, integrum reperiebant. Commutata enim ac foetida scatebãt eiusmodi animalibus, qualia ex putri corruptione generari solent, Quamobrem illis abiectis alios inueniebant paratos cibos, qui cũ rore quotidie defluebant. Eximium uerò sacræ diei septimæ munus erat. Etenim quoniam ea die nihil fieri licebat, sed iussum erat, ut ab omnibus tam paruis, q̃ magnis operibus abstineretur, quia tunc nefas erat, cibos colligere, eos pridie duplicabat Deus, iubebatq; colligi, quantum duorum dierum spatio satis esset futurum. Collecti autẽ integri remanebant, ac nihil omnino, ut ante, corrumpebatur.

Dicam autem, quod hoc erit etiam admirabilibus. Annis quadraginta, quo quidem longo tẽporis interuallo peregrinati sunt, cõmeatus, quo diximus ordine, suppeditauit, non secus, ac si ab aliquo annonæ præfecto dimensus unicuiq; distribueretur. Præterea diem optatissimũ didicerũt, qui dies mundo natalis fuit, in quo rerũ uniuersitas absoluta est, quẽ cũ ex patribus & maioribus exquisiuissent, nec unq̃ intellexissent, uix tandem potuerunt percipere, non oraculis solũ edocti sed argumento perspicuo. Nam cũ id, quod cæteris diebus superarat, ut dictum est, corrumperetur, quod die septimũ diem antecedente defluebat, non modò manebat integrum, sed etiã altero tanto plus erat. Vsus autẽ ipsius erat huiusmodi. Sũmo mane delapsum colligebant, molebantq;, aut terebant. Deinde cocto uescebantur, ut suaui, & ex melle confecto cibo. Nec uerò dapibus exquisitis indigebant. Quãdoquidem haud ita multo post ijs etiã, quæ delicatiori uitæ conueniunt, abundarunt, non aliter, quam si in celebri copiosaq; regione uersarentur. Volebat.n. Deus, ut in ea solitudine abundè cuncta suppeterent. Quamobrem cũ aduesperasceret, coturnices è mari conuolantes præ multitudine totis castris tenebras offundebant, uolatuq; proximè se demittebant, ut facilè comprehenderentur. Captas igitur, ut cuiq; placebat, condientes, carne suauissima uescebantur, seq; in conuiuijs oblectabant obsonio necessario. Atq; his quidem copijs nunquam deficientibus abundabant.

Cæterũ grauis eos aquæ penuria rursum inuasit. Quare cũ de salute iam desperarent, Moses sumpta sacra illa uirga, qua signa in Aegypto præstiterat, diuino impulsu durã silicem percutit. At ipsa siue opportune, cũ prius fons subesset, incisa uena, siue tum primũ obscuris cauernis

in eã ſtatim aqua confluxerit, abundeq; emanarit, torrentis inſtar, aquas effudit, ut non præſenti tantũ ſiti mederetur, uerũ etiam diu copioſum tot hominũ millibus potum præberet. Nam, ut ante ex fontibus, qui cũ amari eſſent, diuina prouidentia dulces effecti ſunt, omnia uaſa repleuerunt. Hæc autẽ ſi quis non credit, is Deum nec nouit, nec quæſiuit unq̃. Hæc enim, quæ mirabilia uidentur & rationem exuperantia, ludum eſſe Deo protinus intelligeret, certoq; cognoſceret, ſi ad ea, quæ uerè magna ac ſtudio digna ſunt, oculos conuertiſſet, cœli ortum, errantium inerrantiumq; ſtellarũ choreas, lucis ſplendorẽ diurnum à ſole, nocturnũ à luna proficiſcentẽ, terræ firmitatẽ in medio mundi loco conſtitutæ, eminẽtes cõtinentis inſularumq; moles, innumerabilia animalium, & plantarum genera, mariuin æſtus, fluminũ, atque torrentium impetus, perennium fluenta fontium, quorũ alij frigidas, alij calidas effundunt aquas, annuas, diſtinctasq; tẽporũ uarietates, & alia tam multa pulcherrima, ut non modò ſingulatim omnia recenſenti, ſed abſolutiorẽ aliquã mundi partẽ explicanti tẽpus ſit defuturum, licet ei uita omnium longiſsima contigerit. Nos autem hęc uerè admiranda, quoniam in promptu ſunt, negligimus, quæ uerò non niſi raro fiunt, rerũ nouarũ ſtudio peregrinis opinionibus augentes admiramur.

Multum iam deterrimæ uiæ confecerant, cũ termini quidã & habitatę regionis ſuburbia apparuerunt. Hæc à Phenicibus incoluntur. Illuc igitur contendebant, ſperantes, ſe uitam quietã tranquillamq; traducturos, quę quidem ſpes eos fefellit. Nam Rex, qui illic rerũ potiebatur, ueritus uaſtationẽ, euocata è ciuitatibus iuuentute illis occurrit, eo quidẽ potiſsimũ cõſilio, ut à finibus ſuis ipſos arceret, ſin conarentur uim inferre, copijs ulciſceretur, & nullo labore profligaret, ut homines tunc primum bellum gerentes, & itinere penuriaq; uictus, & potus fatigatos, quibus ipſe ſingulis eſſet inſtructiſsimus. Moſes autẽ cũ hoſtium exercitũ è ſpeculatoribus haud procul eſſe didiciſſet, delectis ijs, q uigebant ætate, ijsq; Ioſue uno ex legatis duce conſtituto ad maius ipſe auxilium feſtinauit. Solitis enim purgationibus aſperſus celeriter in proximũ collem conſcedens Deo ſupplicabat, ut ſubſidium, uires uictoriamq; largiretur Hebræis, quos grauioribus è bellis, alijsq; difficultatibus liberaſſet, cũ ab eis nõ ſolum impendentes ab hominibus calamitates auerteret, uerũ etiam quas elementorũ ĩmutatio nouas in Ægypto, quasq; acerbiſsima in itinere ſitis & fames afferebant. Iam manus erant conſerturi, cũ admirabilis quædã affectio manibus eius accidit. Viciſsim enim fiebant modò leuiſſimæ, modò grauiſsimæ. Quando igitur leues in ſublime tollebantur, cõfirmabantur milites ſui, ſtrenueq; ſe gerentes ſuperiores erant. Quando autẽ graues deorſum ferebantur, uincebant aduerſarij. Quo quidẽ ſigno demonſtrabat Deus, horũ hæreditẽ eſſe terrã, atq; infimas partes: Illorũ autẽ ſacratiſsimas ætheris ſedes, & quemadmodũ in mundo terræ cęlum præſtat & antecellit, ſic Hebræorũ gentẽ aduerſarijs ſuis fore ſuperiorẽ

Quandiu igitur manus ueluti lances nunc leues, nunc graues fuerunt, tandiu anceps quoq; certamen fuit. At ubi repente sine pondere digitis tanq̃ pennis utentes, atque ut animalia, quæ naturalibus alis instructa in aere uersantur, excelsæ sublimesq; perstiterunt, nullus hostium resistere potuit. Quamobrẽ Hebræi, contra q̃ æquũ esse uidebatur, nulli parcentes ætati, iustas enim repetebant pœnas, omnibus occisione occisis uictoriam sunt assecuti. Tunc & Moses extructa ara, quã ab euentu Dei Refugium appellauit, uictimas ĩmolauit, gratias egit, uotaq; persoluit.

Post hanc pugnã censuit, regionẽ, in quã populum deducebat, lustrari oportere. Alter autẽ annus instabat, ex quo iter susceperant. Ne igitur locorũ ignaros, ut fieri solet, intulisse bellũ pœniteret, uoluit ea prius explorare, ut illis perspectis & cognitis possent, quid sibi faciendũ esset, iudicare. Quare duodecim probatissimos uiros singulos ex singulis tribubus legatos eligit, ut nulla pars plus, minus'ue ferens præstaret, omnesq; ex præfectis suis, si uera uellent referre, q̃ ad incolas pertinerent, ex equo possent intelligere. Hos ergo delectos sic allocutus est: Certaminũ, & periculorũ, quæ ad hanc usque diem subiuimus, atque pertulimus, præmia proposita sunt, loca à nobis occupanda, sorteq; diuidenda, qua quidẽ spe maximã hanc hominũ multitudinẽ, quã in colonias deducimus, falli nequaq̃ uelim. Est autẽ locorũ, & hominũ, & rerũ cognitio maximè utilis, contraq; multũ obest ignoratio. Quamobrẽ uos elegimus, ut opera uestra hæc perspecta & cognita haberemus. Tot hominũ millium uos oculi auresq; estis ad ea, quæ necessariò perspicienda, discendaq; nobis existimamus. Quæ uerò scire cupimus, tria sunt. Primũ, quanta sit habitantium multitudo, & robur. Deinde situs oppidorum, natura'ne aut manu munita sint, an contra. Postremò qualis sit ipsa regio, agrine pingues, & fœcundi, & ad omnia frugũ, fructuumq; genera ferenda apti, an exiles, maligni, & minimè fructuosi. Vt incolentium numero & robori pares copias instruamus, Munitis autẽ oppidis expugnandis machinas cõparemus. Nam & quod ad regionẽ ipsam pertinet, scire necesse est, utrum placeat, necne. Pro sterili enim ultrò se periculis offerre, dementis est. Cęterũ arma, machinæ, & omnis nostra uis in ea sola re sita sunt, ut Deo credamus, & spẽ in eo nostrã collocemus. Hoc enim muniti præsidio nihil erit tam formidandũ, cui succũbamus. Hoc uiribus, robore, audacia, scientia, multitudine pręstantes, inuictosq; lõgo interuallo superabimus. Hoc nobis in uasta solitudine rerũ omnium, quibus ciuitates abundant, copiã subministrauit. Tẽpus autẽ ad regionis uim cognoscendã est admodum opportunũ. Ver enim appetit, quo tẽpore quæ sata sunt, fruges fundunt, arboresq; gignere incipiunt. Nec alienũ erit, ad æstatẽ usque summã illic manere, ut fructus tanq̃ felicis regionis indicia perferatis.

His acceptis mandatis ad speculandũ profecti sunt, uniuersa multitudine deducente, uerenteq;, ne capti perirent, duoq; inde grauissima incõmoda sequerentur, nẽpe cædes uirorũ, qui erant singularũ tribuũ lumi-

na,& ignoratio rerũ, quæ ad insidiantes hostes pertinerent, quarũ utilis foret cognitio. Accipiunt igitur itineris exploratores,& duces,eosq; sequuntur,& ueniunt ad loca propinqua,cõscensoq; monte altissimo obeuntes regionem circũlustrant, erat planities magna hordei,ac tritici ferax,& herbosa. Montes uitibus,& alijs plantis cõsiti,tota uerò syluis nemoribusq; cõferta,& aquis tum ex fluminibus, tum ex fontibus,quibus distinguebatur,exuberans,ut omnes montiũ partes à radicibus ad summos uertices opacis essent arboribus contexti,sed colles in primis,& quę natura erant demissiora. Ad hęc cernebant oppida duplici ratione, tum locorũ opportunitate,tum operibus cõmunita. Incolas autẽ considerantes animaduertebant esse multitudine innumerabiles, statura proceros, gigantes,aut ad gigantiũ magnitudinẽ proximè accedentes,& corporũ non minus robore, quàm mole præstantes. His cognitis, ut certiora possent referre,diutius morati sunt.Species enim rerũ facilè ex animo defluunt, & tempore uix infiguntur & conseruantur. Præterea cupiebant fructus non tum primũ editos,sed planè iam maturos & qui non facilè corrũperentur,uniuersæ multitudini ostendendos asportare. In primis autẽ uitis fructũ admirati sunt. prægrãdes enim erant racemi,&,quod quidẽ spectaculum est incredibile,malleolos,ac palmites magnitudine superabãt. Vnũ igitur decerpserunt,ingentiq; fuste medium suspedentes, ita gestarunt,ut eũ utrinq; bini sustinerent,&,quoniam pondus erat grauissimũ, sibi uicissim recentes prioribus fessis succederent. De rebus autẽ necessarijs dissentiebant, multæq; inter eos fuerunt pugnæ, & in itinere, anteq̃ reuerterentur,leuiores tamẽ,ne si formidinẽ præseferrent,& alia alij nũtiarent,seditionẽ in populo cõmouerent; grauiores autẽ,posteaq̃ reuersi sunt. Alij enim urbium munitiones,& singularũ frequentiam cõmemorantes,& uerbis amplificãtes omnia,timorẽ audientibus inijciebant. Alij singula extenuantes cohortabantur, ne dubitarent ad occupandas sedes proficisci,ex templò enim uictores fore, nec ullam urbẽ tot copiarum repente irruentium impetũ posse sustinere, quin tanta mole oppressa cadat. Addebant autẽ auditorum animis,ut ipsi affecti erant,uel metum,si ignaui;uel audaciam & spem,si fortes & strenui. Sed hi quinq; partibus pauciores erant timidis & aufugientibus,illi contra quinq; partibus plures generosis atque magnanimis.

Verũ paucorũ uirtus multorũ obscuratur ignauia. Quod tunc etiam ferunt accidisse. Etenim cũ duo tantũ,optima proponerent,decẽ autem contra sentirent, hi tanto superiores extiterunt, ut in sententiam suam adduxerint multitudinẽ uniuersam, eamq; sibi à duobus illis abalienatã adiunxerint. De regione uerò ipsa,eadẽ omnes retulerunt,cãpestris,mõtosæq; pulchritudinem explicantes. Quid nobis,exclamarunt,aliena prosunt bona,tam strenua præsertim defensa manu, ut auferri non possint? factoq; in duos impetu,eos propemodũ lapidibus obruerunt, anteponẽtes aurium uoluptatẽ utilitati,ueritatiq; mendaciũ. Quibus rebus imperator

rator indignabatur,simulq; metuebat, ne calamitatem aliquã immitteret Deus in eos,qui adeò timidè diuinis responsis diffiderent. Quod & factum est. Ex speculatoribus enim decem ignaui cũ illis omnibus, qui ex multitudine spem abiecerant,pestĕilti morbo sublati sunt, & illi duo tantũ seruati,qui ut ad occupandas sedes audacter accederent, adhortabanť. Hoc enim fidei,quã oraculis habuerant, singulare præmium acceperũt, ut una cũ reliquis non interierint. Hæc fuit causa, ut in eam terrã, inquã deducebantur,tam seró peruenirent. Etenim cũ altero anno post discessum ex Aegypto possent Syriæ ciuitatũ hæreditatem inter se diuidere, omissa cõpendiaria,quæ rectà illuc ducebat,uia,difficilia,& longa, & deuia itinera,alia post alia reperientes,immensisq; tum animorũ, tum corporum laboribus necessarias impietatis luentes pœnas, octoq; & triginta annos præter id tempus ætatis, quod ante quisque transegerat, sursum deorsum oberrantes, uastasq; solitudines dimetientes, uix quadragesimo tandem anno ad ipsius regionis fines, ad quos prius etiam uenerant, appropinquarunt.

Habitabant hic & alij populi,quibus cum sanguine coniuncti erant, quos item bello persequi in animo habebant,& eorꝫ sedes occupare, nisi sic armis abstinerent,ut neutri parti ferrent auxiliũ,tũc enim ab eis temperaturos. Hebræus enim populus,& qui loca illa finitima incolebãt, ab eisdem maioribus ducebant genus. Fratres duo fuerant eodẽ patre, eadẽ matre,eodemq; partu geniti, quorꝫ familiæ, cũ filijs ac nepotibus plurimis abundarent, sic auctæ sunt, ut magnum utraq; populũ celebremq; perfecerit. Sed altera sibi domicilium illis in locis costituit,altera fame cõpulsa,ut ante dictum est, in Aegyptum concesſit, & longo post tẽpore reuersa est. At quãuis diu seiuncta fuisset,beneuolentiã tamen in consanguineos,licet nec mores,nec instituta patria retinuissent,sed planè uiuendi rationem peruertissent,conseruabat. Quamobrem æquum esse censebat,ut in homines natura mansuetos necesſitudinis gratia leniorem se cõmodioremq; preberet. Illi uerò moribus,sermone,consilijs,factisq; inimicis & hostilibus omnia amicitiæ iura uiolantes, paternas inimicitias persequebantur. Author enim generis ipsorũ,cũ ius primogeniti fratri uendidisset,paulopost à pactione recedens,id, unde cesserat, repetebat, eiq; mortem,nisi redderet,minabatur. Veteres has inimicitiæ causas, tot iam transactis seculis, gens altera renouabat.

Cæterum Hebræorũ Imperator Moses,cum posset eos statim opprimere,atq; delere, propter generis,quã ante diximus,necessitudinem,noluit. Postulabat tantũmodò,ut sibi per eorũ regionem liceret iter facere, amicè se transiturum promittens,non uastaturum agros,pecora nõ abacturum,non acturum prædam,aquã,& siquid aliud opus esset,empturũ pretio. At illi pacificis consilijs aduersari, minari bellũ, si agros ingrederentur,aut tantum attigerent,& post acerba responsa, ad ultionem iam & arma spectare. Quib⁹ ipse è loco,unde exaudiri poterat,Iustas,inquit,

ô uiri, ſuccenſendi cauſas habemus, qui cũ in iſtos beneuolentiæ, atq; humanitatis ſigna prætulerimus, tam a nobis alienos & feros eorũ animos experti ſumus. Verùm licet illi ſint digni, qui crudelitatis dent pœnas, non tamen ob propinquitatem conuenit, ut nos eas perſequamur. Sed hac item in re nos bonos ab imbrobis differre declaremus, dum conſideramus, non ſolũ, puniendi ne ſint, uerũ etiam, utrum à nobis puniri debeant. Tunc inde diuertens per aliã uiam populum duxit. Sciebat enim, ab illis omnia regionis itinera præſidijs intercluſa teneri, non, ꝙ ullam iniuriam accepiſſent, ſed ꝙ breuiore uia ſe progredi nollent, quoquidẽ argumento clariſsimo dolorem iudicabant, quo propter populi libertatẽ afficiebantur, lætitiamq;, quam capiebant, dum is in Aegypto acerba detineretur oppreſſus ſeruitute. Nam qui dolent rebus ſecundis propinquorum, eorũ aduerſis, licet id fateri nolint, gaudeant, neceſſe eſt. Eis autẽ ut amicis, atq; idem conſulentibus, quæ ſibi aduerſa, iucundaq; cõtigerant, aperuerant, ignorantes, eos ultrò tantũ maleuolentiæ atq; odij concepiſſe, ut moleſtiam ex cõmodis ſuis, uoluptatẽ autem ex incõmodis eſſent accepturi. Patefacta uerò eorũ maleuolentia, ab imperatore ſuo prohibiti ſunt, manus cũ illis conſerere. Qua quidẽ re duo pulcherrima præſtitit, prudentiam, & humanitatem. Prudentiæ fuit, prouidere, nequid inferretur detrimenti: in conſanguineos autem non ſæuire, humanitatis. Illorum igitur oppida tranſgreſſus eſt.

At Rex quidã regionis finitimæ, quæ Chanane appellatur, cũ ex ſpeculatoribus accepiſset, exercitum haud procul iter facientẽ abeſſe, exiſtimans illum paſsim uagari, nulloq; negotio, ſi à ſe prius inuaderetur, oppreſſum iri, cũ bene inſtructa domeſticorꝝ iuuenum manu excurrens, quos primũ offendit, ut ad ineundum prælium imparatos, in fugam uertit, & cepit, proſperoq; ſucceſſu inflatus progrediebatur, ſperans, ſe omnes in poteſtatem ſuã redacturũ. Ipſi uerò præcedentiũ iactura minimè fracti, ſed magis, ꝙ̃ antea confirmati, cupienteſq;, partes eorum explere, acri animo feſtinanantes, ſeſe mutuò cohortabantur, ne labori ſuccumberent, excitemur, aiebant: nunc regionem inuadamus: ſine metu cũ audaci præſidio manus cõferamus: Initijs extrema ſæpe iudicantur. Cũ ſimus in eorum finibus, incolas perterrefaciamus, interceptiſq; fructibus, rerũ neceſſarium penuriam, quã ex ſolitudine attulimus, inferamus. His uerbis concitati Regis urbes, eorumq; ciues, primitias deuouerunt Deo, qui uotis annuẽs, Hebræis animos & uires addidit, ut hoſtium exercitũ profligarent, quo ſuperato uota perſoluerunt, nihil in proprios uſus ex præda conuertentes, ſed oppida, & ciues, & opes dicantes Deo. Ab ipſo autẽ euentu totum regnum anathema uocauerunt. Quemadmodũ enim homines pij ex fructibus annuis, quos ex prædijs ſuis colligunt, primitias offerunt, ſic populus uniuerſus magnæ regionis, in quam cõmigrabat, magnam partem, nempe regnũ primò captum, ueluti coloniæ primitias cõſecrauit. Neq; enim fas eſſe ducebat, aut terrã diuidere, aut ciuitates incolere prius, ꝙ̃ primitias nuncuparent.

Paulo post autem uberrimum fontem inuenerunt, qui uniuerso populo potum abundè prębuit. Erat autē in puteo fons, & in ipsius regionis finibus. Quare quasi merum ex eo non aqua hausissent, recreati sunt, & præ lætitia & gaudio choros circa puteum statuentes Deo sedium largitori Coloniæq; Principi nouum canticum celebrarunt, egeruntq; gratias, ꝙ ex solitudine primū in locū celebrem atq; habitatum, quē possessuri essent, egressi, reperissent aquarum copiā, nec sine aliquo monumēto & testimonio fontem sibi transeundum existimarunt. Etenim nō priuatorum, sed regū manibus excisus fuerat, qui sibi honori cupiebāt esse, non solum ꝙ fontem inuenissent, uerum etiam ꝙ puteum extruxissent, id, quod ex operis impensa conijci poterat, erat enim planè regiū, authoresq; principes & magnificos indicabat. Lætus igitur Moses rebus, quæ perpetuò prosperè succedebant, hoc ordine castra mouit, ut iuuenum robore in primū extremumq; agmen distributo, senes, & mulieres, & pueros in medio collocaret, ut eorum præsidio seu ante, seu retrò manus hostium inuaderet, utrinq; tuti forent.

Paucis autem post diebus cū in Amorrheorū regionē ingressus esset, legatos ad Regem, qui Seon uocabatur, misit, idem ei suadens, quod consanguineo ante suaserat. Quibus ille non solū contumeliosè respondit, sed, nisi obstitisset ius gentium, illos occidisset. Coactis igitur omnibus copijs processit, sperans se prælio superiorem fore, quo tamen inito facilè sensit, sibi non cum imparatis, aut inexercitatis certamen esse, sed cū pugnatoribus bello prorsus inuictis, qui paulo ante multa, præclaraq; facinora edidissent, tum uiribus, tum scientia, tum uirtute pręstantes, quibus eos, qui sibi obstitissent, superantes ex præda nihil attigissent, sed prima belli præmia Deo consecrassent. Et tunc igitur instructi fortiter occurrerunt, cum consilijs suis, apparatibusq; confisi, tum inexpugnabili iustitię præsidio confirmati, quo se clariores, & promptiores in pugna præstiterunt. Id ex eo facilè intelligi potuit, ꝙ altero prælio non opus fuit. Primo enim & solo cuncti aduersarij fusi, fugati, penitusq; deleti sunt. Ciuitates autem uno eodemq; tempore uacuæ, plenæq; apparuerunt. Vacuæ ueteribus incolis, uictoribus plenę. Villę itidem, & agri antiquis spoliati dominis, & colonis, uiros omnibus partibus meliores acceperunt.

Hoc bellum cū omnibus Asiæ gentibus, tum præcipuè finitimis, ꝙ damna ceterius expectabant, magnū terrorem iniecit. Vnus autē è uicinis regibus Balaces nomine, qui amplam frequentemq; Orientis partē anteq̃ manus consereret, obtinebat, quum armis occurrendum illis non censeret, ꝙ uastationem ex aperto bello metueret, ad auguria, & uaticinia confugiendum existimauit, sperans, se inuictam Hebræorū potentiā execrationibus quibusdam euersurum. Ariolus quidam ea tempestate celeberrimus erat in Mesopotamia, qui omnes quidē diuinandi artes callebat, sed in augurandi facultate potissimum probatus, & mirabilis putabatur, ꝙ multis, & sæpe res incredibiles, & magnas ostendisset. Alijs ui.

gente æstate pluuias, alijs in media hyeme calores ardoresq́; prædixerat, alijs in ubertate inopiam, aut contrà in penuria & fame, copiam & abundantiam, quibusdam exundationes, exiccationes'ue fluminum, & pestilentium curationes morborũ, aliaq́; id genus innumerabilia, quæ singula cũ ita prenuntiaret, ut edere oracula uideretur, lõgius in dies fama peruagante, magnam erat gloriã assecutus. Ad hũc ex socijs quosdam misit, ad se uti ueniret rogans, muneribusq́; partim missis, partim promissis, causam, quãobrem accerseretur, explicauit. Ille uerò, ut qui non generoso constantiq́; animo esset, & plerunq; astutè se gereret, tanq̃ ex probatis prophetis genus duceret, ac sine diuinis responsis nihil omninò facere consueuisset, recusauit, asserens se à diuino numine prohiberi. Quãobrẽ ad Regem, infecta re, qui missi fuerant, reuersi sunt. Alij rursus eandem ob causam probatiores nuntij deliguntur, qui & pecuniæ plus afferant, & maiora polliceantur munera. Et præsentium quæstu, & futurorũ spe captus, & accersentium ueritus dignitatem, causa iterum in numen falsò tamen collata, cessit, reiectoq́; in diem posterum abitu, uisa sibi in quiete narrauit, quibus manifestò perterritus manere amplius non posset, sed cogeretur nuntios sequi.

Iã igitur iter ingressus perspicuo portento cõmonetur in uia, causam, propter quã proficisceretur, turpem & iniquam esse. Iumentum enim, quo forte insidens rectà uehebatur ipse, repente primũ cõsistere, deinde, tanq̃ ui ab aliquo repelleretur, aut prohiberetur, ꝓcumbere, rursumq́; dextrorsum ac sinistrorsum ferri, atque huc & illuc oberrans non posse quiescere, quasi uino ebrium debaccharetur, adeoq́; uerbera negligere, dum uapularet, ut insidentem propè deijceret, uicissimq́; læderet. Erant in propinquo sepes, & dumi, quibus iumento se collidente, domini afflicti oppressiq́; genua, & suræ, & pedes dilacerabantur: Erat autẽ, ut uerisimile est, diuina aliqua species, cuius irruentis presentiam dudum animal extimescebat. Eam homo, quo suã inscitiam ac stuporem agnosceret, nõ uidebat, uincebaturq́; ab animali rationis experti, is, qui se nõ modò mũdum, sed mundi opificem cernere iactitabat. At aliquando tandem Angelum conspicatus, non ꝙ tali spectaculo dignus esset, sed ut se nullius pretij esse cognosceret, supplex, ad preces confugit, sibiq́; non sponte, sed per imprudentiam peccanti ut ignosceret, orauit. Verùm cũ redire tunc oporteret, rogauit Angelum, domum'ne sibi reuertendũ esset. Ipse uerò simulatione eius perspecta indignatus (Quid enim percontatione opus erat in re adeò per se manifesta, ut uerborũ testimonio nõ indigeret? nisi forte maior auribus, q̃ oculis, aut dictis, q̃ factis fides haberi debet.) perge, inquit, quo cupis ire. nihil enim proficies. Ego enim præter sententiam tuam dicenda suggeram, & uocis instrumenta, quà æquum & utile erit, conuertam. Ego te imprudente singula uaticinabor ex ore tuo.

Rex autem, cũ audiuisset, eum appropinquare, ei satellitibus stipatus obuiam processit, in ipsoq́; congressu primũ, ut fit, amanter salutauit, benigneq́;

nigneq; cõplexus est, tum subaccusauit tarditatẽ,& ꝙ non uenisset animo promptiore. Post hæc lautissimũ pretiosis dapibus celebratur conuiuium,& omnia,quæ hospitibus honorificè accipiendis parari solent,ambitione regia magnificentius,& cumulatius instruuntur. Postridie autẽ bene mane Balaces uatẽ adduxit,ubi Dęmonis cuiusdã simulachrũ erat, quod incolæ adorabant. Hinc pars exercitus Hebræoꝝ despiciebatur,& tanquam è specula ostendebatur Mago, Quã ille intuitus,tu,inquit, ò Rex septẽ aras ædifica, & ad earũ singulas ĩmola singulos uitulos, & singulos arietes,ego autẽ secedens exquiram à Deo,quæ dicenda sunt. Digressus igitur numine statim afflatur, diuino adueniente spiritu, qui ex animo eius omnẽ ariolandi artẽ expulit. Neque enim simul inesse possunt sacratissimũ numen,& præstigiæ magicæ. Deinde reuersus, & uictimas cernens, atque ardentes aras, uelut interpres alterius suggerentis, hæc edidit oracula.

Ex Mesopotamia Balaces accersiuit me, ut longo confecto itinere diris execrationibus Hebræos deuouerẽ, ac perderem,ego uerò quomodo execrabor eos,qui Deo non sunt execrabiles? Ipsos equidem oculis despiciam ex altis mõtibus,cogitationeq; cõprehendam,populo tamẽ obesse non potero,qui habitabit ab alioꝝ populoꝝ numero separatus,non locorũ,& regionis hæreditate,& portione attributa,sed præstantium gentiũ proprietate,quæ patrijs institutis & uiuendi ratione cũ alijs nõ cõmiscentur. Quis accuratè primã eoꝝ generis originẽ inuenit?corpora quidẽ illorum ex humano semine coaluerunt, animi uerò diuinitus conflati sunt. Itaque Deo sunt affines. E uita corporea decedat animus meus,ut iustorum animoꝝ numero ascribatur,quales horũ sunt animi. Hæc audiens Balaces angebatur. Fine autẽ facto,dolorẽ ferre non ualens,cũ ad execrãdos hostes,inquit,aduocatus sis,illis fausta precari nõ erubescis? Te mihi amicũ existimans profectò deceptus sum, nesciens te cũ hostibus occultè coniunctũ esse. Id quod res ipsa declarat. Iccircò differebas aduentum tuũ, ꝙ ad illorũ auxilium animus tuus propensus erat, à me autem, & à meis alienus. Perspicuis enim (ut uetus habet prouerbium) significãtur obscura. At ille,qui non amplius à numine detinebatur, Iniustissimũ, respondit,in me crimẽ conijcitur,falsò enim accusor,quippe qui,nisi Deo suggerente,nihil loquor. Quod neq; ego nunc primũ dixi,neq; tu audiuisti,sed & antea,cũ nuntios misisti,quibus eadẽ respondi.

Cũ igitur Rex opinaretur,aut uatẽ fallere, aut Deum mutari,& locorũ mutationibus mentis cõstantiam uerti, in alterũ locũ ipsum adduxit, eiq; ex præcelso montis fastigio partem quandã exercitus aduersariorũ demonstrauit,constructisq; rursum septẽ aris,factisq;,ut antea,totidem sacrificijs,illum ad agenda auguria,faustaq; responsa accipienda dimisit. Qui, ut solus fuit, extemplò correptus numine, & tanquam amota ratione nihil intelligens,ea,quæ subijciebantur,protulit,uaticinans ad hunc modum: Surge Rex,& hæc arrectis auribus accipe. Deus,quemadmodum

homines,falli non poteſt,neq;,ut filij hominũ, ĩmutatur,aut nõ præſtat, quæ ſemel locutus eſt.Nihil omnino loquetur,quod non ratũ ac firmum futurũ ſit. Verba enim ipſius ſunt opera. Ad benedicendũ ego,nõ ad maledicendũ adductus ſum.Nullus erit Hebræis labor,nulla moleſtia. Deũ enim ſuũ habent propugnatorẽ,qui calamitatum Ægypti confracto diſcuſſoq; impetu,tot hominũ millia, ut hominẽ unũ, eduxit.auguria negligunt,omnemq; ſpernunt diuinandi facultatẽ,uno mundi principe ac duce cõfiſi. Populum ut leonis catulum exurgentẽ,ut leonẽ exultantem aſpicio. Saturabitur feris,& uulneratorũ ſanguinẽ bibet,expletusq; ſomno nõ opprimetur,ſed præconium canet.Periniquo ferens animo Rex, ꝙ ſibi contra,ꝗ ſperabat,uaticinia çederent,& dira,inquit,ò uir,& fauſta precari omittas.Satius eſt enim ſilere,ꝗ iniucũda loqui. Cũ hæc dixiſſet, tanꝗ eorũ,quæ dixerat,oblitus ob mentis inconſtantiam,in alium locum abduxit uatem,ex eoq; uti partẽ Hebræorum exercitus deteſtaretur,adhortabatur. At ille ſuaſore deterior,cũ illata crimina uera defenſione refelleret,ꝙ nihil proprium diceret,ſed ab altero ſubiecta correptus & afflatus numine interpretaretur,ideoq; Regem nõ amplius ſequi, ſed domũ reuerti deberet,alacrius,ꝗ̃ ille,qui accerſierat,antecurrit, tum ꝙ ingentium malorũ metu premebatur,tum ꝙ licet lingua execrationes explicare non poſſet,cogitatione tamen cupiebat execrari.

Conſcendens igitur in montẽ prioribus ſublimiorẽ,celeriter iubet idẽ ſacrificiũ inſtaurari,conſtructisq; rurſum ſeptẽ aris,quatuordecim uictimas mactari,binis ad ſingulas uitulis,& arietibus ĩmolatis.Ipſe uerò non iam,ut erat ſolitus,ad reſponſa,& auguria confugit,ſed artẽ ipſam uituperans,ꝙ tẽpore,ut lex abrogata,exoleuiſſet,hebetiorq; facta nõ poſſet certa conijcere,nec conſiderans,propoſitũ Regis, à quo mercede conductus fuerat,à Dei conſilio diſcrepare,ad ſolitudinem oculos conuertit,uidetq; Hebræorum caſtra per tribus diſpoſita. Tunc non ut exercitus,ſed ciuitatis multitudinẽ,& ordinẽ admiratus,afflatusq; talia locutus eſt:Dicit homo, qui uera cernit, qui mentis oculis nõ dormientibus manifeſtũ Dei uiſum in quiete perſpexit:Quàm pulchræ ſunt domus tuę,exercitus Hebræorũ, tentoria tua ſicut ualles umbroſæ, ſicut uiridaria propter flumen,ſicut cedri iuxta aquas.Egredietur olim uir è uobis,& multis gẽtibus imperabit,eiusq; regnũ in dies magis propagabitur, atque extolletur in ſublime. Hic populus ab Ægypto diſcedẽs Deum ſemper habuit itineris ducẽ,qui in uno cornu multitudinẽ duxit. Multas hoſtiũ gentes comedet,earumq; pinguedinem ad medullas uſq; percipiet.Sagittis perdet aduerſarios,requieſcet dormiens ut leo,ut leonis catulus ſecurè admodum,ac neminẽ timens,ſed alijs timorẽ inijciens. Infelix quicunq; cõmotum excitauerit. Qui fauſta precantur tibi, fauſtis precationibus digni ſunt,qui deteſtantur autem,ſunt deteſtabiles.

His uehementer indignatus Rex, ad execrandos,inquit,hoſtes accerſitus,bene illis ter iam precaris?Fuge hinc ꝗ citiſsimè,ne,quoniam ira prę

ceps est perturbatio, cogar in te nouũ aliquod exẽplum edere. Quanta pecunia, quantis muneribus, quanta gloria te ipsum, homo stultissime, ac mente capte, spoliauisti. peregrè reuerteris, nec aliud domum, nisi magnã ignominiam & dedecus afferes. Ars enim ista, qua prius aliquid esse uidebaris, irridebitur, & contemnetur. Tum ille, quæ, inquit, hactenus cõtigerunt, omnia respõsa sunt, & oracula. Quę autẽ dicentur, ea ipse coniectura prænuntiabo. Et dextera Regis apprehensa, solus cũ solo consultabat, quibus rationibus hostium exercitus adduci posset, ut nefario & maximo scelere admisso læderetur. Quid tu, inquiet aliquis, ex te respõdes, & ea consulis, quæ sunt oraculis contraria? nisi forte consilia tua maiorẽ uim habent, q̃ diuina responsa? sed agè præclaras istius admonitiones, q̃ certã eorũ, qui semper uictores sunt, stragẽ moliuntur, perpendamus.

Cũ sciret, Hebræos nullo pacto, nisi uiolarent leges, offendi posse, per magnũ libidinis & incontinentiæ flagitium ad maius impietatis scelus, uoluptatis esca proposita, allicere studuit. Sunt in his locis, inquit, ò Rex, fœminæ forma omnium præstantissimę. Homines autẽ nulla re facilius, q̃ fœminarũ pulchritudine capiuntur. Quãobrẽ, si permiseris, ut formosissimę quæstum faciant, pudicitiamq; publicè prostituant, iuuentutem aduersariorũ inescabunt. Ipsis tamẽ cauendũ erit, ne statim cuilibet corporis sui copiam faciant, urbanitas enim cupiditates quasi titillans magis amores accendet atq; inflammabit. At illi cupiditatibus elati audebunt omnia & facere & pati. Amatori autẽ sic affecto aliqua earum, quæ ad hanc uenationẽ instructę fuerint, non licet, inquiet, mea frui consuetudine prius, q̃ relictis patrijs institutis ad nostra trãseas, & ea colas, quę ego. Quod abs te factũ esse planè perspiciam, si libationũ, & sacrificiorũ participes esse uolueris, quę nos imaginibus, & statuis, & reliquis simulachris facimus. Ipse uerò multis nimirũ retibus circũdatus, pulchritudine, blandis illecebris, ac suasionibus nihil repugnabit, sed deuicta ratione miser faciet imperata, & cupiditatis seruus ascribetur. Ita cõsulebat ariolus, Rex autẽ ea, quæ dicebantur minimè absurda iudicans, abrogata lege de adulterijs, atq; illis, quibus incesta & stupra interdicebantur, ita sublatis, ut si nunquã fuissent scriptæ, edixit, ut mulieribus liceret, cũ quibuslibet habere consuetudinem.

Impunitate cõcessa multitudinẽ adolescentium allexerunt, eorumq; animos prius decipientes ad impietatem cõpulerunt, donec principis sacerdotũ filius rei grauissimæ indignitate permotus, ꝙ eodẽ tẽpore & corpora & animos traderent in seruitutẽ, corpora quidem uoluptatibus, animos autẽ impietate corrũpentes, præclarũ adolescens & nobili ac probo uiro dignũ facinus confecit. conspicatus enim quendã è genere ad scortũ ingredientẽ, nec oculos præ pudore defigentẽ humi, nec operã dantẽ, ut lateret multitudinẽ, nec, ut fieri solet, ingressum occultantẽ, quin etiam impudenter audacterq; turpitudinẽ ostendentẽ, ac re fœdissima tanquã honesta gloriantem, ualde concitatus, iustaq; ira plenus accurrit, amato-

remq́;,ac meretricē in lectulo adhuc iacentes ambos cōfodit,& genitales partes amputauit, ꝙ nefandę rei operā dabant. Hoc exēplum intuentes quidā eorū,qui continentiæ pietatisq́; studio tenebantur,iubente Mose, imitati sunt,& omnibus, qui simulachris īmolauerant,propinquis atq; amicis omniū ætatū contrucidatis sumptoq; supplicio populum expiarunt, seruantes eos, qui manifesta defensione religionē & innocentiā suā ostendebant,damnatorū autē ignoscentes nemini,nec eorū crimina misericordia prætereuntes,eosq́; puros existimantes, qui suis illos manibus interfecissent.Ex quo fiebat,ut nullum daretur effugium,cū ea res afferret ipsis interfectoribus uerissimam laudem. occisa fuisse ferunt uno die quatuor & uiginti hominum millia.Atque ita sublatum est scelus,quod exercitum coinquinauerat.

Peracta iam expiatione quærebat Moses dignis præmijs afficere sacerdotū principis filium, qui primus ad ulciscendū aggressus fuerat, sed oraculo Deus anteuertit,& largitus est pacem munus amplissimū,quod mortalium nullus præbere potest,& omnē sacerdotij dignitatē dedit ipsi & posteris eius hæreditariam. Cū autē intestini mali nihil amplius reliquū esset,omnibus,qui transfugę,aut proditores uidebantur,interfectis, Mosi uisum est tempus opportunū,ut Balacę bellum indiceret,homini, qui plurima detrimenta tum inferre conatus esset, tum etiam intulisset, conatus quidē erat inferre per Ariolum,cuius execrationibus Hebręorū potentiam deletam iri sperabat : intulerat autem per incontinentiam & impudicitiam fœminarū,quę rem secū habentium corpora libidinibus, animos autē impietate corruperant. Omnibus tamen copijs gerendum bellum non censuit. Videbat enim nimiam multitudinem sibi ipsi esse impedimento.Præterea utile iudicabat,sociorꝝ relinqui subsidium,quod fessis opitularetur.Duodecim igitur fortissimorꝝ iuuenū millia,tot enim sunt tribus,ex singulis mille,delegit,Phineesq́;,qui iam militaris audacię specimen dederat,ducem constituit. Hos armis instructos dimittens, sic allocutus est.

Non de imperio præsens certamen est,neque ut opes alienas adipiscamini,quæ uel solæ,uel pręcipuæ,solent esse bellorꝝ causæ,sed pro religione,& pietate estis pugnaturi, à quibus consanguineos & amicos uestros auerterunt aduersarij,atq; ita interitus eorū authores extiterunt.Absurdum igitur esset,uos,qui domesticos à legibus recedentes interfecistis,ab hostibus,qui grauius peccauerunt,tēperare, sustulisseq; illos, qui peccare discebant, & eis ignoscere, qui se ad peccandum impulsores & magistros præbuerunt, & malorum omnium, quæ ab illis admissa perlataq́; sunt,fuerunt authores.His cohortationibus cōfirmati,& quicquid roboris in animis suis ingenitū erat,excitantes, tanquā explorata uictoria, ad bellum inuicti contenderunt. Conferentesq́; manus tanto superiores & uirtute & uiribus extiterunt,ut cūctis aduersarijs cæsis ipsi omnes incolumes,ne uno quidē suorū uulnerato,ne dum occiso,redierint. Quamobrē

siquis rem ignorans eos redeuntes aspexisset, non ex acie, aut prælio, sed ex spectaculo, aut belli simulachro redire arbitratus esset. Solent enim eiusmodi in pace ludi celebrari, ut exercitationis gratia inter amicos uera geri prælia uideantur. Vrbes igitur aut euertentes, aut incendentes ita deleuerunt, ut nullum earũ uestigium relictũ sit, quo illic unquã fuisse cognosci possent. Ex incredibili captiuorũ numero tam uiros, quàm fœminas occidendas iudicauerunt. Viros, quòd struxissent insidias, prioresq; lacessissent. Fœminas, quòd Hebręorũ iuuentutẽ pręstigijs corrupissent, eorumq; nequitiæ, & impietatis, & mortis causam attulissent. Pueris, & uirginibus ętatis habita ratione pepercerunt. Grandẽ admodũ prædam tum ex regijs, tum ex priuatis ędibus, tum ex uillis, neq; enim in agris, quàm in urbibus minor erat, omnesq; hostium diuitias in castra cõportarunt.

Cum Moses & ducem & milites collaudasset, tum quòd strenuè se fortiterq; gessissent, tum quòd proprijs cõmodis consulentes in rem suam nõ studuissent prædam conuertere, sed in medium contulissent, ut ij quoq;, qui in castris mansissent, eius particeps fierant, iussit eos extra castra dies aliquot cõmorari, expiariq; à cæde per magnum sacerdotẽ. Licet enim hostes legitimè occidantur, is tamẽ qui interficit hominẽ, quanuis & iure, & se defendens, & lacessitus id faciat, tamen propter summã, & cõmunẽ hominũ inter se coniunctionẽ, non uidetur penitus innoxius. Quapropter interfectores expiatione ab ea culpa, cuius uidebantur affines, existimauit indigere. Postea uerò ita diuisit prædã, ut illis, qui bellum confecerant, partẽ dimidiam tribueret, erant autẽ numero pauci, alterã illis, qui in castris manserant. Æquũ enim putabat, ut etiam ipsi essent utilitatis participes, qui, si minus corporibus, animis certè pugnassent. Milites enim, qui in pręsidijs manent, non uirtute, aut certandi cupiditate, sed tẽpore tantùm, & sorte uincuntur.

Cũ igitur illi pauci, qui pericula subierant, plus accepissent, plures autem, qui in castris manserant, minus, uisum est necessarium, ut totius pręde primitię dicarentur. Obtulerunt autẽ quinquagesimã partẽ, qui permanserant in castris, illi uerò, qui bellum gesserant, quingentesimã. Atq; horũ quidẽ primitię Magno sacerdoti sunt attributę, priorũ autẽ ministris, qui Leuitę appellantur. At tribuni & centuriones, manipulorumq;, & reliquorũ ordinũ ductores pro sua, sociorumq; salute, pręclareq; parta uictoria sponte sua singulares primitias obtulerunt, & quę quisq; ornamenta aurea, uasaq; pretiosa in pręda reperit. Quę ex auro constabant, Moses accepit, collaudataq; offerentium religione, reposuit in sacro tabernaculo, ut pię grateq; ipsorũ uoluntatis monumentũ essent. Egregia fuit hęc primitiarũ distributio, primitias eorũ, qui uirtutis dimidiũ, nempe promptũ animũ ostenderant, non autẽ facta, sacerdotibus assignauit: Illorũ autẽ, qui & corporibus & animis se periculis obiecerant, perfectã fortitudinẽ exhibentes, sacerdotũ antistiti, Magno sacerdoti: pręfectorũ uerò munera, ut à ducibus, & principibus profecta, omniũ duci & prin-

cipi Deo. Omnes isti deuicti sunt aduersarij prius, quam Iordanẽ Regionis fluuiũ traiecissent ad incolas felicis fœcundęq; terrę, in qua planities erat frumenti pabuliq; pro pecoribus feracissima.

Hanc regionem cũ aspexissent duę tribus, idest, sexta exercitus pars, quæ pecudibus abundabant, rogarunt Mosem, ut sibi permitteret, illic hęreditatis partẽ capere iam pridẽ constitutam, Loca enim illa esse gregibus & armentis aptissima, quippe quę & irrigua essent, & herbę copiam sponte ferrent. At ille putans, eorũ postulata eò spectare, ut uel partẽ suã pręmiaq; ante tẽpus accipientes honore pręstarent, uel bellorũ, quę instabant, laborẽ subterfugerent, cũ plures adhuc Reges imminerent, qui intra fluminis regionẽ incolebant, ualde indignatus, atque ęgrè ferens. Vos igitur, inquit, hic turpiter otiosi inertesq; considebitis, dum propinquos & amicos uestros reliqui hostes diuexabunt, uobisq; solis ut optimè meritis pręmia tribuentur, alij uerò pręlia, labores, molestias, summaq; pericula sustinebunt? minimè ęquũ est, ut uos pace, pacisq; cõmodis perfruamini, cęteri uerò in bello, & innumerabilibus ęrumnis uersentur. Nec cõuenit, ut totũ pro partibus, sed cõtra potius, ut partes pro toto hęreditatẽ exquirant. Omnes uos estis ęquales, eodẽ genere, iisdem orti parentibus, una domus, ijdem mores, eædem leges, & alia innumerabilia, quorũ uos singula deuinciunt, & ad beneuolentiam cõpellunt. Cur igitur, cũ in rebus maximis maximeq; necessarijs pares sitis, in diuisionibus non eritis pares, sed tanq̃ principes subditos, aut domini seruos contemnetis? Oportebat uos quidem alienis uerberibus erudiri: Sapientis est enim non expectare, dum ad se damna perueniant. Nunc autẽ cũ domestica exẽpla habeatis, patres nimirũ, qui regionẽ hanc speculati sunt, calamitatesq; tum ipsorũ, tum aliorũ omnium, qui simul cũ illis desipuerant, cũ duobus exceptis omnes interierint, ideoq; cauere debeatis, ne in ullo simili timore deprehendamini, eos, ô stulti, tanq̃ non facilius capiendi sitis, ęmulamini, atque illorũ, qui se uiros fortes, ac strenuos pręstare decreuerunt, alacritatem frangitis, animosq; promptos dissoluitis? Atqui ad peccandum properantes ad supplicia simul festinabitis. Iustitia enim uix moueri solet, at cũ semel mouetur, sic accelerat, ut fugientes facilè consequatur. Quãdo, cunctis hostibus deletis, nullum amplius bellum ĩminebit, socij autem ita se gesserint, ut nec ordines, nec exercitũ deseruisse, nec quicquã aliud, ut ignaui aut uicti fecisse reprehẽdi possint, sed animis, corporibusq; à principio belli ad exitũ usque permanserint, & regio uacua erit ijs, à quibus obtinebatur, tum distribuentur munera, tunc uirtutis pręmia tribubus ex ęquo diuidentur.

Admonitionem hanc illi, ut à patre admodũ beneuolo proficiscentẽ, tanq̃ ingenui filij, ęquis animis pertulerunt. Sciebant enim illum nõ efferri imperij potestate, sed omniũ curã & rationẽ habere, iustitięq; & ęquitatis amantẽ esse, nec ignauiam insectari, ut ignominia quenq̃ afficeret, sed ut ij, qui meliores fieri possent, excitati resipiscerent, & ad bonã fru-

gem ſeſe reciperent. Itaq; ſic ei reſponderunt: Tu quidē meritò indignaris, ſi nos tales exiſtimas, qui ſocios deſerentes uelimus ante tēpus uacatione donari. Verū haud ita res habet. Nihil enim cū uirtute coniunctum adeò laborioſum eſt, ut id formidemus. Virtutis aūt opus exiſtimamus, & tibi tali imperatori parere, & in laboribus ſubeundis nemini cedere, probariq; in omnibus futuris bellis, donec res felicē exitum cōſequantur. Omnibus, ut antea, armis inſtructi traijciemus Iordanē, nec ulli militum manendi occaſionem dabimus. Filij tantū infantes, & filiæ, & uxores, & greges, armentaq;, ſi permiſeris, relinquentur. Inſtruemus autem filijs & uxoribus domos, & pecoribus ſtabula, ne, ſi in locis non cōmunitis ſine preſidio maneant, ex incurſionibus patiantur aliquid aduerſi. Ipſe uerò benigno uultu humanaq; oratione, uobis, inquit, uera dicentibus certa manebūt pręmia, quę poſtulaſtis. Relinquite igitur, ut dixiſtis, fœminas, & pueros, & pecudes, uos autē in agmine cū reliquis iter facite, ſic inſtructi, ut ſtatim, ſi opus fuerit, prelium ineatis. Vbi autē omnes hoſtes uicti deletiq; fuerint, & parta pace uictores regionem diuident, uos itē ad domeſticos ueſtros reuertemini, ut conuenientibus bonis, & parte, quam elegiſtis, perfruamini.

Hæc cū dixiſſet, ac pollicitus eſſet, lętitia gaudioq; pleni, domeſticos ſuos & pecora in locis tutis & inexpugnabilibus, quorū plurima cōmunita erant opera, & manu, reliquerunt. Ipſi uerò ſumptis armis alacrius, q̃ reliqui ſocij excurrebant, tanq̃ aut ſoli, aut in primis bellum eſſent geſturi. Nam qui munus aliquod prius accepit, ad ferendum auxiliū promptior eſt, ſe enim nō dare, ſed reddere beneficium putat, quod quidē officium eſt neceſſarium. Hactenus quę in imperio geſta ſint à Moſe, cōmemorauimus, quę autē idem in adminiſtrando ſacerdotio, quęq; in ferendis legibus geſſerit, quas item ut imperio maximè congruentes facultates obtinuerit, deinceps exponemus.

LIBER II.

SVperiore libro Moſis ortū, educationē, diſciplinā, & imperiū, quod non modò ſine reprehenſione, ſed magna cū laude adminiſtrauit, explicauimus. Pręterea quę uel in Aegypto, uel in itineribus, uel in rubro mari, uel in ſolitudine omnē dicendi uim ſuperantia geſſerit, quosq; labores preclarè ſuſtinuerit, & quomodo militum parti ſedes aſsignarit, perſecuti ſumus. Nunc autē, quę ordine ſequuntur, adiungemus.

Minimè aberrant, qui tum demū ciuitates felices aſſerunt, cū aut Reges philoſophantur, aut philoſophi regnant. Conſtat autē, Moſem non modò regia, & philoſophica facultate, ſed etiam tribus alijs, quarum una in legibus conſtituendis, altera in adminiſtrando ſacerdotio, poſtrema in prophetia, uaticinioq; uerſatur, præſtitiſſe, de quibus mihi nunc neceſſariò dicendum exiſtimaui. Etenim cū ipſi putem omnia congruere, q̄ di-

uina prouidentia fuerit & Rex,& legiſlator,& ſacerdos,& propheta, declarandum eſt,cur hęc illi omnia conueniant.

Regis eſt pręcipere,quæ recta ſunt,prohibere contraria. Legis autem proprium eſt,ut quę agenda, fugienda'ue ſint, pręſcribat. Ex quo fit, ut & Rex lex animata,& lex Rex iuſtus eſſe uideatur. Regi porrò & legiſlatori non humana ſolũ,uerumetiam diuina contẽplanda ſunt.Nam ſine diuina prouidentia nec regũ,nec populorũ res bene gubernantur. Quãobrem illi & primo opus eſt ſacerdotio,ut perfectis ſacrificijs abſolutaq; diuini cultus ſcientia tam ſibi,q̃ ſubditis,tum malorũ depulſionem,tum largitionẽ bonorũ impetret à Deo,qui propitius eſt,& uotis,ac precibus annuit. Quomodo enim quæ rogantur,non tribuat ille,qui natura benignus eſt,& eos,à quibus uerè ſincereq; colitur,pręcipuè amat? Cęterùm quoniam ipſi & Regi,& legiſlatori,& ſacerdoti plurima uel humana uel diuina ſunt incognita: (Quãuis enim tot, tantisq; dotibus excellat,genitus tamen,moriturusq; eſt) iccircò prophetiæ quoque tenet facultatẽ,ut quæ ratione humana nõ poteſt aſſequi,diuina conſequatur. Etenim quę mens non capit,prophetia cõprehendit. Eximia uerò ualdeq; concinna eſt harũ quatuor facultatũ coniunctio.Inter ſe enim copulatæ,cõnexęq; chorũ conficiunt,mutuaq; ſibi uiciſsim cõmoda ſumminiſtrantes uirgines Gratias imitantur,quæ ĩmutabili naturę lege ſeiungi nequeunt. De quibus meritò dici poteſt id , quod de uirtutibus dicitur, omnes habere, qui unam habeat. Primũ autem de legum conſtituendarum poteſtate dicendum eſt.

Non ignoramus,eum,qui ſit optimus legiſlator futurus, perfectis & abſolutis uirtutibus omnibus uti oportere. Verũ quemadmodũ in familijs,licet alij genere coniunctiſsimi ſint, alij non ita coniuncti, omnes tamen inter ſe cognati ſunt : Sic etiam in uirtutibus cũ alijs rebus aliæ magis minus'ue cohęreant,legũ ferendarũ facultati tanq̃ ſorores, & ſumma neceſsitudine deuinctę ſunt hę quatuor : Humanitas,Iuſtitia,honeſtatis amor,& improbitatis odium.His enim excitatur quicũq; tenetur legũ condendarũ ſtudio,cũ & humanitas doceat,ut quæ ſentit Reip. profutura,in medium afferat, & iuſtitia, ut æquabilitatẽ colat, tribuatq; pręmia cuiq; pro dignitate,& honeſtatis amor,ut quæ natura honeſta ſunt,complectatur,& ad uſum omnium,qui digni ſunt,patefaciat,abundeq; prębeat,& odium improbitatis,ut eos,qui uirtutem deſpiciunt, negligat, & tanq̃ cõmunes generis humani hoſtes inſectetur. Horũ, quæ dicta ſunt, ſiquis unum aliquod habet,magnus eſt: qui uerò ſimul omnia eſt conſecutus,ille nimirum admirandus.

Huc autẽ Moſes ſolus uidetur perueniſſe, ut uirtutes, quas diximus, in rebus à ſe geſtis & conſtitutis expreſſerit. Quod quidẽ perſpicuũ eſt illis,qui ſacros libros perlegerunt,quos ille niſi talis fuiſſet, nunq̃ conſcripſiſſet dictante Deo,nec tradidiſſet ijs,qui digni ſunt uti, rem pulcherrimã,& eorũ,quæ in animo ſunt,exẽpla illuſtria continentem,quorũ effigies,

gies, & imago sunt leges, quę cõmemoratas uirtutes apertissimè declarant. Quòd autẽ ipse legislatorũ, qui post hominũ memoriam uel apud Gręcos, uel apud Barbaros extiterunt, fuerit omnium optimus, illud est argumentũ clarissimum, ꝙ siquis aliorum leges consideret, inueniet eas uel bello, uel seruitute, uel alijs de causis, quę fortunę uicissitudine inuehuntur, cõmutatas. Nimię etiam sępenumerò delicię, & abundantia, & copię leges euerterunt, cum fortunam ualde secundam multi ferre non possent, sed satietate petulantes, contumeliosiq; fierent, quod quidem uitium legi contrarium est. Mosis autẽ leges, ex quo scriptę sunt, ad hunc usque diem, firmę, ratę, stabiles, tanꝗ signo naturę ipsius obsignatę permanserunt, & in posterum, spes est, permansuras seculis omnibus ĩmortales, quoad sol, luna, uniuersumq; cœlum erit, atque orbis terrarũ. Gens quidẽ ipsa quum tam multis rerum & prosperis & aduersis cõmutationibus usa sit, nihil unq̃ omnino ab earum pręscripto recessit, cum omnes grauitatem ipsarum colerent, & obseruarent. Quas igitur nec fames, nec pestis, nec bellũ, nec Reges, nec tyranni, nec animi, aut corporis, aut perturbationum, aut uitiorꝫ impetus, aut alię, quę uel à Deo, uel ab homine proueniunt, calamitates dissoluere potuerunt, non'ne eæ maximè expetendę sint, pręstantioresq; iudicandæ, ꝗ̃ ulla oratione dici queat?

Verùm ne id quidem admirãdum, ac per se uerè magnum putandũ est, ꝙ omni tempore firmæ, ratæq; manserint. Id potius admiratione dignum uideri potest, ꝙ nõ Iudæi solũ, uerum etiã alij propè omnes in primisq; illi, apud quos uirtus in maiore pretio est, eas excoluerunt & commendarunt. Hæc enim est illarũ præcipua laus, cuius nullæ alię leges participes sunt. Atq; hoc quidẽ ex eo colligi potest, ꝙ nulla, ut ita dicam, nec græcorꝫ, nec barbarorꝫ ciuitas est, quæ alterius ciuitatis leges obseruet, & instituta, immò uerò quæ sua ipsius perpetuò tueatur, ac non ea pro tẽporum & rerũ uarietate cõmutet. Athenienses Lacedæmoniorꝫ mores institutaq; despiciunt: Lacedæmonij rursus Atheniensium. Idem a barbaris fit. Neq; enim Aegyptij Scytharum leges obseruant, nec Scythæ Aegyptiorũ, nec (ut breuiter omnia cõplectar) qui Asiam incolunt, eorum, qui Europam, aut contra. sed oẽs, quæ sunt ab oriente ad occidentẽ solem, regiones, gentes, ciuitates à peregrinis legibus abhorrent, seq; legum suarum authoritatem & existimationem, si reliquas despexerint, aucturos putant Nostrę uerò haud ita se habent, sed barbaros, græcos, in continenti, in insulis habitantes, omnes denique gentes ad ortum, occasum'ue, Europam Asiam, totumq; ad extremos usq; terminos orbem terrarum incolentes ad se alliciunt atq; conuertunt.

Quis enim sacram illam diem septimam non colit, requiem, & otiũ sibi suisq; non liberis solũ, sed seruis, ac iumentis etiã tribuens? Hæc enim uacatio, & tanq̃ induciæ ad omne etiã animaliũ genus perueniunt, quæ ad hominis usum genita sunt, ut ei tanq̃ naturali domino seruiãt. immò uerò pertingunt etiã ad omnia arborum plantarumq; genera, Etenim

nec germen, nec ramũ, nec foliũ licet excindere, aut fructum ullum decerpere. Sed ea die nemine edictum publicum uiolante rebus omnibus indulgetur, ac permittitur quodãmodo libertate frui. Quis 4 ieiunium, sic enim dicitur, non admiratur, ac suspicit, illud præsertim, quod statis anni tẽporibus agitur grauiori, seuerioriq; ratione, quã ij, qui celebrantur singulis mensibus, festi dies. In his enim & multũ merum, & mensæ magnificæ, & omnes deniq; ad edendum, bibendumq; suppetunt copię, quibus auctæ insatiabiles uentris uoluptates excitant etiam cupiditates, quæ sub uentre sunt. In illo autẽ nec cibum, nec potum afferri licet. Quare cùm nullæ corporeæ perturbationes, quales ex ingluuie proueniunt, puras mentes impediant, ita celebrant festos dies, ut conuenientibus uotis, & precibus placent parentẽ uniuersi, ueterumq; ueniam peccatorũ, & uariam bonorũ recentium copiam postulent. Quòd autem sacrum legum harum decus, nonmodò apud Iudæos sed apud alios omnes fuerit admirationi, cùm ex ĳs quę dicta sunt, tum ex ĳs, quæ dicturi sumus, perspicuum est.

4 *O Philo, omnes admirantur & suspiciunt ieiunium, soli hæretici nostri illud uitupera nt & detestantur, traditionemq; appellant humanam, rem superstitiosam et inutilem.*

Principiò leges hæ chaldaica lingua conscriptæ sunt, in eaq; sola tandiu permanserunt, quoad retexerunt alĳs hominibus pulchritudinem suam, quę simul atq; animaduersa est, earumq; gloria longè lateq; percrebruit (licet enim egregię res propter inuidiam paulisper premantur, obscuræq; iaceant, opportuno tamẽ tempore propter naturæ beneuolentiã emergunt, ac splendent) quidam indignam rem existimantes, ꝙ apud dimidiam hominũ, eorumq; barbarorũ partem uigerent leges, earumq; Græci semper expertes forent, ad eas gręcè interpretandas animos appulerunt. Quam quidẽ prouinciam, quoniam magna erat, & ad cõmunem utilitatem spectabat, non homines priuati, nec Principes, quorũ magnus est numerus, sed Reges, atque adeò Regum probatissimus cepit. Ptolemęus hic fuit, cognomento Philadelphus, tertius ordine inter eos, qui ab Alexandro Aegyptum acceperunt, uirtutibus autem & imperio nõ sui temporis solũ, sed omnium, qui ante fuerant, pręstantissimus. Cuius gloria nunc etiam post tot secula celebris est. Ea nanq; magnificentiæ exempla monumentaq; per ciuitates, ac regiones reliquit, ut in prouerbij consuetudinem uenerit, ut egregia opera magniq; apparatus ab illo appellentur Adelphæi. Familia quidem Ptolemęorum regnis alijs antecelluit. Inter Ptolemęos autẽ pręstitit Philadelphus. Tam multa enim ipse præclarè gessit, quot uix à reliquis omnibus gesta sunt, fuitq; quodammodò Regum caput, quę pars in animali obtinet principatum.

Hic igitur talis, ac tantus Rex, legum nostrarũ cupiditate ac desiderio incensus, sibi faciendum putauit, ut eas ex chaldaica in gręcam linguam uertendas curaret. Itaque statim ad Iudęę sacerdotem ac Regem, unus enim tunc, atque idem erat, legatos misit, consilium aperiens suum, & rogans, ut optimos uiros eligeret, qui leges interpretarentur. At ille meritò lætus, existimansq; non sine diuina prouidentia Regẽ id tam uehemen-

ter expetere, dispicit qui'nam apud se Hebręi sint probatissimi, qui patrię disciplinę gręcam adiunxerint, eosq; libenter mittit. Cùm igitur ad hospitium uenissent inuitati, urbano sapientiq; orationis conuiuio ipsi uicissim hospitem acceperunt. Rex enim non usitatas, sed nouas quęstiones proponens, singulorum sapientiam explorabat. At illi rectè sciteq;, cùm tempus pluribus uerbis uti non permitteret, eas breuiter dissoluebant. Probati autem confestim pulchro legationis munere fungi cœperunt. Porrò secum ipsi considerantes, quantum negotium esset, diuinitus datas leges ita religiosè interpretari, ut nihil adimas, nihil addas, nihil immutes, sed germanã ipsarum formã, & figuram conserues, purissimum regionis locum extra ciuitatẽ inuestigabant. Quę enim mœnibus includebantur loca, ut diuersis animantibus plena, propter morbos, & obitus, & ualentium actiones haud ita sanctas, suspecta erant. Obiecta est Alexandriæ Pharus insula, cuius dorsum subligatum ad ciuitatẽ uersus protenditur, mariq; non admodum profundo, sed ferè uadoso decliue alluitur. Hunc ex omnibus locis finitimis iudicauerunt aptissimum, in quo tranquillè quiescerent, & animis uacuis in leges solas incumberent.

Hic igitur manserunt, sumptisq; libris sacris, unà cum ipsis sustulerunt manus in cœlũ, Deo supplicantes, ne se à proposito signo aberrare permitteret. Votis eorum annuit deus, ut plurimis, atque adeò uniuersis hominibus prodesset, qui ad rectam uitæ institutionem sapientissimis ac pulcherrimis pręceptis essent usuri. In secreto igitur loco considentes, nullo pręsente, pręter terram, & aquam, & aërem, & cœlum, quorũ procreationẽ primũ erant demonstraturi. (Legum enim principium mundi fabricam complectitur.) tanquã numine afflati, non aliud alij diuinarunt, sed easdem uoces, eademq; omnes uerba, non aliter, ac si interpres occultè singulis illa suggesisset, protulerunt. Quis autẽ nescit, omnem linguã, & græcã in primis, uocabulis abundare, & fieri posse, ut eandem sententiam idem interpres sæpenumerò aliter atque aliter uarijs dicendi rationibus describat atque explicet? Quod tamen in his legibus tradunt non accidisse, sed in idem ita collata fuisse propria cum proprijs nominibus, gręca cum chaldaicis, ut uerba rebus explicatis maximè congruerent. Quemadmodũ enim, quę de Geometria, & Dialectica conscripta sunt, uariam interpretationem non suscipiunt, sed ut à principio composita fuerunt, manent incõmutabilia, sic hi uerba rebus quadrantia inuenerunt, quę res quàm significatissimè essent explicatura. Cuius rei certissimum argumentũ est, quòd siquis Chaldęus linguã gręcã teneat, aut gręcus Chaldaicam, & utranque scripturã in manus sumat, & chaldaicè scriptam, & gręcè uersam, tanquã sorores, immò uerò ut unam eandemq; in rebus, ac uocibus, admiratur & colit, nec eos interpretes uocat, sed prophetas, & uates, quibus contigerit uera germanaq; oratione cum purissimo Mosis spiritu conuenire. Iccircò nunc etiam mos est, ut singulis annis in insula Pharo celebrentur festi dies, eoq; non Iudęi solũ, sed alij quàm plurimi naui-

gent,ut & locũ ipſum honorent,in quo primum eluxit interpretatio, & Deo propter uetus beneficium,cuius memoria ſemper eſt recẽs, gratias agant.Poſt preces autẽ,& gratiarum actiones, alij quidẽ in litore figentes tabernacula, alij in arena litoris accubantes ſub dio cũ domeſticis & amicis conuiuia celebrant, eoq́; tempore regijs apparatibus litus eſſe magnificentius arbitrantur.Ex quo tam priuati,quã principes ſe legũ ſtudioſos certatim oſtendunt, licet cum ipſa gente longo iam tẽpore haud pręclarè agatur. Quòd ſi rebus non ita proſperè ſuccedentibus nullo modo leges ſunt obſcuratę, quantam,ſi ad ſplendidiorem fortunam aliqua detur occaſio,acceſsionem futuram credimus?Equidẽ leges proprias omnes relicturos,multamq́; ſalutẽ patrijs inſtitutis dicturos,ſeq́; ad has ſolas excolendas conuerſuros arbitror. Gentis enim felicitate leges effulgẽtes alias, ut ſol exoriens ſtellas,obſcurarẽt. Ac magna quidẽ ex ijs,quę dicta ſunt, legiſlatoris laus apparet,ſed multo maior eſt illa,quam ſacri complectuntur libri, ad quos iam ſermonem conuertimus, ut ſcriptoris uirtutem demonſtremus.

Horum igitur alij quidẽ res geſtas continent, alij pręcepta, atque interdicta,de quibus poſtea dicemus, cum ordine pręcedentia prius explicauerimus. Qui complectuntur hiſtoriam, partim mundi procreationẽ perſequuntur,partim hominũ genera, & origines,atque hic quidẽ tum de ſupplicijs impiorum, tum de iuſtorum tractatur pręmijs. Quam autẽ ob cauſam hinc ſcribendi principiũ duxerit, & poſteriore loco pręcepta interdictaq́; collocarit,dicendũ eſt. Neque enim,ut Hiſtoricus aliquis,ſtuduit rerũ priſcarum memoriam literis conſignatã poſteris relinquere,ut eorum animos inutili delectatione oblectaret, ſed iam inde ab ipſo procreati mundi principio exorſus, ut duo declararet in primis neceſſaria, nempe eundem eſſe parentẽ,effectoremq́; mundi, ac ueritatis legiſlatorem,& eum,qui legibus uſurus eſſet, ex naturæ uniuerſiq́; ordine ſic uitam inſtituturum,ut ex uerborũ cum factis,factorumq́; cum uerbis conuenientia concentus & armonia proueniret. Aliorum igitur legiſlatorũ quidam ſtatim,quæ facienda,uitanda'ue eſſent præcipientes,pœnas conſtituerunt in eos,qui à præſcripto ſuo receſsiſſent, quidam uerò,qui meliores uidentur,non inde ſumpſerunt initium,ſed ciuitatẽ prius oratione conſtruxerunt,& exędificarunt, tum aptiſsimam ei uiuendi rationem, latis legibus,accõmodarunt. Moſes autẽ & priorum inſtitutum hominibus,non ut liberis,ſed ſeruis,imperandi,ſine ulla cohortatione, putans ad tyrannos dominoſq́; ſpectare,& poſteriorum quamuis accuratũ, non tamen abſolutum,nec omnibus ſuffragijs comprobandũ, utriſq; ſe rectius & præclarius geſsit.Nam in præceptis interdictiſq́; magis monet, & adhortatur,quàm iubet,dum & in principijs, & in concluſionibus plurima, & maximè neceſſaria ſtudet exponere, ut perſuadeat potius, quàm cogat. Et ſcriptionis initio ciuitatẽ manufactam conſtituere,rem nimis abiectam, atq; humilem exiſtimans,nec legum dignitati conuenire,quarũ magni-

tudinem pulchritudinemq; acutissima mentis acie præstantiorem, ac diuiniorẽ esse cernebat, q̃ ut ijs præfinitus aliquis in terra locus congrueret, magnæ ciuitatis fabricam enarrauit, existimans, leges simillimã mundi administrationis imaginem continere.

Siquis igitur sigillatim præceptorũ uim, & potentiã uolet expendere, inueniet, eam mundi concentum imitari, & sempiternæ naturæ rationi congruere. Quamobrem qui digni sunt, affluunt bonorum copijs, quæ uel ad ualetudinẽ, uel ad opes, uel ad gloriam, & reliqua spectant externa cõmoda. At qui uirtute neglecta, nec ulla impellente necessitate, sed sponte fraude, iniustitia, & reliquis uitijs se obstringunt, pro magna utilitate in maximũ detrimentũ incurrunt. Eos enim non ut hominũ, sed uniuersi cœli terræq; hostes supplicijs affici dicunt, non ijs, quæ sunt in usu, sed nouis, & inusitatis, quæ à Iustitia sceleris inimica, deoq; proximè assidente irrogantur, aqua, & igne, elementorũ efficacissimis, sic eos inuadentibus, ut temporum conuersionibus partim eluuione demersi pereant, partim combustione deleantur. Nam & ciuitates in planitie sitas inflata & tumescentia maria, fluuijq;, & torrentes obruerunt, & in montibus exędificatas imbrium die nocteq; perpetuò ingruentium impetus euerterunt. Postea uerò, cũ ex ijs, qui relicti fuerant genus hominum auctum, propagatumq; numero fuisset, nec maiorũ calamitate cõmoniti posteri resipiscerent, sed intemperantiæ dediti flagitiosa eorũ instituta imitarentur, eos Deus igne perdere constituit. Tunc igitur, ut indicant sacra uolumina, fulmina è cœlo demissa impios & ciuitates eorum combusserunt. Cuius quidẽ calamitatis certa nunc etiã in syria demonstrantur indicia, ruinæ, & cinis, & sulphur, & fumus, & obscura flamma, tanq̃ ardentis ignis. Ac eodem quidem tempore & nefarij homines pœnis, quas diximus, affecti sunt, & boni merita uirtutis præmia acceperunt. Etenim cum fulminis incendio tota regio cum incolis deflagraret, unus uir aduena solus diuina prouidentia conseruatus, qui incolarum flagitia uitauerat, licet incolumitatis causa, colere soleant aduenæ ciuium instituta. Ab illis enim sine periculo abhorrere non possunt. Tali aut munere ille dignus est habitus, non propter naturæ perfectionem, ut qui ad sapientiæ fastigium peruenisset, sed ob id solum, q̃ populo, qui mollissimam uitam complexus, uoluptates ac libidines omnes delicijs, tanq̃ sulphure materiaq; flãmis adiecta, incendebat, non consenserat. Cæterũ magnę eluuionis tempore, cum propemodũ omne genus hominũ abolitum uideretur, familiam unã ab omni malo ĩmunem fuisse, proditum est, quoniam ipsius familiæ natu maximus, & princeps nullo se uoluntario crimine obstrinxerat. Modũ autẽ quo saluti consuluit, & sacri libri cõmemorant, & ego propter rei magnitudinem dignum puto, qui literarum monumentis cõmendetur.

Hic igitur idoneus iudicatus qui non modò cõmunis calamitatis expers esset, uerum etiam alterius hominũ prolis origo atque principium foret, diuinis mandatis, quibus oracula declarabantur, ligneum edificium

gent,ut & locũ ipſum honorent,in quo primum eluxit interpretatio, & Deo propter uetus beneficium,cuius memoria ſemper eſt recẽs , gratias agant.Poſt preces autẽ,& gratiarum actiones, alij quidẽ in litore figentes tabernacula, alij in arena litoris accubantes ſub dio cũ domeſticis & amicis conuiuia celebrant, eoq́; tempore regijs apparatibus litus eſſe magnificentius arbitrantur.Ex quo tam priuati,quã principes ſe legũ ſtudioſos certatim oſtendunt, licet cum ipſa gente longo iam tẽpore haud pręclarè agatur . Quòd ſi rebus non ita proſperè ſuccedentibus nullo modo leges ſunt obſcuratę, quantam,ſi ad ſplendidiorem fortunam aliqua detur occaſio,acceſsionem futuram credimus?Equidẽ leges proprias omnes relicturos,multamq́; ſalutẽ patrijs inſtitutis dicturos,ſeq́; ad has ſolas excolendas conuerſuros arbitror.Gentis enim felicitate leges effulgẽtes alias, ut ſol exoriens ſtellas,obſcurarẽt . Ac magna quidẽ ex ijs,quę dicta ſunt, legiſlatoris laus apparet,ſed multo maior eſt illa,quam ſacri complectuntur libri , ad quos iam ſermonem conuertimus , ut ſcriptoris uirtutem demonſtremus.

Horum igitur alij quidẽ res geſtas continent , alij pręcepta, atque interdicta,de quibus poſtea dicemus, cum ordine pręcedentia prius explicauerimus. Qui complectuntur hiſtoriam, partim mundi procreationẽ perſequuntur,partim hominũ genera , & origines,atque hic quidẽ tum de ſupplicijs impiorꝝ , tum de iuſtorꝝ tractatur pręmijs. Quam autẽ ob cauſam hinc ſcribendi principiũ duxerit, & poſteriore loco pręcepta interdictaq́; collocarit,dicendũ eſt . Neque enim,ut Hiſtoricus aliquis,ſtuduit rerũ priſcarum memoriam literis conſignatã poſteris relinquere,ut eorum animos inutili delectatione oblectaret , ſed iam inde ab ipſo procreati mundi principio exorſus , ut duo declararet in primis neceſſaria, nempe eundem eſſe parentẽ,effectoremq́; mundi , ac ueritatis legiſlatorem,& eum,qui legibus uſurus eſſet , ex naturæ uniuerſiq́; ordine ſic uitam inſtituturum,ut ex uerborũ cum factis,factorumq́; cum uerbis conuenientia concentus & armonia proueniret . Aliorum igitur legiſlatorũ quidam ſtatim,quæ facienda,uitanda'ue eſſent præcipientes,pœnas conſtituerunt in eos,qui à præſcripto ſuo receſsiſſent, quidam uerò,qui meliores uidentur,non inde ſumpſerunt initium,ſed ciuitatẽ prius oratione conſtruxerunt,& exędificarunt , tum aptiſsimam ei uiuendi rationem, latis legibus,accõmodarunt. Moſes autẽ & priorum inſtitutum hominibus,non ut liberis,ſed ſeruis,imperandi,ſine ulla cohortatione, putans ad tyrannos dominoſq́; ſpectare,& poſteriorum quanuis accuratũ, non tamen abſolutum,nec omnibus ſuffragijs comprobandũ , utriſq; ſe rectius & præclarius geſsit.Nam in præceptis interdictiſq́; magis monet, & adhortatur,q̃ iubet,dum & in principijs, & in concluſionibus plurima , & maximè neceſſaria ſtudet exponere , ut perſuadeat potius , q̃ cogat . Et ſcriptionis initio ciuitatẽ manufactam conſtituere,rem nimis abiectam, atq; humilem exiſtimans,nec legum dignitati conuenire,quarũ magni-

tudinem

tudinem pulchritudinemq; acutissima mentis acie præstantiorem, ac diuiniorē esse cernebat, q̃ ut ijs præfinitus aliquis in terra locus congrueret, magnæ ciuitatis fabricam enarrauit, existimans, leges simillimā mundi administrationis imaginem continere.

Siquis igitur sigillatim præceptorū uim, & potentiā uolet expendere, inueniet, eam mundi concentum imitari, & sempiternæ naturæ rationi congruere. Quamobrem qui digni sunt, affluunt bonorꝫ copijs, quæ uel ad ualetudinē, uel ad opes, uel ad gloriam, & reliqua spectant externa cōmoda. At qui uirtute neglecta, nec ulla impellente necessitate, sed sponte fraude, iniustitia, & reliquis uitijs se obstringunt, pro magna utilitate in maximū detrimentū incurrunt. Eos enim non ut hominū, sed uniuersi cœli terræq; hostes supplicijs affici dicunt, non ijs, quæ sunt in usu, sed nouis, & inusitatis, quæ à Iustitia sceleris inimica, deoq; proximè assidente irrogantur, aqua, & igne, elementorū efficacissimis, sic eos inuadentibus, ut temporum conuersionibus partim eluuione demersi pereant, partim combustione deleantur. Nam & ciuitates in planitie sitas inflata & tumescentia maria, fluuijq;, & torrentes obruerunt, & in montibus exędificatas imbrium die nocteq; perpetuò ingruentium impetus euerterunt. Postea uerò, cū ex ijs, qui relicti fuerant genus hominum auctum, propagatumq; numero fuisset, nec maiorū calamitate cōmoniti posteri resipiscerent, sed intemperantiæ dediti flagitiosa eorū instituta imitarentur, eos Deus igne perdere constituit. Tunc igitur, ut indicant sacra uolumina, fulmina è cœlo demissa impios & ciuitates eorum combusserunt. Cuius quidē calamitatis certa nunc etiā in syria demonstrantur indicia, ruinæ, & cinis, & sulphur, & fumus, & obscura flam̄ma, tanq̃ ardentis ignis. Ac eodem quidem tempore & nefarij homines pœnis, quas diximus, affecti sunt, & boni merita uirtutis præmia acceperunt. Etenim cum fulminis incendio tota regio cum incolis deflagraret, unus uir aduena solus diuina prouidentia conseruatus, qui incolarum flagitia uitauerat, licet incolumitatis causa, colere soleant aduenæ ciuium instituta. Ab illis enim sine periculo abhorrere non possunt. Tali aut munere ille dignus est habitus, non propter naturæ perfectionem, ut qui ad sapientiæ fastigium peruenisset, sed ob id solum, q̓ populo, qui mollissimam uitam complexus, uoluptates ac libidines omnes delicijs, tanq̃ sulphure mater aq; flāmis adiecta, incendebat, non consenserat. Cæterū magnę eluuionis tempore, cum propemodū omne genus hominū abolitum uideretur, familiam unā ab omni malo ĩmunem fuisse, proditum est, quoniam ipsius familiæ natu maximus, & princeps nullo se uoluntario crimine obstrinxerat. Modū autē quo saluti consuluit, & sacri libri cōmemorant, & ego propter rei magnitudinem dignum puto, qui literarum monumentis cōmendetur.

Hic igitur idoneus iudicatus qui non modò cōmunis calamitatis expers esset, uerum etiam alterius hominū prolis origo atque principium foret, diuinis mandatis, quibus oracula declarabantur, ligneum edificium

fabricatus est, cuius longitudo erat trecentorum cubitorũ, latitudo quinquaginta, triginta autẽ altitudo. Continua intus cubicula inferiora, superioraq́; triplicia, quadrupliciaq́; cõstruxit, & comparatis cibarijs, ex omni genere animantium tam terrestrium, quam uolatilium marẽ ac fœminam intulit, ut semina uenturis seculis instaurandis conseruaret. Sciebat enim Deum natura benignum esse. Etsi animalia singula corrumperentur, genera tamen incorrupta mansura, tum propter similitudinẽ cum deo, tum quia nihil eorum, quæ consilio nata essent, solutum unq̃ fuisset. Omnes igitur animantes parebant ei, & quæ antea ĩmanes, feræq́; fuerant, cicures fiebant, illumq́; ut pastorem, gregisq́; principẽ mansuefactę sequebantur. Siquis autem post omnium ingressum, plenũ illud domicilium aspiciens, terræ totius æmulũ appellauisset, neutiq́; aberrasset. Gestabat enim animalium genera, quorũ numerũ infinitum uniuersa terra iam tulerat, rursumq́; erat latura. Quæ autẽ ille conieceraт, non multo post tempore euenerunt. Nam & affectio leuabatur, & eluuionis corruptio in dies singulos ĩminuebatur, cũ & imbres cohiberentur, & quæ per uniuersam terram refusa fuerat aqua, partim solis ardore consumeretur, partim in alueos, & ualles, & alias terræ cauitates rediret. Omnis enim natura tanq̃ Deo iubente, quasi æs alienũ, ut erat opus, suscipiebat, mare, & fontes, & flumina. Fluenta enim ad sua quæq; loca reuertebant. Verũ post eorũ, quæ sunt infra lunam, expurgationẽ, abluta renouataq́; terra, atq; in eum statũ, in quo erat initio, quando cum uniuerso creata fuit, restituta, ex ligneo ędificio ipse cum uxore, & liberis, & ipsorũ coniugibus, totaq́; familia egreditur, & gregatim quæcunque simul ingressa fuerant animaliũ genera, ad sui similia gignenda procreandaq́; exeunt.

Hæc sunt bonorũ uirorũ præmia, ac beneficia, quibus non solum ipsi cũ suis maxima pericula, quæ ex elementorũ renouatione cunctis ubiq; creabantur, declinantes, salutẽ sunt assecuti, uerumetiã noui generis duces alteriusq́; circuitus principes extiterunt, relicti tanq; semina optimi animaliũ generis hominũ. Homo enim eorum, quæ uersantur in terra, semel principatũ obtinuit, estq́; dei potestatis imitator, imago cõspicua, & genita illius naturæ, quæ non cernitur, & est sempiterna.

LIBER III.

DVabus uitæ Mosis partibus, quarum altera, pertinet ad regnum, ad legum sanctionem altera, iam absolutis, tertiam, quæ ad sacerdotium spectat, adiungemus.

Hic igitur quod amplissimũ est, sacerdotumq́; principi maximè necessarium, pietatẽ, ac religionẽ in primis coluit. Felici erat ingenio pręditus, quod tanq̃ bonũ agrũ philosophia susceptũ pręceptis, ac disciplinis suis excoluit, & longè felicius reddidit, nec prius dimisit, q̃ perfectos uirtutis fructus tum uerbis tum factis gigneret. Quamobrem cum paucis

aliis Dei amantiſsimus, Deoq; chariſsimus fuit. Cœleſti enim amore inflammatus Mundi Principem ſingulariter honorauit, & ab eo ipſe honoratus eſt. Honor autem ille ſapienti conuenit, ut id, quod uerè eſt, colat. Sacerdotium uerò tradidit cultum Dei. Hoc munere, quo nullum maius bonum reperitur, donatus eſt, & oraculis edoctus ſingula, quæ ad ſacrificia, ſacraq; miniſteria pertinent. Verum oportebat prius, ut animum, corpusq; luſtraret, ſeq; nullis perturbationibus obnoxium redderet, ſed ab omnibus illis affectionibus uacuum & purum, quibus obſtricta eſt natura mortalis, ut 5 cibo, & potu, & cũ fœminis conſuetudine. Quanq̃ hanc quidẽ iam pridem neglexerat, & ferè ex quo primũ diuinare uaticinariq; cœpit, æquũ enim cenſebat, ut ſe ad diuina reſponſa ſemper paratũ exhiberet. Cibũ uerò, & potũ ad 6 quadraginta continuos dies ſpreuit, meliores nimirũ ex contẽplationibus eſcas habens, quibus ſurſum afflatus è cœlo mentẽ primũ meliorẽ reddidit, deinde etiam corpus, quod ꝑ animũ & robore & ualetudine ſic confirmauit, ut intuentibus poſtea incredibile uideretur. Etenim cũ in montẽ illius regionis altiſsimum ſacratiſsimumq;, qui tam inuius erat, ut ſuperari uix poſſet, aſcendiſſet mandato Dei, ſecumq; nihil uictui neceſſarium attuliſſet, Et quadraginta dies, ut dictũ eſt, ibi manſiſſet, aſpectu pulchrior multo deſcendit, q̃ erat, cũ aſcenderet. Itaq; conſpicientes eum, obſtupeſcebant, & admirabantur, nec diutius in illum poterant aciem oculorũ intendere, quoniam tanq̃ fulgenti ſolis ſplendore pręſtringebatur.

5 *Quid dicent hic Lutheranorum Sacerdotes, qui continue crapula & ebrietate ſummerguntur, & à fœminarum conſuetudine diuelli nunquã poſſunt? Hæccine decent domini Sacerdotes?*

6 *Ecce ſolenne et celeberrimũ Moyſi Quadrageſimale ieiunũ.*

Dum autẽ adhuc ſurſum cõmoraretur, in omnibus ad munus pontificiũ pertinentibus erudiebatur, ac primũ in iis, quę ordine prima erant, quæq; ad tẽplum & apparatũ eius ſpectabant. Templum enim in ea regione, in quã cõmigrabant, quamq; iam ceperant, ędificari oportebat, in loco puriſsimo, & pretioſis lapidibus exornari, magnosq; circum muros extrui, & cõplures ſacerdotibus domos, qui ſanè locus ſacra ciuitas appellaretur. Verũ cũ adhuc in ſolitudine uagarentur, nec firmas conſtituiſſent ſedes, templum, quod geſtaretur, extruxit, ut in itineribus, & caſtris uictimas ĩmolarent, & nihil, quod ad ſacrificia pertineret, prætermitterent, nec ullius rei expertes eſſent, quę in ciuitatibus habitantes pręſtarent. Tabernaculum igitur opus ſacratiſsimũ, cuius formã in monte per diuina reſponſa Moſes didicerat, ædificare uiſum eſt, cũ eorũ corporum, quæ fabricanda erant, ſpecies incorporeas contẽplaretur, quas ueluti depicta exẽplaria, & formas mente conceptas oportebat imitari in iis operibus fabricandis, quę ſenſibus percipi poſſent. Decebat enim, ut uerè ſacerdotũ principi apparatus tẽpli cõmitteretur, quo multo ante apta conuenientiaq; muneribus publicis ſacrificia faceret. Quamobrẽ exempli ſpecies in animo Prophetæ ſine ulla materia ſpectabili occultè deſcripta inſculptaq; fuit. Opus autem ad exemplar effectum eſt, cum opifex in apta materia ſingula effingeret. Atque apparatus quidẽ erat eiuſmodi.

Octo & quadraginta columnæ ex cedro non putreſcente, magnis è

7 plantis excisce, profundo auro 7 obuoluebantur, earumq; singulis bases argenteæ binæ, & caput argenteũ aptabatur. Quadraginta igitur in longitudinem ita disposuerat artifex, ut utrinque uiginti essent, in medio autẽ nullum relictum erat spatium, sed perpetua serie coniunctæ ita cohærebant, ut muri speciem prebęrent. Intrinsecus autẽ reliquas octo, sex quidem in medio loco, duas autẽ utrinque in angulis, unam dextrorsum, alteram sinistrorsum. Ad introitum uerò quatuor alias ijs, quæ ex aduerso positæ erant, similes, nisi ꝙ pro duabus basibus unam habebant, post quas extrinsecus aliæ quinq; solis basibus differentes, erant enim ex ære. Quapropter omnes tabernaculi columnę pręter duas illas, quę non uidebantur, erant quinque & quinquaginta perspicuę, ab unitate usque ad decadem, perfectionis numerum absoluentes. Siquis autem uelit illas quinque seiungere, quę sub dio collocatę erant in atrio, quod uestibulum uocauit, relinquentur quinquaginta, quo quidem numero sacratissimo continetur uis trianguli orthogonij, qui rerum omnium ortus principiũ est. Expletur autem ex columnis, quæ intus erant, quadraginta quidem in utroque latere ita dispositis, ut utrinque uiginti essent, sex autẽ in medio pręter illas, quę iuxta angulos occultabantur, & quatuor ex aduerso, super quibus uelum expandebatur. Cur autem quinque cum quinquaginta coniungam & separem, declarabo.

7 Si tã diues et splendidus fuit ueteris tabernaculi apparatus, in quo dominus sua responsa dabat, cur reprehendunt nunc aliqui magnificas templorum structuras, et pias fidelium in eas oblationes, tanquàm res malas, & deo nec gratas nec acceptas?

Quinarius numerus est numerus sensuum, qui sanè sensus partim ad externa respiciunt, partim ad mentem, cuius ministri sunt naturæ lege, reflectuntur. Quamobrem & regionem mediam quinque illis tribuit, quæ tum intrò spectant, tum ad tabernaculi penetralia uersæ sunt. Et significant ea, quæ animo percipiuntur, quemadmodum ex ijs, quæ sub dio sunt, & contra uestibulum, sensibus obnoxia declarantur. Quocirca & basibus differunt. Sunt enim æneæ. Sensuum autẽ, qui in nobis sunt, caput & princeps est mens. Extrema uerò, & tanq̃ bases sunt ea, quę sensibus comprehenduntur, & iccircò hæc æri dicuntur similia, mens autẽ auro. Porrò mensura columnarũ hæc est. Decem cubitorum longitudo, quinque autẽ cum dimidio latitudo, ut tabernaculũ omnibus partibus ęquale uideat. Pulcherrimus uerò & uarijs telis ex hiacyntho, & coccino & purpura, & bysso contextis ipsum ornauit. Decem enim cortinas (sic eas uocat in sacra scriptura) ex his'ce quæ modò diximus generibus confecit. Harum singulis longitudo erat octo & uiginti cubitorũ, latitudo ad quatuor cubitos extendebatur, ut & denariũ haberent numerũ, quo perfectio continetur, & quaternariũ, quo denarius ipse conficitur, & octonarium, ac uicenariũ perfectũ, suis partibus æqualẽ, & quadragenariũ maximè uitalẽ, quo in naturę officina formari hominẽ tradunt. Octo autẽ & uiginti cubiti cortinarũ ita distribuunt, ut decẽ fastigiũ tegant: tãta enim est tabernaculi latitudo: reliqui latera, noueni utrinq; ita colũnas operiãt, ut unius cubiti spatiò distent à solo, ne pulchra sacraq; textura laceretur. Quadraginta uerò connumerantur ex decem cortinarum latitudine.

Quorum

Quorum triginta recipit longitudo, tanta enim est & tabernaculo: nouem posterior pars: reliquũ, id, quod est iuxta uestibulum, ut totius operimenti uinculum sit. In uestibulo autẽ uelum, sunt aũt uela cortinę quodammodo, nõ solùm quia fastigium & parietes tegunt, uerũ etiam quia ex eisdẽ generibus, nempe Hyacintho, purpura, coccino, & bysso uelum, & id, quod operimentũ dicitur, contexta sunt, hoc quidem intus ad quatuor columnas, ut adytum tegat, illud autẽ foris iuxta quinque, ut nullus eorum, qui non sunt initiati, ex specula posit sancta conspicere. Porrò materiam, quã optimã iudicauit, ex innumerabilibus delegit, numero parem elementis, ex qbus constat uniuersum, idest, terra, aqua, aëre, & igne, rationeq; singulis respondentem. Byssus enim respondet terrę: purpura aquę: hyacinthus aëri, quippe qui natura niger est: coccinum igni, quoniam utrunque puniceum. Oportebat enim, ut qui mundi parenti ac principi templum fabricabant, earum rerũ similes caperent, quibus ipse mundum construxerat.

Hac igitur ratione tabernaculum ut sacrũ tẽplum ædificatum est. In eius autẽ ambitu delubrũ extructũ erat longitudinis centũ cubitorũ, latitudinis quinquaginta, quod columnas habebat sexaginta, æquo quinque cubitorum interuallo distantes inter se, atq; ita collocatas, ut per longitudinem quadraginta essent, per latitudinẽ uiginti, utrinq; nimirũ dimidia pars. Earũ materia intrinsecus erat è cedro, extrinsecus autẽ ex argento. Omnium bases æneæ, altitudo æqualis quinq; cubitorũ. Visum enim est aptum artifici, toto dimidio contrahere altitudinem atrij, ut duplo sublimius tabernaculum uideretur. Tenues autẽ cortinæ columnis per longitudinẽ & latitudinẽ cohærebant, uelis similes, ut nullus profanus introiret. At situs erat eiusmodi. In medio tabernaculum longum triginta cubitis, latum decẽ cum profunditate columnarum. Ab atrio autem tribus partibus, æquis interuallis distabat, hoc est, ab utroq; latere, & à parte posteriore, interuallum autem erat uiginti cubitorum. Contra uestibulum uerò maius erat interuallum, idest, quinquaginta cubitorum, & meritò quidem propter ingredientium multitudinẽ. Atq; ita centum explebantur, cũ uiginti posterioris partis, & triginta tabernaculi, cũ his ingressuũ quinquaginta coniungerentur. Vestibula enim tabernaculi medium ueluti terminum obtinebant, cũ quinquageni utrinq; essent tam ab oriente ubi erant introitus, q̃ ab occidente, ubi longitudo tabernaculi, & posterior ambitus.

Sed aliud pulcherrimũ maximumq; uestibulum erat exædificatum in principio ingressus ad atrium per quatuor columnas, ĩ quibus uelum uarium extendebatur, eodẽ pacto, ex eademq; materia confectũ, qua illa, quæ in atrio erant, constabant. Simul etiam aderant sacra uasa, arca, lucernæ, mensa, thuribulum, altare. Atque altare quidẽ ædificabatur sub dio, è regione ingressus tabernaculi, tanto distans interuallo, quanto sacerdotibus opus erat ad facienda quotidiana sacrificia. Arca uerò in loco abdito,

quò adiri non poterat, intra uela, magnificè intus & foris inaurata, cui quoddã ueluti operculum imponebatur, quod in sacris libris dicitur propitiatorium. Huius longitudo latitudoq; indicatur, sed nulla profunditas ad geometricæ superficiei similitudinẽ, quod quidẽ naturali nota significat propitiam Dei potestatem: morali autẽ propitiam rursus Dei mentem, quæ opinionẽ elatam ac tumidã modestiæ amore deprimere, scientiaq; expurgare dignatur. Sed arca est legũ receptaculum, in hac enim reponuntur oracula. Cæterũ operculum illud, quod propitiatorium appellatur, est basis duorꝫ alituũ, qui patria quidem lingua dicuntur Cherubin, græcè autẽ cognitio & scientia multa uocarentur. Hos autẽ, quoniã ex aduerso sese uicissim contuentur, quidã utriusq; hemisphęrĳ, tum illius, quod est sub terra, tum eius quod est supra terram, dicunt esse notas. uolucre enim est uniuersum cęlum. Ego uerò dicerẽ significari duas antiquissimas & maximas Dei potestates effectricẽ, & moderatricẽ. Quarũ altera, effectrice nimirum, qua constituit, & perfecit, & ornauit Vniuersum, appellatur Deus. moderatrice uerò, qua res factas perpetua iustitia gubernat, & regit, & tuetur, Dominus uocatur. Solus enim ipse, qui uerè est, sine mendacio & effector est, Quandoquidem ab eo res omnes habent, ut sint: & natura Rex, quoniam rebus procreatis nullus procreatore iustius imperat.

Iam in eo spatio, quod inter quatuor & quinque columnas intercedebat, & Antetemplum uocari potest, duobusq; uelis uno intrinsecus, altero extrinsecus tegebatur, tria reliqua ex uasis, quæ ante diximus, ita collocabantur, ut thuribulum locũ medium obtineret. Significaret autẽ terrã, & aquã, & quas gratias agere debeamus pro ijs, quę ĩ utraq; genita sunt. Mediam enim mundi regionẽ hæc duo elementa sortita sunt. Candelabrum autẽ ad austrum, per quod indicatur lucentium stellarũ motus, sol enim, & luna, & reliquæ multũ à septentrione distantes, australes conuersiones conficiunt. Quare sex radĳ ex medio ducti candelabro septenariũ
8 numerũ reddunt, super omnibus autẽ lumina & lucernæ 8 sunt septẽ, quæ septẽ illas stellas à naturalibus errãtes nuncupatas indicant. Sol enim in medio constitutus quartũ locũ tenet, & tam superioribus, ꝙ inferioribus lucẽ affert æquè accõmodatum ut musicũ, planeq; diuinũ instrumẽtum. Mensa uerò ad septentrionem locatur, ubi panis, & sal. Boreas enim inde flat, qui uentorꝫ omnium maximè ad gignendũ conducit. & quoniam è cœlo & terra fruges proueniunt. Siquidẽ & cœlum demittit pluuias, & terra pluuiarũ irrigationibus semina fœcunda reddit. Cœli autẽ, & terrę adsunt, ut dictum est, notæ. Cœli quidẽ candelabrũ, terræ uerò, unde fiunt exhalationes, thuribulum, quod ex re ipsa græcè dicitur thymiaterium. Altare itidẽ, quod sub dio est, à græcis ideò thysiasterium uocatur, ꝙ seruet, & custodiat sacrificia, quæ consumuntur. Significat autẽ non mẽbra, aut partes hostiarũ, quæ igne confici consueuerunt, sed propositũ, & uoluntatẽ offerentis, cuius hostię, si ingratus, iniustusq; sit, inui-

Cur subsannant hodie accensionem luminariũ in Ecclesijs hæretici, cum Dominus in tabernaculo suo habere uoluerit candelabrum cum septem lucernis ardentibus?

ſe ſunt,& ſacrificia execrabilia,& preces deteſtabiles,quæ prorſus abolẽtur. Etenim quando uidentur fieri,nõ peccatorũ ſolutionem ac ueniam impetrant,ſed memoriam renouãt: ſin pius,& iuſtus,ſacrificium firmũ, atq; integrũ manet,etiam ſi carnes conſumantur,ĩmò uerò licet nullam adducat uictimam. Nam uera uictima eſt animi Deum amantis pietas, cuius gratiſsima affectio immortalitate donatur, monumentisq; notata apud Deum cum ſole,& luna,atque uniuerſo mundo permanet ad omnem æternitatem.

Veſtimenta deinceps pulcherrimã maximeq; uariam texturã habentia confecit artifex ei,qui futurus erat princeps ſacerdotũ. erant autẽ duplicia,nempe tunica,& quod Superhumerale appellatur. Tunicæ forma ſimplicior erat,quippe quę tota ex hyacintho cõſtabat, præter infimas, atque extremas oras,quæ malis punicis aureis,& tintinnabulis, & textura florida diſtinguebantur. Superhumerale uerò præclariſsimũ opus,& artificioſiſsimũ perfectiſsima ſcientia fiebat ex generibus cõmemoratis, hyacintho,& purpura,& byſſo,& coccino, auroq; intertexto. Laminæ enim in tenuiſsimos ueluti crines diuidebantur, & cũ reliquis filis cõtexebantur. Humeris autẽ ſummis pretioſi lapides aptabantur,ſmaragdi duo lucidiſsimi,quibus duodecim prefectorũ tribuum nomina, ſena ſingulis, erant inſculpta. Et ſuper pectus alij lapides pretioſi,coloribus differentes, ſigillisq; ſimiles, & terni in ordines quatuor diſtributi, quibus id, quod Rationale dicitur, exornabatur. Rationale autẽ quadrangulum duplex efficiebatur,tanq̃ baſis,ut duarũ uirtutũ Declarationis & Veritatis imagines gereret. Totũ uerò duabus cathenulis aureis ſuperhumerali ſuſpẽdebatur,ne decideret. At lamina aurea ĩ coronæ ſpeciem efficta quatuor nominis ſculpturas continebat,quod quidẽ nomen nec audire nec legere cuiq; omnino in ſanctis licebat,niſi qui aures & linguã expurgatas habebat. Tetragrãmaton,hoc eſt,literis quatuor cõprehenſum,illud appellat Theologus,ut fortaſſe ſint primorũ numerorũ notæ, unitatis, binarij, ternarij,& quaternarij. In quaternario enim omnia cõtinentur,punctũ, & linea,& ſuperficies,& corpus,quæ ſunt rerũ omnium menſurę:& qui ſunt in muſica concentus optimi, tum per quatuor in ſeſquitertia proportione,tum per quinque in ſeſquialtera,tum per omnia in duplo,tum per omnia in quadruplo. Verũ & alias habet uirtutes innumerabiles quaternarium,quarũ plurimas in libro de numeris perſecuti ſumus. Cęterũ mitra erat ſub ipſo, ne lamina caput attingeret. Cidaris item parata eſt, quam Reges in oriente pro diademate geſtare ſoliti ſunt. Talis erat amictus ſummi Pontificis. Quid autẽ & totus,& ſingulę partes ſignificent, ſilentio prętereundum non eſt. Totus igitur eſt imago & effigies mũdi, partes ſingularũ mundi partium ſimilitudinem præferunt.

Exordiendum autẽ eſt à tunica, quæ quidem ueſtis tota hyacinthina aërem refert. Natura enim niger eſt aër,qualis eſt quodãmodo & ipſa tunica. Aër ab ipſa,quæ poſt lunã eſt regione,ad terræ terminos uſque paſ-

sim diffunditur. Quapropter & tunica à pectore ad pedes usq; per totũ corpus diffusa est. Quòd autẽ in eius fimbrĳs sunt flores, & mala punica, & crepitacula, flores quidẽ indicant terrã, ex qua florent, & pullulant omnia. Mala punica propter humorẽ designant aquã. Crepitacula uerò utriusq; cõcentũ, & harmoniam. Etenim nec terra sine aqua, nec aqua sine terrę materia ad gignendũ est idonea, sed utriusq; coniunctio, atq; cõcretio est necessaria. Quinetiam locus ipse testis est huius'ce rei locupletissimus. Quemadmodũ enim in extremis oris tunicæ sunt mala punica, & flores, & tintinnabula, sic etiam aqua, & terra, quarũ notas illa præferunt, infimã in mũdo regionẽ sortitę sunt, uniuersiq; harmonię cõgruentes certis tẽporum conuersionibus & conuenientibus tẽpestatibus, uires ostendunt suas. Trium igitur elementorũ ex quibus, & in quibus omnia mortalia, caducaq; genera consistunt, aëris, aquæ, terrę significationẽ habere tunicam cum illis, quę ex ipsa suspensa pendent, demonstrauimus. Quemadmodum enim una est tunica, sic & dicta elementa unius generis sunt. Quandoquidẽ omnia luna inferiora mutationibus & inuersionibus sunt obnoxia. Et quemadmodum ex tunica pendent mala punica, & flores, sic ex aëre quodammodo pendet aqua, & terra. Harum enim uehiculum est aër.

Superhumerale uerò cœlum indicare probabilibus utentes coniecturis declarabimus. Primũ quidẽ duo rotundi lapides ex smaragdo significant, ut quidã putant, inter stellas diei noctisq; principes solem & lunã: uel, ut quis ad ueritatẽ propius accedens diceret, duo Hemisphæria, quę, ut ipsi lapides, & ęqualia inter se sunt, tam illud quod infra terram est, q̃ illud, quod est supra terrã, & neutrum illorũ, ut luna, minuitur, aut augetur. Hoc etiam usus ipse cõfirmat. Cœli nanq; species smaragdo uidetur similis. Necessariò autẽ in utroq; lapide sena insculpuntur nomina, quoniam & utrunq; Hemisphærium in duas partes signiferũ secans sena recipit signa. Pręterea duodecim lapides pectori appositi coloribus inter se dissimiles, & quadrifariam in ternos distributi quid aliud significant, q̃ signiferi circulum, qui quatuor in partes, terna signa singulas cõtinentes, diuisus, quatuor anni tẽpora conficit, uer, ęstatem, autumnũ, & hyemẽ: quatuor cõuersiones, quarũ uniuscuiusq; terminus terna signa agnoscit, solis motu ex certa, & fixa, uereq; diuina ratione numerorũ. Quamobrẽ illi etiam aptantur, quod conuenienti nomine uocatur Rationale. pręfinita enim constantiq; ratione conuersiones, & anni horę consistunt, &, quod maximè mirandum est, opportuna cõmutatione statum suũ indicant sempiternum. bene etiam, ac pręclarè quadrat, quòd duodecim lapides coloribus inter se discrepant, nec ullus alteri similis est, quandò singula quoq; in signifero proprium quendã tum in aëre, terra, aqua, ipsorũq; affectionibus, tum in omnibus animalium plantarumq; generibus colorem efficiunt. Nec ab re duplex est Rationale. Duplex enim est ratio, tũ in uniuerso, tum in hominis natura. In uniuerso quidẽ altera incorporea-

rum exẽplariumq; formarũ, ex quibus mundus intelligibilis cõpactus est, altera uisibilium, quæ illarũ imagines ac similitudines sunt, & ex quibus mundus hic sensibilis est confectus. In homine uerò una quidem intima, ex qua tanq̃ ex fonte altera fluens emanat. atq; illa quidẽ in regione sua consistens principatum obtinet, hæc autem emittitur, & ad enunciandũ linguã, & os, & reliqua omnia proposita habet uocis instrumẽta.

Figuram Rationali quadrangularẽ adiunxit artifex, scitè admodum innuens, & naturæ, & hominis rationem quacunq; incedere, nec usquã concuti, aut dimoueri. Quocirca duas etiam illi uirtutes tribuit, Declarationem, & Veritatẽ. Nam & naturæ ratio uera est, & cuncta declarat. Et illius imitatrix humana ratio, atq; oratio meritò debet ab omni mendacio prorsus abhorrere, ac ueritatis esse studiosissima, & inuidia nihil obtegere, aut obscurare, quorum declaratio prodesse discentibus queat. Duabus itẽ rationibus, quæ in nobis singulis sunt, ei nimirũ, quæ per orationẽ effertur, & illi, quæ intrinsecus manet, duas uirtutes proprias, priori quidem in eloquendo, declarationẽ, alteri autẽ in cogitando, ueritatem, assignauit. Oportet enim, ut nihil falsi cogitatio suscipiat, & interpretatio nihil impediat, quo minus omnia diligentissimè declarentur. Rationis autem honesta præclaraq; grauiter explicantis nulla utilitas est, nisi facta consequantur orationi consentanea. Quamobrem Humerali suspendit Rationale, ne laberetur, absurdum esse iudicans, si uerba à factis seiuncta essent. Humerũ enim actionis, effectionisq; notam constituit. Quæ igitur per sacrum amictum significantur, hæc sunt.

Cidarim uerò loco diadematis imponit, indicans, Deo sacrificantem, quandiu quidem sacrificat, cunctis præstare, nec solùm priuatis hominibus, uerũ etiam Regibus. Verũ aurea lamina supraponitur, in qua literæ quatuor incisę sunt, quibus eũ, qui est, indicari tradunt, quoniam fieri nequeat, ut sine Dei inuocatione quicquã consistat. Ab eius enim bonitate, propitiaq; potentia rerũ omnium harmonia depẽdet. Sic exornatus sacerdotũ princeps ad sacrificandũ accedit, ut quando supplicaturus, & hostias ĩmolaturus ingreditur, simul cũ ipso ingrediatur mũdus uniuersus, cuius partium singularũ similitudines secũ affert, aẽris quidem tunicam: aquæ uerò, malum punicum: terræ, florem: ignis, coccinũ: cœli, superhumerale: duorũ hemisphæriorũ, duos ĩ summis humeris smaragdos, senas sculpturas singulos cõtinentes: signiferi, duodecim lapides ordinibus quatuor, singulis ternos, cõprehensos: rationis uniuersum cõplectentis & gubernantis, Rationale. Necessarium enim erat, ut qui mundi parenti sacrificaret, ad peccatorũ ueniam, affluentemq; rerũ omnium abundantiam & copiam impetrandam, aduocatũ uirtute perfectissimũ filium adhiberet. Illud etiam fortasse præmonetur minister Dei, ut, si mundi opifice non potest, mundo saltem pro uiribus continenter dignum se præbeat. Etenim cũ eius imaginem induat, debet etiam animo statim illius exemplum gestare, & in mundi naturam quodãmodo ex hominis natura sese

conuertere,atq; ita,si fas est,dicere (cur autē nefas sit,de ueritate differentem non mentiri?) exiguus mundus euadere.

Extra uestibula,iuxta introitus erat uas æneum, quod artifex non ex rudi materia,ut fieri solet,conflauerat,sed ex uasis ad alium usum accuratè confectis, quæ studiosè prompteq; obtulerant mulieres de pietate cū uiris contendentes. Honestū enim religionis certamen cū illis suscipere cogitauerant,&,quoad fieri poterat,operā dare,ne in eo ab ipsis uincerētur. Specula igitur, quibus ad se comendas & ornandas uti erant solitæ, nullius mandato,sed sponte sua,& continentiæ, casteq; colendi matrimonij studio,quippe quæ honestissimas animi pulchritudinis primitias sacrauerant,obtulerunt. Hæc artifex cū accepisset,conflanda existimauit, & nihil ex ijs conficiendum,nisi labrum, quo sacerdotes in sacrū tēplum ad constituta sacrificia facienda ingressuri,pedibus & manibus abluendis uterentur,eoq; signo cōmoniti,animi innocentiam præstarent, uitamq; purè honestis officijs & actionibus instituerent,nec per asperā,uel,ut uerius dicam,inuiam uitiorum,sed planā & publicā uirtutis uiam incederent. Meminerit, inquit, qui abluendus est, specula huiusce uasis materiam fuisse,ut ipse quoque mentē,atq; animū suū tanq̃ in speculo contēpletur & siqua macula ex perturbatione rationi contraria apparuerit,quod aut uoluptate præter naturā inflatus efferatur, aut contrà dolore contractus deprimatur,aut metu à recta uia declinās aberret,aut cupiditate ad ea,quæ non habet,appetenda incitetur & cōpellatur,eam abstergat ac deleat,ueramq; & germanā acquirat pulchritudinē. Corporis enim pulchritudo, quæ in apta mēbrorum cōpositione,& coloris quadā suauitate consistit,exiguū ad tempus floret. At animi forma,quæ ī opinionū harmonia,uirtutumq; concentu sita est,non marcescit longitudine temporis,sed assiduè renouatur ac uiget,refulgetq; ornata colore ueritatis,& consensu factorum cū dictis,dictorumq; cū factis,& consiliorum cū utrisq;.

Verū ei,qui exēpla sacri tabernaculi didicerat,docueratq; eos,qui mētis acie & naturæ bonitate præditi ualebant perspicere perfectionē operum,quæ templi constructi decori conuenientia fieri oportebat,sacerdotes idonei cooptandi erudiendiq; erant,quonam modo uictimas adduci, atque īmolari conueniret. Itaq; fratrē ex omnibus optimū iudicauit,qui sacerdotū princeps crearetur,& filios eius sacerdotes constituit. Nec generis necessitudine adductus est,ut eis munus illud tribueret, sed religione & pietate,quibus illos insignes intuebatur. Id eo argumēto perspicuè confirmari potest,quod neutrū filiorum suorū (duos enim habebat) ei muneri præfecit,utrunq; necessariò cooptaturus,si quicquā in ea re propinquitati tribuisset. constituit autē illos ex consensu totius populi,ut monebant oracula,inusitata ac noua quadam ratione,& digna,quæ monumētis literarum commendetur.

Lauat eos primū aqua fontis purissima, & uiua, Deinde sacra omnia induit uestimenta,fratri quidem tunicā,& superhumerale,tanquā thora

cem, opus maximè uarium, & simulachrũ Vniuersi. Fratris autem filijs amictus lineos, & cingulos, & fœminalia. Cingulos quidẽ, ut amictuum defluentium constrictis finibus expediti promptiq; essent ad sacra ministranda. Fœminalia uerò, ut nullæ corporis partes, quæ honestè latent, aperirentur ascendentibus illis super altare, aut descendentibus. Seduloq; omnia, & cũ celeritate peragentibus. Quòd nisi propter incertos euẽtus, & asiduã in sacrificijs uelocitatem, prouisum esset, eas denudassent, nec munditiam rebus sacris conuenientẽ seruare potuissent. Verũ cũ eos induisset uestimentis, unguentũ odoratissimũ unguentarij arte confectum sumens, ea primũ, quæ sub dio erant, altare, & labrum, aspersit septies. Deinde tabernaculũ, & singula uasa, arcã, & candelabrũ, & thuribulum, & mensam, & libationis pocula, & phialas, & quæcunque sacrificijs sunt necessaria, aut utilia. Postremò fratrẽ adduxit, & oleo multo unxit caput eius. His sanctè confectis, uitulum, & duos arietes adduci iubet. Vitulum quidẽ, ut ĩmolaret pro uenia peccatorum, ea re significans, nihil procreatũ esse tam bonũ, cui non uel ex eo, quod genitũ est, propensio ad peccandum insita sit, ideoq; precibus & sacrificijs Deum illi placandum esse, ne ad ulciscendum concitetur. Arietum uerò unũ in holocaustum ad agendas gratias pro rerũ omnium gubernatione, cuius pro congrua cuiq; portione participes, fructus percipimus ex elementis, ex terra quidẽ habitationem, & cibũ: ex aqua potũ, ablutionẽ, & nauigationẽ: ex aëre respirationem, & sensuũ usus, omniũ enim instrumentũ est aër, & annua tẽpora: Ex igne uel quo utimur, coquendi, calefaciendiq; cõmoditates, uel cœlesti, splendorẽ, uidendiq; ea, quæ cerni possunt, facultatẽ. Alterũ autem ad perfectionẽ castę expurgationis eorũ, qui sacrabantur, quẽ propriè consecrationis arietẽ appellauit. Eo nanq; cerimonię consecrandis sacerdotibus & ministris Dei conuenientes fieri debebant. Huius sanguinem partim fudit in altaris circuitu, partim excepit phiala, eoq; tres corporis partes initiandis sacerdotibus unxit, summã aurẽ, summã manũ, & summũ pedẽ, dextra tamen hæc singula, ut indicaret, initiatũ & uerbis, & factis, & tota uita purum esse oportere. Auris enim uerba, manus facta, pes totius uitę progressum significat. Nam quod extremę dextræq; partes inunguntur, in his singulis cumulum & incrementũ declarat. Dextrũ enim & summũ, felicitatis, & finis sunt notæ, quò festinare & actiones omnes dirigere necessarium est, & quemadmodum in iaculando signũ, sic uitæ propositum finem intueri.

Cũ igitur puro unius uictimæ, quæ consecratio appellata est, sanguine tres, quas diximus, sacerdotibus partes iam unxisset, rursum ex eo, quod erat apud altare sumens, & ex omnibus constabat, & ex ĩmolatis, & ex dicto unguento, quod fecerant unguentarij, miscensq; oleum sanguini mixturæ, sacerdotibus & uestimentis ipsorũ inspersit, uolens eos non solùm foris, & sub dio, uerũ etiam in adytis esse participes sanctitatis. Siquidem & intus erant sacrificaturi. omnia autẽ intus oleo illita fuerant. Sed

post priores uictimas cũ aliæ fuissent oblatæ, tum à sacerdotibus pro se, tum à senatu pro uniuersa multitudine, Moses in tabernaculum ingreditur, & fratrẽ secum adducit. Octaua erat, extremaq; consecrationis dies. Septem enim prioribus diebus sacrificans etiam fratris filios initiauerat. Ingressus igitur, ut bonus interpres, docilem domesticum erudiebat, qua ratione sacerdotũ principem intus sacrificare oporteret. Deinde egressi ambo, extensis manibus ante caput, pura, piaq; mente preces populo cõuenientes effundunt. Illis autem adhuc precantibus res accidit maximè admirabilis. Ex adytis enim siue particula purissimi ætheris, siue repentina flamma, aëre naturali elementorũ mutatione in ignẽ conuerso, statim exilit, celeriq; impetu fertur ad altare, & quę super ipso erant, cuncta cõsumit, ut nihil sine diuino consilio, quemadmodum puto, fieri constaret. Munus enim eximium, par erat, sanctis tribui, cuius quidẽ non homines ministri essent, sed purissimus naturę ignis, nec ignis, qui apud nos ĩ usu est, utpote cędibus innumerabilibus inquinatus altare cõtingeret. Attingit enim non solùm animalia rationis expertia, dum ad iniquam miseri uentris expletionẽ assantur, aut elixantur, uerũ etiam homines, qui per insidias interimuntur, non tres, aut quatuor, sed frequentes cœtus. Nam & magnæ iam classes coniectis iaculis ardentibus combustæ sunt, & totę ciuitates deflagrauerunt, quæ funditus euersæ, in cineremq; redactæ, ita deletæ sunt, ut ne uestigium quidem earũ ullum relictum sit. Hac ego de causa cõmunem hunc nostrũ ignem ut contaminatũ à sacratissimo altari fuisse reiectũ arbitror, ætheriumq; ignẽ è cœlo pluisse, ut à sanctis profana, & humana à diuinis distinguerentur. Decebat enim ut sacrificijs incorruptior natura ignis tribueretur, ꝙ illa, quæ uitæ usui & commodis seruit.

Verũ cũ multæ quotidie uictimę necessariò pręsertim diebus festis & celebribus ĩmolarentur, & priuatim pro singulis, & publicè pro uniuersis, ut innumerabiles & uarię in maximo populo religioniq; dedito causę contingunt, maiore sacerdotum numero rebus sacris administrandis opus erat. Itaq; noua insolitaq; ratione delectus est institutus Moses enĩ unã ex duodecim tribubus, quã optimã censuit, cooptauit, egregio & pio illius facinori tribuens id munus. Facinus autẽ fuit eiusmodi. Cũ Moses in montẽ propinquũ ascendisset, multosq; dies priuatim uersaretur cũ Deo, illi qui natura instabiles erant, nacti ex absentia ipsius occasionẽ, & tanꝗ nullus adesset princeps, soluti ac liberi ad impietatẽ animos conuerterunt, oblitiq; pietatis erga Deum, imitati sunt Ægyptiorũ figmenta. Aureum enim taurũ fabricarunt, simulachrũ animalis, quod in ea regione sacratissimũ putabatur, & hostias impias ĩmolarunt, & choros execrabiles constituerunt, cantusq; cecinerunt nihil à lamentationibus differentes, meroq; obruti, & duplici tum ex uino, tum ex insipientia ebrietate correpti sunt, atq; integras noctes in lasciuis saltationibus consumentes, nullaq; rerũ futurarum sollicitudine affecti, in perniciosis uoluptatibus

uersa-

uersabantur. Iustitia enim in insidijs posita se non intuentes cernebat, & quibus digni supplicijs essent, considerabat. Sed cũ frequentes cœtus celebrantium clamores assidui tam longè progrederentur, ut ad montis usq; uerticem strepitus perueniret, perculsus Moses quidnam ageret, hæsitabat. Etenim, ut Dei simul & hominũ studiosus, nec institutum cum Deo sermonẽ uolebat omittere, familiariter enim solus cum solo loquebatur, nec multitudinẽ negligere, quæ imperio destituta sese flagitijs obstringebat. Tumultum enim agnoscebat, quippe qui ex incerta confusaq; uoce obscuras & incognitas alijs animorũ affectiones conijcere poterat, atque intelligere perturbationẽ illam ex uinolentia proficisci, cũ satietas ex intemperantia orta esset, & ex satietate contumelia.

Cùm igitur utrinque traheretur, & modò huc, modò illuc inclinaret, & dubius in ancipiti penderet, oraculum audit eiusmodi: Vade celeriter, & hinc discede. Populus ad iniquitatẽ festinauit. Manufactum, tauriq; formam habentem, & à se conflatum Deũ, non Deũ, adorant & colunt, omnium, quæ uiderunt & audiuerunt ad religionẽ pertinentium obliti. Cõmotus ergo coactusq; credere ijs, quę uidebantur incredibilia, ut inter nuntius, & conciliator, non protinus discessit, sed prius pro populo supplex orauit Deũ, ut peccatis eius ignosceret. Placato autẽ Deo gaudens simul & dolens reuertebatur. Gaudebat enim, quod ille propitius esset, dolebat autem & angebatur propter populi iniquitatem. In castrorum autẽ medio constitutus, repentinamq; multitudinis defectionem admiratus, quæ tantam pietatem tanto mendacio cõmutasset, cũ uideret morbum non omnes inuasisse, sed quosdã esse sanos, & ab illo alienissimos, uelletq; cognoscere, qui perditi desperatiq; essent, & quos admissi facinoris pœniteret, edictum proponit, quo tanquam lydio lapide mentes omnium explorarentur, utrum à pietate starent, an contra. Siquis, inquit, Domini est, ad me ueniat. Breue quidem edictum, sed magna illius uis. Significabat enim: Siquis nec manufacta, nec procreata, Deos putat, sed unũ esse rerũ omnium Deum, ad me accedat. Cũ igitur alij ęgyptiaca superbia tumidi imperium detrectarent, edictumq; negligerent, alij fortasse supplicij metu non auderent accedere, ueriti Mosis animaduersionem, aut impetum multitudinis, quę secum non consentientes semper oppugnat, ex omnibus tribubus una illa, quæ dicitur Leui promptũ paratumq; incitati animi ad pietatem studium pedum celeritate declarans, tanquam signo dato, accurrit. Hanc intuitus Moses utrum corporibus solùm, inquit, an mentibus etiam sitis concitasi, id statim res ipsa comprobabit. Vnusquisq; uestrũ educto gladio eos, qui millies morte digna cõmiserunt, quiq; relicto Deo uero falsos sibi cõfinxerunt, rebusq; caducis & procreatis imortalis & ingeniti nomen attribuerunt, licet propinqui, amici'ue sint, interficiat, & solam bonorũ uirorũ pietatem, amicitiam, ac propinquitatem existimet. At illi cohortationem alacritate superantes, quippe qui abalienatis animis erant, ex quo uiderant ipsos à legibus defecisse, ad tria milia eorũ,

quos paulo ante charißimos habebant, promiscuè trucidarunt. Iacentibus autem in medio foro cadaueribus, multitudo quidē misericordia cōmouebatur, sed pręsentes interficientium animos, ardentesq; adhuc, & ira plenos conspiciens, metu resipuit. Moses uerò illorum uirtute collaudata, pręmium illis dignum, & perpetuum tribuit. Decebat enim, ut qui pro Dei honore bellum susceperant uoluntarium, sacerdotij munus ad eum excolendum obtinerent.

Cæterū quia non unus erat sacratorum ordo, sed alijs quidē mandatū fuerat, ut supplicationibus, & hostijs cæterisq; præessent sacrificijs, & usque ad adyta accederent, alijs uerò, quos ministros quidā appellant, nihil eiusmodi, sed ut templū tantūmodò, & quæ in templo erant, die noctuq; curarent, & custodirent, quæ multis plerunq; multorū malorū causa esse solet, inter eos exorta est de principatu contentio. Ministri enim in sacerdotes consurgentes, munus eorꝝ sibi uendicare conabantur, idq;, quoniā præstabant numero, facilè successurum sperabant. Ac, ne uiderentur rerum nouarū studio cōmoti, sponte rem ipsam tentare, sibi duodecim tribuum antiquißimam adiungunt, quam pleriq; è uulgo sequebantur, ut principatus dignitatē assequi possent. Coniurationē illam contra se fieri Moses non ignorabat. Fratrem enim oraculis adductus sacerdotū principem creauerat. Obijciebatur autem, quod ementitus oracula, eū propter sanguinis coniunctionē & fraternā beneuolentiam cooptasset. Quamobrem dolens fidem suam tot argumentis approbatam in dubium uocari, præsertim in rebus, quæ ad diuinum honorem spectarent, in quibus solis, etsi in alijs solitus esset mentiri, uera dicere oportuisset, ueritas enim Dei ministra est, sibi faciendum non putauit, ut cooptationem à se ritè factam fuisse combrobaret, uidebat enim uix fieri posse, ut de sententia, in qua obstinatè perstabant, oratione deducerentur, sed ad Deū supplex confugit, atq; orauit, ut manifestis indiciis declararet, nihil à se in eo cooptando fraudis admissum esse.

Ille duodecim uirgas pro numero tribuum sumi iubet, & aliorū, qui principes tribuum erant, nomina undecim uirgis inscribi, uni uerò fratris sacerdotumq; principis nomen, easq; in templum, usq; ad adyta inferri. Quod ille cū fecisset, euentum expectabat. Postridie autē oraculo admonitus astante uniuerso populo ingreditur, & uirgas profert, alias quidem tales omnino, quales illatæ fuerant, eam uerò, in qua nomen fratris inscriptum erat, mirabiliter īmutatam. Etenim, ut fœcunda planta, tota recens germinauerat, et onusta erat fructuum copia. Fructus autem erant amygdala, quæ diuersam à reliquis fructibus naturā habent. In plerisq; enim, ut uua, olea, & malo differunt semina ab eo, quod comeditur. Nam quod comeditur foris est, semen autē intus continetur. Amygdali uerò & semen, & quod editur idem est, cū unam utrunque formam sortitum sit, ut unum locum intimum duplici putamine, tanq̄ uallo, cōmunitum, altero quidem profundo, altero autē nihil à ligno differente. Quo

perfecta uirtus indicatur. Quemadmodum enim in amygdalo idem est principium & finis: principium enim est semen, finis autem fructus: sic etiam in uirtutibus fit, ut singulæ sint & principium, & finis. principiũ, quia non ex alia facultate, sed ex semetipsis proficiscuntur: finis, quoniam ad ipsas uita conuenienter naturę instituta contendit. Ac una quidẽ causa hęc est, qua tamen altera significantior traditur.

Amygdali putamen exterius amarum est, quod autem interius, ut ligneum circumijcitur, austerum, ac durum, At fructus in utroq; conclusus non facilè eruitur. His animum, qui in uirtutis studio se exercet, significat, eumq́; sic ad ipsam uirtutem existimat incitandum. Labores enim prius subeundi sunt necessario. Amarus autem, & resistens, atq; asper est labor, qui bonum parit. Quare desidiæ atq; inertiæ non est incumbendum. Nam qui labores fugit, bona fugit. Qui autem forti strenuoq́; animo aspera, & difficilia subit, ac sustinet, ad beatitudinm properat. Virtus enim cũ mollibus, qui quotidianis, & immensis delicijs animo & corpore effœminati corruptiq́; sunt, non cõmoratur, sed ab ijs male accepta uexataq́; consurgit, ut ad principem rationem rectam confugiat. Quòd si uera dicenda sunt, augustissimus prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, & iustitiæ chorus ad studiosos currit, quiq́; asperam ac duram uiuendi rationem colunt, & continentiam, ac tolerantiam amplectuntur cum frugalitate, & rerum paucarum desiderio. His enim regina omnium, quę in nobis sunt, ratio ualetudinem integram acquirit, & robur suum, ac uires auget, grauemq́; corporis impetum, & oppugnationẽ repellit, cui opitulatur, & fauet ebrietas, edacitas, libido, alięq; inexplebiles cupiditates, quę solertię inimicam obesitatem pariunt. Porrò ꝙ amygdalus arborum uerno tẽpore germinantium, prima florere, fructuum prouentus nuntia, postremaq́; folijs destitui, atq; annuam prosperæ senectutis uiriditatem longissimè producere conseruareq́; dicitur, utrunque tribum sacratissimam indicat, quæ uniuersi hominum generis prima, atque ultima florebit, quandiu quidem uidebitur Deo, uernis conuersionibus uitam nostram similem reddere, sublato pernicioso pestilentiq́; malorum fonte auaritia.

Quoniam igitur perfectissimo imperatori diximus adesse quatuor oportere, regnum, condendarum legũ facultatem, sacerdotium, & prophetiam, ut legibus quidem quæ agenda fugienda'ue sint, præscribat: sacerdotio autem non humana solũ, sed diuina etiã exequatur: prophetia uerò prouideat, quę humana ratione comprehendi nõ possunt, & tribus partibus explicatis Mosem optimũ fuisse tum Regẽ, tum legislatorem, tum sacerdotẽ ostendimus, reliquum est, ut prẽstãtissimũ etiam prophetam fuisse demonstremus. Etsi non ignoro, esse diuina responsa & oracula, quæcunq; in sacris libris continentur, dicam tamen ea, quæ magis propria sunt, si prius illud exposuero, omnia diuina oracula uel ex Dei persona dici, interprete diuino propheta, uel per interrogationem, & re-

ſponſionem pronuntiari, uel ex perſona Moſis efferri, à ſe ipſo uaticinantis. Prima igitur omnino ſunt diuinarũ uirtutum indicia miſericordiæ beneficentiæq́;, quibus cũ omnes hoĩes, tum præcipuè populũ ſui cultorem ad uirtutem & honeſtatem inuitat, atq; erudit, uiamq́; ad bene, beateq́; uiuendũ ducentem ſtruit. Quæ autẽ ſecundo loco poſita ſunt, permixtam, & cõmunem uim habẽt. Interrogat enim propheta de quibus dubitat, Deus autẽ reſpondet, ac docet. Vltima tribuuntur legiſlatori, cui Deus elargitur diuinandi poteſtatẽ, qua futura prænuntiat. Prima prætereamus, maiora enim ſunt, q̃ ut ab ullo homine laudari poſsint, eorũq́; cõmendationem uix cœlũ ipſum, & terra, atq; omnes naturæ partes capiunt. Quanq̃ dicuntur etiã quaſi per interpretem. Interpretatio uerò & prophetia differunt. De ſecundis autẽ ſtatim dicam, & illis adiungam tertium genus, quo loquẽtis animus afflatus apparet, eoq́; potiſsimum, & propriè nominatur propheta. Verùm, ut promiſſa perſoluamus, ſic exordiendum eſt.

Quatuor ſunt modi per interrogationem & reſponſionẽ oraculis aſſignati, qui mixtam habent poteſtatẽ. Nam & propheta afflatus interrogat, & pater uaticinatur, uerba reſponſaq́; ſuggerens. Primũ autẽ, quod non Moſem ſolũ omnium, qui unq̃ fuerint, ſanctiſsimũ uirum, ſed quẽuis aliquo modo pietatis ſtudioſum cõmouiſſet, atq; irritaſſet, fuit homo quidam ſpurius ex parentibus diſsimilibus genitus, patre quidem Aegyptio, matre uerò Iudæa, ſed maternæ gentis neglectis moribus atq; inſtitutis ad patris impietatem declinauit. Aegyptij ferè populorũ omnium ſoli cœlo terram anteponunt. Etenim cũ hanc diuinis honoribus dignã putent, illi nullum eximium munus tribuunt, tanq̃ oporteat regiis præcelſisq́; ſedibus abiectiſsimas, atq; infimas anteferre. In mundo enim cœlum eſt regia, terra uerò ſordidum & humile domicilium. Hæc per ſe cõſiderata, non uidetur aſpernanda, at ſi cum æthere comparetur, tantum ab eo differt, quantum à luce tenebre, nox à die, caducæ res ab æternis, à diuinis mortales. Cũ igitur Aegyptus, non, quẽadmodum reliquæ regiones, imbribus irrigetur, ſed fluminis exundationibus quotannis oblinetur, ac fœcunda reddatur, fingunt Aegyptii, diuinũ eſſe Nilum, cœliq́; æmulum, & de regione ſua gloriantur. Nothus ergo ille cuidam ex genere ſacro peritoq́; indignatus, atq; irę impotens, & falſę religionis ægyptiacæ ſtudio concitatus, à terra in cœlũ impietatem contorſit, impioq́;, & nefario, atq; inquinato animo, & lingua, & omni uocis inſtrumento grauiſſima maledicta coniecit in eũ, cuius laudes non ab omnibus celebrari fas eſt, ſed ab optimis tantùm uiris, qui initiati ſint, & expurgati. Incredibilẽ iſtius furorem, & audaciam admiratus, & generoſo quodã animi impetu concitatus Moſes, manibus ſuis hominẽ ſuſpendere cupiebat, ſed ueritus eſt, ne leuius de ipſo ſupplicium ſumeretur. Quanq; quod tantæ impietati par ſuppliciũ ab homine poſsit excogitari? Etenim ſi qui Deũ non colit, is nec parentes, nec patriam, nec de ſe benemeritos colit, qui nõ

modò non colit, sed audet eũ incusare, quo'nam is uel immanissimo scelere non obstringetur? Sed incusare leuius est, q̃ execrari. Vbi uerò lingua petulans, & os effrenatum cogitationibus impijs inseruiunt, nouum omnino, ac nefarium facinus admittitur. Execratur quis aliquem Deũ, uocat'ne alium Deum ad execrationem confirmandam, an eundem Deum contra semetipsum? Procul absint profanæ, atq; impię cogitationes. Abluere, expiareq; oportet infelicem animum, qui uoce illa coinquinatus est, cœco aurium sensu ministro adhibito. Nec lingua detestabile maledictum proferentis impedita fuit, nec aures eorum, qui erant audituri, occlusę sunt. Ita forte iustitia prouidente, quæ nec excellentia bona, nec mala insignia cœlari permittit, ut uirtus & uitium clarè pateant, meritaq; illi pręmia, huic supplicia tribuantur. Iccircò Moses illum in carcerem trudi, & uinculis astringi iubet, Deum autem obsecrat, ut sensuũ necessitatibus ignoscat, quibus qui de impio peregrinoq; quęstionẽ habet, ut detestabile atq; execrandum scelus deprehendat, uidere cogitur, quę aspicere nefas est, & intelligere, quę audire non licet. Tum lapidibus obrui sceleratum imperauit, ut conuenienti nimirum supplicio afficeretur, qui cor durum, lapideumq; gestabat, punireturq; ab omnibus, qui ex illa gente erant, quos rem grauiter tulisse & inferendę cędis cupidos animaduertebat. Solum autem eiusmodi supplicium poterat à tot hominum millibus irrogari.

Homine impio pestiferoq; sublato, lex noua, quę nunq̃ præscripta fuerat, lata est. Noua enim scelera nouis legibus reprimẽda cohibendaq; sunt. Itaque statim huiuscemodi edictum proponitur: Quicunq; maledixerit Deo, peccati reus esto. At quicunque nomen Domini nominauerit, morte mulctetur. O' uir sapientissime, qui solus sinceram & solidam sapientiam assecutus es, Grauius existimasti esse, nominare, q̃ maledicere, ut in eum, qui grauissimè peccasset, lenior esses ac mitior, illum uerò, qui se leuiori peccato obstrinxisset, summo supplicio mortis afficeres? An edictum hoc non principẽ illum authorem rerum omnium Deum significat, sed falsos gentium Deos, à pictoribus statuarijsq; cõfectos? statuis enim, & imaginibus, & eiusmodi simulachris plenus est orbis terrarum à maledictis etiam in hos abstinere necessariũ est, ne quis familiariũ Mosis assuescat omnino Dei nomẽ negligere. Est enim augustissimum, maximeq; uenerandum. Siquis autẽ in hominũ Deorumq; Dominum non dico maledicta congesserit, sed ausus fuerit temerè nomẽ ipsius appellare, capite plectatur. Neq; enim filij, quibus parentũ honor curæ est, nomina ꝓpria eorũ, à quibus procreati sunt, licet mortales sint, usurpãt, sed sua in eos pietate illa reticẽtes, naturæ uocabulis patres, & matres appellant, quibus uocibus maxima illorum in se beneficia statim declarãt. Ad hoc usq; tẽpus impunè licuerit, sanctissimũ ac diuinum nomen impetu linguę in sermonibus protulisse.

Post rerum omnium conditoris honorem in sacra die septima obser-

uanda ſe grauiter geſsit propheta. Nam eximium decus ipſius in cœlo atq; uniuerſo orbe deſcriptum,& obſignatum acutioribus mentis oculis intuebatur. Reperiebat enim eam primũ ſine matre genitam, nõ à fœmina, ſed à patre ſolo ſine ſemine procreatam, & ſine partu editã, Deinde uidebat, eam nõ modò pulcherrimam,& ſine matre, ſed ſemper uirginẽ, nec ex matre ſuſceptam, nec matrem eſſe, nec ex corruptione, nec corruptam iri. Poſtremò diligenter conſiderans animaduertebat eſſe mundi natalem diem, celebrariq; & à cœlo,& à terra, gaudentibus,& lætantibus abſolutiſsimo illius concentu. His de cauſis Moſes omnibus in rebus magnus æquum eſſe cenſuit, ut ſacræ Reip. aſcripti ciues, naturæ ſequerentur inſtituta,& cũ animi uoluptate diem ſeptimam celebrantes abſtinerent ab omni opere & negotio, quod uel ad quæſtum, uel ad parandũ uictum pertineret, factisq; inducijs,& laboribus, ac ſollicitudinibus intermiſsis, uacarent, non ut quidã, iocis,& ludis, aut minorũ, ſaltatorũq; ſpectaculis, quibus digladiantes immoriuntur, qui theatri ſtudioſi ſunt, mentemq; natura reginam principibus ſenſuum uiſui & auditui ſeruam efficiunt, ſed philoſophiæ, nõ quã Rhetores ſophiſtæq; tradunt, dum dicendi uiuendiq; pręcepta nõ aliter, ac res, quæ in foro uenales ſunt, uendunt, & philoſophia cõtra philoſophiã (ò tempora ò mores) perpetuò abuti non erubeſcunt, ſed ueræ philoſophiæ, quæ ex tribus in unũ redactis, & ad bene beateq; uiuendũ ducentibus contexta eſt, conſilijs, uerbis, & factis. Edictum hoc quidã aſpernatus, cũ etiã oracula illa perſonarent, quę ſine propheta Deus ipſe de ſacra die ſeptima, uoce (quod in primis admirandum eſt) aſpectabili,& oculos magis, q̃ aures excitãte, protulerat, ad colligenda ligna per media caſtra egreſſus eſt, cũ omnes uideret in tabernaculis quieſcentes. Sed in ipſo crimine deprehenſus eſt, latere enim nõ potuit. Etenim cũ extra caſtra inſolitudinem progreſsi quidã eſſent, ut in loco puriſsimo,& tranquilliſsimo precarentur, ligna geſtantem cõſpicati, indignatiq;, ipſum interfeciſſent, niſi impetum iræ cohibuiſſent, ne uiderentur, cũm priuati homines eſſent, in aliquem, pręſertim indicta cauſa, prius, q̃ ipſi magiſtratus animaduertere, licet peccatum eſſet manifeſtum, ne'ue illius, qui diem ſacram uiolauerat, cęde quamuis iuſtiſsima ſe coinquinarent.

Comprehenſum igitur adducunt ad principem, cui ſacerdotes aſsidebant,& uniuerſus populus ad audiendum aſtabat. Mos enim erat,& quoties dabatur occaſio,& præcipuè ſeptima quaq; die, ut ante diximus, ita philoſophari, ut Princeps quidem ipſe diſſereret, & facienda, dicendaq; præciperet, populus autem audiendo proficeret, moribusq; & uita melior euaderet. Patrium hoc philoſophandi inſtitutum nunc etiam retinent Iudæi, ut tempus illud in rerum naturæ ſcientia contemplationeq; conſumant. Quid 9 enim aliud ſunt templa per ciuitates conſtructa, niſi gymnaſia prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, iuſtitiæ, pietatis, ſanctitatis, omniumq; uirtutum, quibus diuina, atq; humana rectè admini-

9 *Notent hoc illi hæretici & mali Chriſtiani, qui templa noſtra adeo inſectantur, ut nullam diſtinctionẽ faciant inter illa & loca profana.*

ſtrantur? Tunc igitur ſceleſtus ille in carcerẽ truditur. Hęſitans autem Moſes, quo nam pacto puniendus eſſet, ſciebat enim mortem eſſe cõmeritũ, ſed dubitabat, quod mortis genus conueniret, mentis arcano ad arcanum tribunal accedit, & rogat eum, qui anteq̃ audiat, intelligit omnia, quidnam decernendum ſit. Oſtendit ille & morte mulctandum hominem, & lapidatione id fieri debere, quandoquidem & is, quemadmodum prior, animum in ſurdum lapidẽ conuertiſſet, eo perpetrato, quo reliqua ferè omnia inuehuntur, quibus propter diei ſeptimę celebritatem eſt interdictum. Quid ita? Quia artes non ſolùm ſordidæ, ſed aliæ quoq̃, atq; in primis illæ, quę ſunt quæſtuoſę, quæq; ad uictum parandũ pertinent, aut per ignem, aut non ſine igne tractantur. Quare diebus ſeptimis ignẽ accendi ſæpius uetat, ꝙ eo nulla ſit potior cauſa, aut opus antiquius, atq; illo quieſcente ueriſimile ſit, etiam reliqua ſingulatim conquieſcere. Ligna porrò ſunt ignis materia. Quamobrẽ, qui ligna colligit, & qui ignẽ accendit, fraterna, & affinia peccata cõmittunt. Prior autem dupliciter peccat, quoniam & fert, cùm indicta ſit quies, & ea fert, quę ſunt ignis artium authoris materia.

Quæ igitur cõmemorauimus, impiorũ ſupplicium complectentia, per interrogationem, & reſponſionem ſanciuntur. Sunt autem alia duo non eiuſdem generis, ſed diuerſa, quorum unum ad hæreditatis ſucceſſionem pertinet, alterum ad ſacrificium, quod pręter tẽpus uidetur fieri, de quo prius dicendum eſt. Aequinoctij uerni principium Moſes in anno conſtituendo primũ menſem ponit, non tempori magis, ut quidam, q̃ naturæ in homines beneficijs primas tribuens. Tunc enim & ſata fruges uictui neceſſarias edunt, & pubeſcentes arbores concipiunt fructus, qui ſecundũ ſortiti locum, ſerò geniti dicuntur. Semper enim quæ natura nõ ſunt ualde neceſſaria, poſteriora ſunt ijs, quę magis neceſſaria ſunt. Vehementer autẽ neceſſarium eſt triticum, & hordeum, & omnia ciborum genera, ſine quibus uita traduci nõ poſsit. Oleum autẽ, & uinum, & arborum fructus non ſunt neceſſarij. Quandò ſine his ad longiſsimam uſq̃ ſenectutem, & multorũ annorꝫ ſpatium, homines uiuunt. Ad quartum decimum igitur huius menſis diem, cũ luna ſuum orbem implente futurũ eſt plenilunium, tranſitus, quod chaldaica lingua Paſcha dicitur, publica ſolenniſq; celebritas agitur, in qua priuati non adducunt hoſtias ad altare, ut eas immolent ſacerdotes, ſed legis mandato populus uniuerſus ſacrificat, cũ ſuam unuſquiſq̃ uictimam adducat atq̃ immolet. Populus igitur gaudebat & lætabatur, cũ ſinguli ſacerdotij munere fungerentur. Sed quidam ob recentem propinquorꝫ obitum in luctu & ſqualore uerſabantur, dupliciq; mœrore affecti erant, ꝙ & domeſticorum deſiderio torquebantur, & ſacrificij lætitiæ atq; honore ſe priuatos uidebant, quia luctu, quo impediebantur, nondum abſoluto expurgari & expiari nõ poterant. Hi mœrore triſtitiaq; pleni ad principem acceſſerunt, & quę ſibi acciderant, enarrarunt, hoc eſt, recẽtem domeſticorꝫ obitum, &

luctum,in quo uersantes necessariò transitus celebritatis,& sacrificij non potuissent esse participes. Deinde rogabāt,ne pateretur,se deteriore esse conditione,q̃ cæteros,ne'ue calamitatem,quæ sibi ex propinquorꝝ obitu contigisset,in criminis loco numerari, & pro misericordia suppliciū afferre permitteret. Arbitrari enim se grauiora, q̃ ipsos defunctos pati. Nam illis nullum esse sensum calamitatum, se uerò uiuentes uisum iri, mortem sensu minimè carentem appetisse.

Hæc audiens ille,nec orationem eorꝝ absurdam, & excusationem, q̄ antea non sacrificassent,legitimam,et cōmiseratione dignam esse cognoscebat,animo tamen ancipiti & tanq̃ in trutina pendenti,q̄ altera ex parte misericordia & iustitia premeret, ex altera lex transitus celebritatis, qua primi mensis quartadecima dies ad sacrificandū præscribebatur, urgeret,dubitans,utrum negaret,an cōcederet,quod postulabant, obsecrat Deum,ut iudicet, atq; oraculo sententiā ferat. Audiens ergo respondit, non solū ad ea,quæ contigerant,sed quæ in posterū erant euentura,siqui uel eisdem, uel alijs etiā causis impediti simul cū ipso populo sacrificare non possent. Quæ uerò fuerint ipsa responsa,declarandū est. Naturalis, inquit,luctus in propinquorum obitu necessarius est,nec ascribendus est crimini. Quandiu igitur luctus erit in mora, à sacris muris arceto, quos non solū à uoluntaria,uerū etiam ab omni labe, quæ præter sententiam euenerit,expiare oportet. At ubi dies luctus expleti fuerint,ad parem sacrificiorum honorē admittantur, ne defunctorꝝ numerum uiuentes augeant. Eant igitur posteriores quartadecima die mensis secundi, eodēq; modo,atq; eadē lege,qua priores, sacrificent. Idem etiā concedatur illis, qui non luctu, sed longa peregrinatione prohibiti, simul cum uniuerso populo sacra facere non potuerunt. Qui enim peregrinantur, aut alijs in locis habitant,non peccant,ut æquo & pari honore priuari debeant,præsertim cùm una regio totam gentem nō capiat prę multitudine,& multis in locis coloniæ fuerint constitutæ.

Hactenus de illis,qui legitimas ob causas impediti,cū transitus sacrificia unà cū populo celebrare nequiuerint,licet serò,necessariò tamen studuerunt officio prætermisso satisfacere. Nunc extremum illud, quod ad hęreditatū successionē spectat,aggredior,est autē mixtum hoc quoque, & ex interrogatione respōsioneq; constat. Erat quidā nomine Salphaat, uir probus & ex tribu minimè obscura. Hic filium nullum,filias quinq; genuerat,quæ post obitum patris dubitantes,se bonis paternis spoliatum iri,q̄ hæreditas ad mares tantummodò perueniret,uerecundè, quemadmodum uirgines decet,non ut diuitias uenarentur, sed ut patris nomen, & dignitatē conseruarent,ad Principem accedunt,&,pater,inquiunt,noster defunctus est, qui in nulla fuit illarū seditionum, in quibus contigit innumerabiles interire. Vitam priuatā & quietam egit.nisi forte crimini uertendum est illi,q̄ filium marem nullum procrearit. Nos certè ab illo genitæ sumus,quę tametsi parente uidemur orbatæ,patrem tamen reuera,

ra,te, Princeps, habebimus. Princeps enim legitimus subditis suis coniũctior est pater, q̃ ille ipse qui genuit.

Virginũ ille prudentiam, & pietatem earum erga patrẽ admiratus, se tamen à respondendo sustinuit, quoniam cogitabat hęreditates a uiris ad eundas, quippe qui militiæ & bellorum, quæ gessissent, præmium essent accepturi. Naturã autem, quæ mulieribus eiusmodi certaminũ immunitatem dedisset, eorundẽ item præmia non elargiri. Quamobrẽ cũ mens eius dubia, & anceps meritò diuersas in partes distraheretur, quæstionẽ ipsam ad Deum retulit, quẽ solum controuersias non falsis nec errãtibus iudicijs distinguere, & pro ueritate, iustitiaq; dirimere non ignorabat. Ipse uerò rerũ omnium effector, mundiq; pater, qui terrã, & cœlum, & aquam, & aërem, atque omnia ex his concreta continet, & moderatur, qui Deorũ, & hominũ Dominus est, uirginibus orbis respondere non recusauit. Respondens autẽ plus, q̃ à iudice postularetur, tribuit ipse benignus & clemens, qui beneficentia potestateq; sua cuncta prorsus impleuit. Virgines enim collaudauit. ò Domine, quis laudes efferet tuas? quo ore, qua lingua, quo uocis instrumento, qua animi parte præstantissima? Astrorum'ne chorus eas pro dignitate celebrabit? cœlum'ne uniuersum uocem emittens tuarum uirtutum partem ullam poterit explicare? Rectè, inquit, locutę sunt filiæ Salphaat. Hæc laus testimonio Dei cõprobata, quanta sit, quis non uidet?

Adeste nunc, homines superbi, qui rebus secundis elati supra naturã ceruicem tollitis, & supercilium contrahitis, apud quos fœminarũ uiduitas risus est, misericordia malum, & quod miserabilius est, pupillorũ solitudo deluditur. Videte, eos, qui humiles, calamitosiq; iudicantur, non negligi, aut despici à Deo, cuius imperij pars despectissima sunt omnia regna orbis terrarum, Totus enim ambitus terræ operum ipsius infimum est, & necessariò tandem resipiscite. Attamen cũ postulata uirginum laudasset, nec sine munere dimisit, nec parem cũ uiris propugnatoribus honorem habuit. His enim hęreditates, ut laboribus eorum digna præmia tribuit, illis uerò non præmium, sed gratiam, & benignitatem impertiuit. Quod ex ipsius uerbis intelligitur apertissimè, cũ dicit, donũ, & munus, non autem merces, & præmium. Hæc enim accipientium, illa sunt largientium propria.

Cæterũ cum ad ea, quæ rogauerant Virgines respondisset, cõmunem de hæreditatum succensione legem tulit, filios primũ uocans ad hæreditatem. Quòd si filij desint, filias, quibus ait hęreditatem adiungi, ut ornamentum extrinsecus, non ut propriam possessionẽ. Quod enim adiungitur, cũ eo, quod ornatur, nullam habet necessitudinis coniunctionẽ, sed ab illo seiunctũ & alienũ est. Tertio loco post filias, fratres uocat. Patruos ordine quartos constituit. Ex quo significat parentes quoq; filiorũ hæredes esse. Stultũ enim esset, existimare, eum, qui filij fratris hæreditatẽ tribuit fratri patris, propter necessitudinẽ, quã habet ille cũ patre, à succes-

ſione patrē ipſum excludere. Verū quoniam naturæ lege filij parentibus ſuccedunt, nō contrà, quod infauſtum erat, reticuit ne pater & mater ex acerbo liberorū obitu uiderentur non conſolabilem dolorē percipere, tacitè autem ipſos uocauit, dum patruos uocat, ut utrunq; cōplecteretur, ne uel contra decus fieret, uel bona ad aliorū manus peruenirent. Quinto loco uocat eos, qui genere proximi ſunt, quorum primis ſemper hęreditatem adiudicat. Hæc de oraculis, quæ mixta ſunt, neceſſariò percurrimus, nunc ea, quæ per prophetam afflatum edita ſunt, explicabimus. Sic enim me facturum promiſi.

Idem Moſi diuini afflatus, & populo felicitatis initium fuit. Etenim cū plurima hominum millia ex Ægypto ad Syriæ ciuitates in coloniam deduceret, iamq; & uiri, & fœminæ, inuia, longaq; ſolitudine ſuperata, ad mare, quod rubrum appellant, perueniſſent, in magnis difficultatibus uerſabantur, cū nec traijcere poſſent ob nauium inopiam, nec per eandē uiam regredi, tutum exiſtimarent. Grauius ad hęc malum afflictis addebatur. Nam Ægyptiorū Rex egreſſus cū non contemnenda equitum & peditum manu properè ſequebatur, ut exitum, quē manifeſtis oraculis adductus conceſſerat, ulciſceretur. Inconſtans enim improborū hominū uoluntas, tanquā in trutina collocata, paruo occaſionū momento in contraria declinat. Inter hoſtes igitur, & mare cōcluſi, de ſalute ſua ita deſperabant, ut alij ſatius eſſe ducerent, manibus hoſtium interfici, alij mortem obire uoluntariam mallent, q̄ hoſtibus ludibrio eſſe. itaq; ſe in mare deijcere cogitabant, & oneribus quibuſdam cōportatis in litore conſidebant, ut ſimul ac hoſtes appropinquātes aſpexiſſent, deſilientes celerius in profundum demergerentur. Sic igitur difficultate neceſsitatis exterriti torquebantur. Sed propheta cernens, prę ſtupore populum uniuerſum, ut piſcium iactum congregatum, nō amplius apud ſe conſiſtens, ſed numine correptus uaticinatur in hunc modum.

Timor quidem neceſſarius, & terror propinquus, atque ingens periculum eſt. Ex aduerſo enim īmenſum pelagus, nulla ad fugiendum uia, nulla nauium copia, à tergo inſidiæ, & hoſtium acies celerrimè perſequētium. Quonā te uertas? quo te ſubducas? omnia undiq; repente irruunt. terra, mare, homines, elementa naturæ. Vos tamen confidite, nec animos deſpondete, nec deterremini, ſed inuictum à Deo auxilium expectate, ſponte iam aderit, ex occulto, quemadmodū ſæpius experti eſtis, pro uobis pugnabit. Cerno manum, quæ uobis opitulatura eſt, aduerſariorum ceruicibus laqueos inijcientem. Detrahit eos in mare, inſtar plumbi collabuntur in profundum. Vos quidē illos uiuentes animaduertitis. ego uerò iam mortuos perſpicio. Hæc ille ſpem omnē ſuperantia uaticinabatur. Ipſi uerò re ipſa uaticinij ueritatē experti ſunt. Nam quæ fabulis uidebātur magis incredibilia, diuina potentia contigerunt. Maris confractio. Vtriuſq; ſectionis diſiunctio. Vndarū per totum profundum ad partem fractā confirmatio, ut magnificę uię ſectio eſſet pro muro ualidiſsimo.

His enim congelatis ſublime patebat iter multitudini tutò per mare nõ ſecus,ac per ſiccam ſemitam,& ſolum lapideum incedenti. Arena enim exiccata in naturã ſolidam coaluerat. Cũ hoſtes uelociſsimè perſequentes ad proprium exitium feſtinarent. Extremũ agmen,tanq̃ auriga,nubes dirigebat,in qua diuina quędam erat facies ignis ſplendorẽ emittens, Pelagi fluctus, qui cõpreſsi ſeiunctiq; fuerant, refluebant, partibus non amplius exiccatis ſed colliqueſcentibus, ex quo repentina exundatio, & hoſtium interitus, quos muri iam congelati, corruentes, & maris æſtus in ipſam uiam tanquã in uallem delati obruerunt.

Erant indicium exitij cadauera ſupernatantia, quę maris ſuperficiem conſtrauerant,& uehemens procella,quæ aceruatim illa in aduerſum littus eiecit. Spectaculum neceſſarium populo conſeruato, qui non modo periculum euaſerat,ſed etiam uidebat aduerſarios,non humana,ſed diuina ui grauius punitos,q̃ ulla oratione dici queat. Quamobrẽ Dei laudes, à quo tantũ beneficium acceperant, iure celebrantes ei gratias egerunt. Moſes enim populo in duos choros diſtributo,uni,qui ex uiris cõſtabat, ipſe dux erat:alteri autẽ,qui ex mulieribus,ſororem pręfecit,ut patrẽ, & tanti beneficij authorem collaudarent, mutuis harmonijs cõcinentes, cũ & animi,& uoces ipſę conuenirent.animi quoniam ad eandẽ gratiarum actionẽ tendebant:uoces,quoniam ex grauiſsimo,& acutiſsimo ſono cõſtabant.Virorũ enim uox grauis,fœminarũ acuta. Quapropter ſi rectè componantur,ſuauiſsimus ex illis & iucundiſsimus cantus efficitur.Tot autẽ hominũ millia rebus incredibilibus,& admirandis,quas cõmemorauimus adducta ſunt,ut idem ſentirent,atq; concinerent.Lętabatur enim Moſes,& perſpecto multitudinis gaudio, uoluptatẽ cohibere non poterat.Itaq; canticũ inchoauit,chori autẽ audita retinebant.Hoc eſt principium,& exordium prophetiæ Moſis per afflatũ numinis editæ.

Deinde uaticinatus eſt de primo & maximè neceſſario cibo, quẽ terra non edidit,ſterilis nimirũ,& infœcunda,ſed cœlum demiſit, nõ ſemel, ſed annis quadraginta quotidie ſummo mane, fructũ ætheriũ, minutiſſimo rori perſimilem.Hunc Moſes intuitus colligi iubet,& Deum obteſtatus,ait,Eos,qui diuinã benignitatẽ in rebus fidẽ ſuperantibus experti eſſent,ipſi Deo credere oportere. Quare cibaria hæc,inquit,ne condantur,aut reponantur. Nullam eorũ partẽ in craſtinũ diem quiſpiam conſeruet. His auditis,quidam in religione non ita confirmati,exiſtimantes fortaſſe,ea non eſſe oracula, ſed principis monita, relinquunt aliquid, in poſterũ diem,quod quidẽ corruptũ fœtore primũ impleuit totũ exercitum, deinde in uermes, qui ex corruptione naſcuntur, conuerſum eſt. Quæ perſpiciens Moſes incredulis meritò ſuccenſuit. Quis enim non ſuccenſeret hominibus imperitiſsimis, qui cũ tot tantaq; uidiſſent facilè cõfecta eſſe diuina prouidentia, quæ nulla ratione quiſquã fieri poſſe exiſtimaret,non ſolûm dubitarent,ſed omnino nõ crederent? At ipſe pater duobus euidentiſsimis ſignis prophetæ uaticinium cõprobauit. Quorũ

unũ ſtatim oſtendit,cũ id,quod condiderant,corrũperetur,fœteret, & in uermes animalia abiectiſsima conuerteretur. Alterũ autem poſtridie demonſtrauit. Sẽper enim quod ſupererat,poſteaꝗ neceſſarium aſportauerat multitudo,ſolis radijs liquefiebat,& liquefactũ conſumebatur.Secundum haud ita multo poſt uaticinans oraculum edit de ſacra die ſeptima, quæ quidẽ dies,quã prærogatiuã haberet,non ſolùm ex quo mundus cõditus eſt,uerũ etiam anteꝗ conderetur,homines ignorabant ob eã fortaſſe cauſam,ꝙ propter continuas euerſiones,quæ tum ex aqua,tũ ex igne contigerant,non potuiſſent à maioribus ſuis accipere monumenta rerũ, quę certa tẽporum ſerie atque ordine eſſent conſecutę. Arcanũ id Moſes uaticinans aperuit oraculo,quod ſigno perſpicuo rem teſtabatur. Signũ illud fuit eiuſmodi.

Prioribus diebus ex aëre minor copia defluebat. Sexta autẽ die duplo maior. Ac prioribus quidẽ diebus ſiquid ſeruabatur,ita liquefiebat,ut in humorẽ omnino redigeretur. Tunc autẽ nullam cõmutationẽ accipiens in eodem ſtatu permanebat. Hęc admiratus Moſes nõ magis coniecit,ꝗ diuino numine afflatus uaticinatus eſt ſeptimã diem. Quanꝗ eiuſmodi coniecturę prophetię propinquę ſunt. Neque enim mens tam rectè rem ipſam attingeret,niſi diuinus ſpiritus eã perduceret ad ueritatẽ. Res autẽ admirabilis apparebat non ſolùm ex eo,ꝙ cibus duplicabatur,aut ꝙ pręter morẽ integer permanebat,uerũ etiam ex eo,ꝙ ſexta die utrunq; contingebat,quã quidẽ diẽ ſacratiſsimus ſeptimę diei numerus ſequebatur. Quæ ſiquis expendiſſet,reperiſſet eodẽ ordine cœleſtẽ cibũ ſuppeditari, quo mundus ipſe fuiſſet genitus. Primo enim ex ſex diebus & mundus condi & cibus ille demitti cœpit. Eſt autẽ appoſita & congruẽns ſimilitudo. Nam ut abſolutiſsimũ mundi opus ex nihilo fecit,ſic in ſolitudine copiam præbuit,elementis ex pręſenti uſu cõmutatis, ut aër pro terra ſine ullo labore aut moleſtia cibos abundè ſumminiſtraret illis, qui eos ſibi ꝑ otium parare non poterant. Tum edidit tertium oraculum in primis admirabile,ſeptima,inquiens,die ſolitũ cibũ aër non exhibebit,nec quicꝗ uel exiguũ in terrã ex more deferetur. Id quod res ipſa cõprobauit. Pridie enim hęc pronuntiauerat,cũ Hebræoꝝ quidam,ut conſueuerant,ad colligendum profecti ſunt,ſed ſpe ſua falſi,& re infecta redierunt,ſe,qui non credidiſſent,accuſantes,uatemq;,& diuinũ,& qui ſolus obſcura, incertaq; perſpiceret,appellantes prophetã. Hęc ſunt,quę numine afflatus de cœleſti cibo uaticinatus eſt.

Alia neceſſaria,licet admonitionibus magis,ꝗ oraculis ſimilia uideantur,ordine proſequamur. ex quibus & illud eſt,quod aduerſus eos,qui inſtituta patria uiolauerant,geſsit,de quo & antea diximus,cũ taurũ aureũ ad ſuperbię ægyptiacę imitationẽ fabricati,choros conſtituerunt,& aras ædificarunt,& uictimas ĩmolarunt,Dei ueritatẽ obliti,& maioꝝ nobilitatẽ,quę religione ſanctitateq; creuerat,abolentes. Quamobrem Moſes incredibili affectus dolore,primũ ꝙ populus uniuerſus,qui ſemper antea

omnium acutissimè perspexerat, cæcus euasisset, deinde quod falsum & commentitium simulachrum potuisset extinguere ueritatis lucẽ, quã nec sol ipse deficiens, nec totus astrorũ chorus obscuraret, fulget enim proprio suo diuino & incorporeo splendore, cui hæc, quę sensibus percipiuntur, cõparata, idẽ esse uideantur, ac si cũ die nox cõparetur, & facie igitur, & mente cõmutata, Moses, quasi ipse non esset, diuino furore correptus, si quis, inquit, errore non est deceptus, nec externo flagitio religionẽ uiolauit, me sequatur. Cũ autẽ una tribus non minus animo, quàm corpore ad eũ accessisset, quę pridẽ contra nefarios & impios incitata ducẽ & imperatorẽ cupiebat inuenire, qui iustum ulciscendi tẽpus rationemq; præscriberet, eamq; Moses indignatã, & gementẽ, animoq; promptã, & paratã aspexisset, magis adhuc inflãmatus, unusquisq; uestrũ, inquit, stricto gladio per medium exercitũ ruat, nec alienos solùm, sed amicos & sanguine coniunctissimos passim interficiat, & facinus hoc pro ueritate diuinoq; honore susceptũ, pro quibus pugnare & decertare leuissimus est labor, sanctissimũ putet. At illi cũ clamore tria hominum millia statim interficiunt, in primisq; illos, qui fuerant impietatis authores. Nec solùm defensi sunt, quod scelus nõ attigissent, sed etiam optimorum, ac generosissimorum numero ascripti, munus rebus à se gestis dignũ, nempe sacerdotium acceperunt. Æquũ enim erat, eos religionis custodes efficere, qui pro religione pugnantes se fortissimè gesserant.

Habeo dicere oraculum adhuc admirabilius, de quo prius etiã uerba feci, cũ loquerer de prophetæ sacerdotij principatu, quod, cũ ab ipso itẽ numine afflato pronunciatũ fuisset, nõ longo post tẽpore, sed confestim euentu confirmatũ fuit. Eorũ, qui templi res tuentur, & curant, duo sunt ordines, unus sacerdotũ, qui præstantior est, alter ministrorum, qui est inferior. Erant autẽ eo tẽpore tres sacerdotes, ministrorũ uerò multa millia. Hi, quod numero multitudineq; præstarent, elati sacerdotũ paucitatẽ aspernabantur, eaq; re se duplici peccato obstringebant. Nam & dignitate superiores deprimebant, & extollebant inferiores, ut si subditi inuaderent principes, ob confusionẽ ordinis populo charissimi. Tum facta conspiratione contra prophetam uociferabantur, quod cognatione propinquitateq; adductus fratri, fratrisq; filijs sacerdotium tribuisset, & eorum cooptationẽ ementitus esset, tanquam diuina prouidentia non esset constituta, ut ipse loquebatur. Hæc ille perinique animo ferens, magnoq; dolore affectus, licet mitissimus esset & mansuetissimus, tamen ob sceleratorum odium iustissima ira sic exarsit, ut supplicauerit Deo, ut ipsorum sacrificium auerteret, non quod impiorum sacrificia iustissimus iudex esset suscepturus, sed quod etiam Deum amantis animus, quantũ ad se attinet, non tacet, sed sollicitus est, ne impijs res prosperè cedant, sed eos semper sua frustretur spes. Adhuc igitur ardens legitimaq; indignatione accensus, numine afflatur, & in prophetã conuersus uaticinatur ad hunc modum.

Grauis & periculosa defectio est incredulis, quos solos non uerba, sed

facta erudiunt. Isti uapulantes, me nõ esse ementitũ intelligent, quandò discentes intelligere noluerunt. Exitus ipsorũ è uita planũ hoc faciet. Nã si morte solita naturali peribunt, ego sum ementitus oracula: sin noua atq; insolita morte auferentur, me uera dixisse constabit. Profundissimã terrę dehiscentis uoraginẽ cerno, frequentesq; cognationes pereuntes, & familias, quæ sibi dignitatis successionẽ arrogant, detractas, & absorptas, uiuosq; homines in tartara descendentes. Vbi tacuit, terra motu cõcussa dehiscit, in ea potissimũ parte, in qua impiorũ erant tabernacula, quę protinus è medio sublata sunt. Partes enim terrę, quę secesserant, re perfecta, quamobrẽ disiunctæ fuerant, rursus coniunctæ sunt. Ducentos autem & quinquaginta defectionis authores fulmina immissa statim omnes sustulerunt, nulla parte cadauerũ relicta, quæ posset affici sepultura. Insignis hæc & celebris suppliciorũ successio, & magnitudo, prophetæ religionẽ declarauit, cõprobante Deo ueritatẽ ipsius, qua in pronuntiandis oraculis utebatur. Nec illud consideratione indignũ est, ꝙ terra, & cœlum præcipuę mundi partes supplicia sceleratis intulerunt. Scelus enim ipsorum in terra radices egerat, & in sublime sic efferebatur, ut ad cœlum usq; cõscenderet. Quamobrẽ ab utroq; elemento sic uindicatũ est, ut terra quidem patefacta, atq; dehiscens eos, ut grauia sibi tunc pondera, corriperet atq; absorberet, cœlum autẽ nouo ignis imbre demisso nefarios cõbureret, in nihilumq; redigeret. Idem uerò, & absorptis à terra, & à fulmine deletis exitus fuit. Neutri enim ullum uestigium reliquerunt. Illi enim terra obruti sunt, hiatum ad exæquandum solum concludente, Hi fulminum igne deleti penitus, atq; consumpti.

Cæterũ cũ hinc in cœlum esset migraturus, relictaq; uita mortali, immortalitatẽ adepturus, euocatus à patre, qui ipsum à se ex duobus corpore nimirum animoq; compactum in naturam unam redacturus erat, totumq; prorsus in mentem, ut solẽ lucidissimam translaturus, tunc afflatus numine non iam in uniuersum toti populo uaticinari uidebatur, sed unicuiq; Tribui sigillatim, quæ tum ipsis, tum posteris erant euentura. Quæ partim iam cõtigerunt, partim expectantur. Quapropter ex ijs, quæ facta sunt, futurorũ fides confirmatur. Eos enim, qui & paterno, & materno præsertim genere, & consilijs, & uitæ institutis, & alijs rebus innumerabilibus differebant, ita deuinxit, & conciliauit, ut tanꝗ unius hæreditatis diuisio rationibus oraculisq; conueniens inueniretur. Admiranda quidem sunt hæc, sed admirabilius multo extremum illud sacrarum literarum, quod totius legislationis est, ueluti caput in animali. Iam enim sese colligens, & tanꝗ è carceribus cursum dirigens, in 10 cœlum euolaturus, numine afflatur, & de se, uiuens adhuc, uaticinatur uti defuncto, ꝙ mortuus esset, cũ nõdum esset mortuus, ꝙ sepultus nullo præsente, nõ mortalibus nimirum manibus, sed immortalibus potestatibus, ꝙ non in maiorum sepulchro conditus, nempe monumentũ præstantius consecutus, à nullo mortalium perspectum. Quòd integrum mensem populus

10 *Vides quod animæ sanctorũ statim post exitum è corporibus euolant in cœlũ, cum & Moyses hic moriẽs dicatur in cœlum euolaturus? Quod tamẽ intellige modo per Christũ tunc adhuc uenturũ fuisset cœli porta aperta.*

ipsum lacrimans defleuerit, proprium cõmunemq; luctum ostendens ob perpetuam eius tum in singulos, tum in uniuersos beneuolentiam & studium.

Mosis, & Regis, & legislatoris, & sacerdotum principis, & prophetæ, talem fuisse tum uitam, tum obitum, sacrarum literarum monumenta commemorant.

VITA DIVI PETRI APOSTOLI PAPÆ primi, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontifica li eiusdem.

BEatus Petrus Apostolus, & 1 princeps apostolorum, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, uico Bethsaida, frater Andreę, primo sedit in cathedra episcopatus Antiochiæ annis septem. Hinc beatus Petrus ingressus est in urbẽ Romã, sub Claudio Cęsare, ibiq; sedit in cathedra episcopatus annis uigintiquinq;, mensibus duobus, diebus tribus. Fuit autẽ tẽporibus Tiberij Cęsaris, & Gai, & Claudij, & Neronis.

1 Duo hic habes de beato Petro, & quod princeps Apostolorũ, & quod Romæ fuerit, quorum utrunq; à nonnullis negatur, & perperam quidẽ.

Hic scripsit duas 2 epistolas, quæ catholicę & canonicę nominãtur, & Euangeliũ Marci, quia Marcus adiutor eius fuit, & filius à baptismo. Post omnẽ quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationẽ, & testimoniũ eius (hoc est Petri) firmata sunt, dum alius græcè, alius hebraicè, alius latinè scribentes consonant, omnia eius testimonio sunt firmata.

2 Nota secũdam Petri Epistolam illius esse.

Hic ordinauit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo, uel ad se uenientibus exhiberent. Beatus autem Petrus orationi, prædicatione populum erudiens uacabat.

Hic cũ Simone Mago multas disputationes habuit, tam corã Nerone Imperatore, q̃ corã populo. Et quos beatus Petrus ad fidẽ Christi aggregabat, ille per magias & deceptiones segregabat. Et dum diutius altercarentur, Simon diuino nutu interemptus est.

Hic Petrus beatum Clementẽ Episcopũ consecrauit, cui & cathedrã, uel ecclesiam omnẽ disponendã cõmisit, dicens, Sicut mihi gubernanda tradita est à domino meo Iesu Christo potestas ligandi soluendiq;, ita & ego tibi cõmitto, ut ordines dispositores diuersarum causarum, per quos actus non ecclesiastici profligentur, & tu minime curis seculi deditus reperiaris, sed solũmodo orationi, & prædicationi ad populũ uacare stude.

Post hanc dispositionem martyrio cũ Paulo coronatur, post pasionẽ domini anno trigesimo octauo. Qui sepultus est uia Aurelia, in templo Apollinis, iuxta 3 locum ubi crucifixus est iuxta palatium Neronianũ, in Vaticano, iuxta territorium triumphale tertio Kalendas Iulij.

3 Nõne uides. si Petrũs Romæ martyrio coronatus est?

Hic fecit ordinationes per mensem Decembrem, presbyteros decem, Diacones septem, Episcopos per diuersa loca numero tres.

Tomus tertius. Pars prima.

Habetũr in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap.28.

ITEM VITA BEATI PETRI APOSTOLI
per D. Gregorium Archiepiſcopū Turonenſem ſcripta.

PEtrus Apoſtolus ob humilitatem docendā 4 caput deſuper tondi inſtituit. Qui ab Apoſtolis cęteris ordinatus Romæ 5 cathedrā locat. Cuius oratione, uel Pauli, Simonis magi calliditas uel detecta eſt, uel obruta. Extant hodie apud Vrbē Romanā duæ in lapide foſſillæ, ſuper quas beati Apoſtoli deflexo 6 poplite, orationē contra ipſum Simonē magum ad Dominū effuderunt, in quibus cū de pluuijs lymphæ collectę fuerint, à morbidis expetuntur, hauſtęq; mox ſanitatē tribuunt. Sanctus uerò Petrus Apoſtolus, cum poſt Neroniana, ac Simonica bella ad Crucem ueniſſet, impleto iam felicis trophei certamine, reſupinis ad cœlum ueſtigijs ſe expetijt crucifigi, indignum ſe uociferans ad Domini inſtar exaltari. Sicq; dimittens ſpiritum uiuacem in aſtra, ſepultus eſt in templo, quod uocitabatur Antiquitas Vaticani, quatuor 7 ordines columnarū ualde admirabilium numero nonagintaſex habens. Habet etiā quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centū, pręter illas quę ciborium ſepulchri ſuſtentant. Hoc enim ſepulchrū ſub altari collocatū ualde ratum habetur: ſed qui 8 orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulchrū; & ſic feneſtrella paruula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſsitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantū iuſta proferatur oratio. Quòd ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentana penſatum iacit intrinſecus, & 9 uigilans ac ieiunans deuotiſsimè deprecatur, ut deuotioni ſuæ uirtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu: ſi fides hominis prȩualuerit, eleuatū à tumulo palliolum ita imbuitur diuina uirtute, ut 10 multo amplius q̃ prius penſauerat, ponderetur, & tunc ſcit qui leuauerit, cū eius gratia ſumpſiſſe quod petijt. Multi enim & claues aureas ad reſerandos cancellos beati ſepulchri faciunt, cui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus tribulantū infirmitatibus medeantur. Omnia enim fides integra prȩſtat. Sunt & ibi columnę mirę elegantiæ candore niueo quatuor numero, quę ciborium ſepulchri ſuſtinere dicuntur.

4 *Ecce unde ortũm habuerit capitis tonſura in clericis.*
5 *Petrus Romæ cathedram locat.*
6 *Habes hic orationem cū genuflexione, quā Deo placere oſtēdunt miracula q̃ inde proueniunt.*
7 *Quomodo audēt qui dam ſplendidas templorum ſtructuras reprehendere, cum apoſtoli Petri baſilica tot tantarumq; pretioſarum columnarū fulcita ſit ſuſtentaculis?*
8 *Ecce orationes fieri ad ſepulchra ſanctorum, & ſi petitiones iuſtæ fuerint, gratiarum munera cōcedun tur.*
9 *Vides coniuncta uigilias, ieiunia & orationes pro gratijs obtinendis?*
10 *Aduertis quam mira ſint hæc quæ ad Apoſtoli Petri ſepulchrū ſi cum fide uiſitetur geruntur.*

Habetũr in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap.27.

VITA BEATI IACOBI APOSTOLI
fratris Domini per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

IAcobus Apoſtolus, qui frater Domini uocitatus eſt, ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto Epiſcopus dicitur ordinatus. Poſt cuius glorioſam aſcenſionē dum uiam iuſtitię Iudęis errantibus aperire conatur, de pinna tēpli prȩcipitatus alliditur, effuſumq; fullonis fuſte cerebrū eius fuit, & ſpiritū reddidit. Sepultus eſt in monte Oliueti in memoria, quā ſibi ipſe fabricauerat, & in qua Zachariam, ac Simeonē ſepelierat.

VITA

VITA BEATI IOANNIS APOSTOLI PER D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in libro eiusdẽ in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 30.

IOannes Apostolus & Euãgelista Dei, post peractum, tam agonis legitimi, q̃ prædicationis saluberrimę cursum, uiuus descẽdens in tumulo operiri se humo pręcepit; cuius sepulchrum manna in modũ farinę hodię quoq; eructat. Ex 1 qua beatæ reliquiæ per uniuersum delatę mundum salutem morbidis præstant.

1 Vide miraculũ quod ex sancti apostoli sepulchro prodit.

Hic est Ioannes, quẽ Dominus plusq̃ cæteros dilexit Apostolos, qui tantæ charitatis amore prælatus est, ut super ipsum sacri corporis pectus accumbens, mysteriorum cœlestiũ hauriret arcana. Ipsi etiã Dominus noster gloriosam genitricem, quasi peculiari quodãmodo discipulo, in ipsa passionis hora in cruce pro mundi salute positus cõmendauit. De hoc enim & post resurrectionẽ dixit, Sic eum uolo manere donec ueniam.

In Ephesо autem habetur locus, in quo hic Apostolus euangelium, quod ex eius nomine in Ecclesia legitur, scripsit. Sunt autẽ in summitate mõtis illius proximi quatuor sine tecto parietes. In his enim orationi insistens, Dominũ assiduè pro delictis populi deprecans morabatur, obtinuitq;, ne in loco imber ullus descenderet, donec ille Euangeliũ adimpleret. Sed & usq; hodie ita præstatur à Domino, ut nulla ibi descẽdat pluuia, neq; imber uiolentus aduеniat.

In ea urbe Maria Magdalena quiescit, nullum super se tegmen habens. In ea & septem dormientes habentur, de quibus aliqua, Domino fauente, in posterum narraturi sumus. In hac & idolum Dianæ fuit ab Apostolo Paulo destructum.

VITA SANCTI LINI PAPÆ ET MARtyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

LInus natione Italus de regione Tuscię, patre Herculano, sedit annis undecim, menses tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis à consulatu Saturnini, & Scipionis, usq; ad Capitonem & Rufum Consules, Martyrio coronatur.

Hic ex præcepto beati Petri constituit, ut mulier uelato capite in ecclesiam introiret. Hic fecit ordinationes duas, Episcopos quindecim, Præsbyteros decem & octo. Qui sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, sub die nono Kalendas Octobris.

VITA SANCTI CLETI PAPÆ ET MARtyris per Damasum Papam scripta.

Habeturr in Pontificali eiusdem.

CLetus natione Romanus de regione uico Patricij, Patre Emiliano, sedit annis duodecim, mense uno, diebus undecim. Fuit au-

tem temporibus Vespasiani & Titi, à consulatu Vespasiani septimo, & Domitiani quinto, usque ad Domitianum nono, & Rufum Consules.

Hic ex præcepto beati Petri uigintiquinque Præsbyteros ordinauit in urbe Roma. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano sexto Kalendas Maias. Et cessauit episcopatus dies uiginti.

Habetur in Pontificali eiusdem.

VITA SANCTI CLEMENTIS PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

Clemens natione Romanus de regione Celio monte, ex patre Faustino, sedit annis nouem. Fuit autem temporibus Galbæ & Vespasiani, à consulatu Traguli & Italici, usque ad Vespasianum nono & Titum.

Hic quum multos libros zelo fidei & Christianæ religionis ascriberet, martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones diuidi notarijs fidelibus ecclesiæ, qui gesta martyrum solicite & curiose unusquisq; per regionem suam perquirerent. Hic fecit duas epistolas, quæ canonicæ nominantur.

Hic ex præcepto beati Petri suscepit ecclesiæ Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à domino Iesu Christo cathedra tradita uel commissa. Tamen in epistola quæ ad Iacobum scripta est, qualiter ei commissa à beato Petro ecclesia, reperies. Ideo Linus & Cletus ante eum cõscribuntur, quia ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum, sunt Episcopi ordinati.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, præsbyteros decem, Diacones duos, Episcopos per diuersa loca quindecim, obijt martyr anno Traiani tertio. Qui etiam sepultus est & in Græcia nono Kal. Decembris, & cessauit Episcopatus dies.xxi.

Habetur in pontificali eiusdem.

VITA SANCTI ANACLETI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

Anacletus natione Græcus, ex patre Antiocho, sedit annis nouem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Domitiani, à consulatu Domitiani decimo & Sabini, usq; ad Domitianum decimoseptimo, & Clementem Consules.

Hic memoriam beati Petri construxit, & composuit, dum presbyter factus fuisset à beato Petro, seu alia loca, ubi Episcopi reconderentur sepulturæ. Vbi autem & ipse sepultus est in pace, iuxta corpus beati Petri tertio Idus Iulij.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quinque, Diacones tres, Episcopos per diuersa loca numero sex. Et cessauit Episcopatus dies tredecim.

VITA SANCTI EVARISTI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam ascripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

EVaristus natione Græcus, ex patre Iudæo nomine Iuda, de ciuitate Bethleem, sedit annos nouem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani & Neruæ Traiani, a Consulatu Valentis & Veteris, usque ad Gallum & Braduam consules. Martyrio coronatur.

Hic titulos in urbe Roma diuisit presbyteris. Et septẽ diacones ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum ueritatis.

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, Diacones duos, Episcopo, per diuersa loca quinq;. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano sexto Kalẽdas Nouembris, Et cessauit episcopatus dies decem & octo.

VITA SANCTI ALEXANDRI PAPÆ, & Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

ALexander natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri, sedit annos decem, menses septem, dies duos. Fuit autẽ temporibus Traini, usq; ad Helianũ & Veterẽ Consules.

Hic passionẽ domini miscuit in precatione sacerdotũ, quando Missæ 1 celebrantur. Martyrio coronatur, & cum eo Euentius presbyter, & Theodolus diaconus. Hic constituit 2 aquã aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrẽ, presbyteros sex, diacones duos, Episcopos per diuersa loca quinque. Qui & sepultus est uia Numentana, ubi decollatus est, ab urbe Roma non longe, miliario septimo, quinto Nonas Maias. Et cessauit epatus dies uiginti quinque.

1 Ecce Missæ celebrationem etiam tempore huius antiquissimi & sanctissimi pontificis.

2 Vides benedictionẽ & aspersionem aquæ à tanto pontifice institutam. Quæ si superstitiosa esset, nequaquam uir sanctus eã ordinasset.

VITA SANCTI SIXTI PAPÆ, & Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

SIxtus natione Romanus, ex patre Pastore, de regione uia lata, sedit annos decem, menses tres, dies uiginti unum, Fuit autem temporibus Hadriani, usque ad Verũ, & Anniculum. Martyrio coronatur.

Hic constituit, 1 ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Hic constituit, ut quicunq; Episcopus euocatus fuerit ad sedem 2 Romanam apostolicam, rediens ad parochiam suam, non susciperetur, nisi cum formatis salutationis ad plebem à sede apostolica. Et constituit ut missarum actionem sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret, 3 Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus Sabaoth, &c.

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros un-

1 Quando audis hunc & alios Ro. Pontifices aliquid constituisse, oportet fatearis Ecclesiam posse facere constitutiones obligatorias in conscientia etiam extra casum scandali. Nec.n. uerisimile est sãctissimos patres martyrio coronatos statuta condi-

disse, si condendi potestatẽ non habuissent.

2 *Ecce quomodo Romana sedes est Apostolica Ecclesia.*

decim, diacones tres, Episcopos per diuersa loca quatuor. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, octauo Idus Aprilis. Et cessauit Episcopatus dies duos.

3 *Licet hæc & his similia quæ ad decentiam & ornatum pertinent, ab Apostolorum successoribus addita fuerint, Missa tamen quantum ad tria substantialia instituta est à domino nostro Iesu Christo.*

Habetur in pontificali eiusdem.

VITA SANCTI THELESPHORI PAPÆ & Martyris per Damasum Papam scripta.

1 *Ne credas Quadragesimale ieiuniũ celebre & solenne, quod teste D. Hieronymo & alijs sanctis patribus ex Apostolica traditione uenit, ab hoc pontifice institutum fuisse, sed uoluit q\[d\] ipsum ieiunium per septem hebdomadas protraheretur, idest à Dominica Quinquagesimæ usque ad Pascha. Lege eius decretum.*

THelesphorus natione Græcus ex Anachorita, sedit ãnos undecim, menses tres, dies uiginti unum. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. Martyrio coronatur.

Hic constituit, ut septem 1 hebdomadas ante Pascha ieiunium celebraretur. Hic fecit ut in natali domini nostri Iesu Christi noctu missæ celebrarentur cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missas celebrare, quia ea hora dominus noster ascendit in crucem, & ut ante 2 sacrificium, hymnus diceretur angelicus, hoc est Gloria in excelsis Deo.

Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrẽ, presbyteros duodecim, diacones octo, Episcopos per diuersa loca tresdecim. Qui etiã sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, Nonis Ianuarÿ. Et cessauit Episcopatus dies septem.

2 *Vides Missam dici Sacrificium, & hoc uocabulum non esse nouitium inuentum, ut aliqui somniant?*

Habetur in pontificali eiusdem.

VITA SANCTI IGINI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

IGinus natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cuius genealogiã non inueni, sedit annos quatuor, menses tres, dies quatuor. Fuit autẽ temporibus Veri & Marci, à Consulatu Magni & Camerini, usque ad Orphitum & Priscum.

Hic clerum cõposuit & distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrẽ, presbyteros quindecim, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca sex. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, tertio Idus Ianuarÿ. Et cessauit Episcopatus dies tres.

Habetur in pontificali eiusdem.

VITA SANCTI PII PAPÆ, & martyris per Damasum Papam scripta.

PIus natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileia, sedit annos nouemdecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem

temporibus

temporibus Antonini Pij, à consulatu Clari & Seueri.

Sub huius episcopatu frater ipsius Hermes librũ scripsit, in quo mandatum continetur, ꝙ ei pręcepit angelus domini, cum ueniret ad eum in habitu pastoris, ut 1 sanctum Pascha die dominica celebraretur.

1 *Ecce sancti Paschæ antiquissima solemnitas.*

Hic constituit hæreticum uementem ex Iudęorum hæresi suscipi, & baptizari. Et constitutum de ecclesia fecit. Hic fecit ordinationes quinq; per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diacones uigintiunũ, Episcopos per diuersa loca duodecim. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, quinto Idus Iulij. Et cessauit Episcopatus dies quatuordecim.

VITA SANCTI ANICETI PAPÆ ET martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

ANicetus natione Syrus, ex patre Ioanne de uico Humisia, sedit annis undecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Veri & Marci, à consulatu Gallicani, & Veteris, usque ad Præsentem, & Rufinum.

Hic constituit, ut clericus comam non nutriret, secundum præceptũ Apostoli. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrẽ, presbyteros decem & septem, diacones quatuor, Episcopos per diuersa loca nouem. Qui etiam obijt martyr, & sepultus est in cemyterio 1 Calixti uia Appia decimo quinto Kalendas Maias. Et cessauit Episcopatus dies decem & septem.

1 *Vide quomodo etiam sancti põtifices tumulabantur in Cœmiterio, ubi Martyrum corpora sepeliebãtur.*

VITA SANCTI SOTHERIS PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scipta.

Habetur in pontificali eiusdem.

SOther natione Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundis, sedit annos nouem, menses septem, dies uiginti unum. Fuit autem temporibus Veri & Marci, à consulatu Rustici & Aquilini, usque ad Cethegum, & Clarum.

Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum 1 poneret in sancta ecclesia. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros decem & octo, diacones nouem, Episcopos per diuersa loca undecim. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia decimo Kalẽdas Maias. Et cessauit Episcopatus dies undecim.

1 *Ponere incensum in ecclesia antiquissima consuetudo est.*

VITA SANCTI ELEVTHERII PAPÆ & Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

ELeutherius natione Gręcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit autẽ temporibus

Antonini Commodi, usque ad Paternum & Braduam. Hic 1 accepit Epistolam à Lucio Britannico rege, ut Christianus efficeretur per eius mandatum.

1 Ex hoc loco aperte cognoscis Ro Ecclesiã propter beati Petri sedem curã habere super omnes mundi Ecclesias. Et propterea iste rex non misit ad alium Episcopum pro suscipienda fide nisi ad Ro. Pontificem, et ab eo mandatum accepit.

Et hic constituit ut nulla esca usualis, quæ tñ rationabilis, & humana est, quã Deus creauit, à Christianis maxime fidelibus 2 repudiaretur.

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrẽ, presbyteros duodecim, Diacones octo, Episcopos per diuersa loca quindecim. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri septimo Kalendas Iunij. Et cessauit Episcopatus dies quinque.

2 *Non dicat propter hoc hæreticus quod sanctus Pontifex delectum ciborum sustulerit à fidelibus, cum etiam antiquissimi patres in certis diebus & temporibus illum seruauerint, sed hoc fecit in illius hæresis detestationem quæ alios cibos natura mundos, alios immundos esse asseuerabat.*

VITA SANCTI VICTORIS PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

VIctor natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Helij Pertinacis & Seueri, à consulatu Commodi quinti & Glabrionis, usque ad Lateranum & Rufinum.

Hic constituit ut sanctum 1 Pascha die Dominico celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur. Et constituit ut necessitate faciente, ubicunque inuentus fuisset, quicunq; hominum ex gentibus ueniens, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, siue in stagno baptizaretur, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, integer efficeretur Christianus.

1 *Ecce iterum Paschalis solennitatis celebratio.*

Et fecit concilium. Et collatione facta cum presbyteris, ac diaconibus, accersitoque Theophylo Alexandriæ Episcopo, constituit, ut à decima tertia luna primi mensis usque ad uigesimamprimam, die dominica custodiatur sanctum Pascha.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ, presbyteros quatuor, diacones septẽ, Episcopos per diuersa loca numero duodecim. Qui sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, quinto Kal. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies undecim.

VITA SANCTI ZEPHERINI PAPÆ, & Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

ZEpherinus natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annis octo, menses septem, dies decem. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri, à consulatu Saturnini & Gallicani, usq; ad Prȩsentem & Strigatum consules. Hic constituit, ut prȩsentibus 1 clericis,

1 *Hæc præsentia clericorum & Laicorum in ordinibus conferẽdis*

& laicis fidelibus, siue clericus, siue leuita, siue sacerdos, ordinetur. Et fecit constitutum de ecclesia, ut patenas uitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum Episcopus missam celebraret, & ut sacerdotes omnes astarent, dum sic missæ celebrarentur.

de antiquo Ecclesiæ more & instituto requiritur ad hoc, ut super promouendus dignum habeatur testimonium, ne indigni ordinentur.

Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros tresdecim, diacones septem, Episcopos per diuersa loca tresdecim. Qui sepultus est in cœmiterio suo, non longe à cœmiterio Calixti uia Appia, septimo Kalendas Septembris. Et cessauit Episcopatus dies sex.

VITA SANCTI CALIXTI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

CAlixtus natione Romanus, ex patre Domitio, de regione urbis Rauenatum, sedit annos sex, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à consulatu Antonini & Alexandri. Hic martyrio coronatur.

Hic constituit 1 ieiunium ter in anno fieri frumenti, uini, & olei, secundum prophetiam. Qui sepultus est in cœmiterio Calepodij, uia Aurelia, miliario tertio, pridie Idus mensis Octobris.

Hic fecit ecclesiã sanctæ Mariæ trans Tyberim. Et fecit aliud 2 cœmiterium uia Appia, ubi multi sacerdotes & martyres requiescũt, quod appellatur usque in hodiernum diem cœmiterium Calixti.

Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros sexdecim, diacones quatuor, Episcopos per diuersa loca octo. Quieuit Episcopatus dies sex.

1 *Hic habes institutionẽ ieiunij q̃d dicitur quatuor temporũ. Et apposite dicitur ter in anno, quia ieiuniũ post pẽtecostẽ iã erat in Ecclesia ex traditiõe Ap̃lica, ut habes ex D. Leone.*

2 *Audis tot cœmiteria? Non ergo sepeliebantur in agris sicut bestiæ, ut modo faciunt aliqui.*

VITA SANCTI VRBANI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

VRbanus natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos quatuor, menses decem, dies duodecim.

Hic fecit ministeria sacrata omnia 1 argentea, & Patenas argenteas uiginti quinque apposuit.

Hic sua traditione multos conuertit ad baptismum, & credulitatem, Tyburtium etiam & Valerianum nobilissimum uirum sponsum sanctæ Cæciliæ, quos etiam usque ad martyrij palmam perduxit. Et per eius monita & doctrinam multi martyrio coronati sunt.

Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros nouem, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca octo. Qui & sepultus est in cœmiterio Prætextati, uia Appia, octauo Kalẽdas Iunias. Et cessauit Episcopatus dies triginta.

1 *Si argentea in sacris uasa deo displicerent ut quidam nunc mentiuntur, non hæc fecisset sanctissimus et fidelissimus põtifex.*

Habetur in pontifi cali eiusdem.

VITA SANCTI PONTIANI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

PONTIANUS natione Romanus ex patre Calphurnio, sedit annos nouem, menses quinque, dies duos. Martyrio coronatur. Fuit autē temporibus Alexandri, à consulatu Pompeiani & Pelignani.

Eodem tempore Pontianus Episcopus, & Philippus presbyter, in exilio ab Alexandro sunt deportati in Sardiniam, in insulam Bucinam, Seuero, & Quintiano consulibus. In eadem insula afflictus, defunctus est tertio decimo Kalendas Decembris.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros sex, Diacones quinque, Episcopos per diuersa loca sex. Quem beatus Fabianus adduxit cum clero nauigio, & sepeliuit in cœmiterio Calixti uiá Appia. Et cessauit Episcopatus à die depositionis undecimo Kalendas Decembris, dies tresdecim.

Habetur in pontifi cali eiusdem.

VITA SANCTI ANTHERI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

ANTHERUS natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos duodecim, mensem unū, dies duodecim. Martyrio coronatur, temporibus Maximini & Aphricani consulum.

Hic gesta martyrum diligenter à notarijs exquisiuit, & in ecclesia recōdidit. Propter quod à quodam Maximo præfecto martyr effectus est.

Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, & unum Episcopum ordinauit in ciuitate Fundis Campanię. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia tertio nonas Ianuarij. Et cessauit Episcopatus dies tresdecim.

Habetür in pontifi cali eiusdem.

VITA SANCTI FABIANI PAPÆ ET Martyris per Damasum Papam scripta.

FABIANUS natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos quatuordecim, mensem unū, dies undecim, martyrio coronatur decimoquarto Kalendas Februarias. Fuit autem tēporibus Maximini & Aphricani, usque ad Decium Secundo, & Gratum.

Hic regiones diuisit diaconibus. Et fecit septem subdiacones, qui septē notarijs imminerent, ut gesta martyrum in integrū colligerent. Et multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. Post pasionem uero eius, Moyses & Maximus presbyteri, & Nicostratus diaconus, comprehensi sunt, & in carcerem missi.

Eódem tempore superuenit Nouatus ex Aphrica, & separauit Nouatianum de ecclesia, & quosdam confessores, postquam Moyses in carcere

cere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim. Et sic multi Christiani fugerunt.

Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros uigintiduos, diacones septē, Episcopos per diuersa loca undecim. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti, uia Appia, decimo tertio Kalendas Februarij. Et cessauit Episcopatus dies sex.

ITEM DE EODEM PER EVSEBIVM Episcopum Cæsariensem.

Habetur histo. Ecclesiast. lib. 6. cap. 21.

TRadunt autem Fabianū, Anthero defuncto, cū de agro reuerteretur unà cū amicis suis, & uniuersus ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in unū coisset, atque alius de alio (ut fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen uulgi sententia certi aliquid obtineret, astitisse etiam ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subito per Dei prouidentiam columbam cęlitus lapsam, figurā ferentem illius, quæ in sancti spiritus imagine super Iesum descēderat apud Iordanem, super caput adstitisse Fabiani. Ad quod spectaculum cunctorū ora, oculosq; conuersos, & omnes uelut uno spiritu cōmotos, hunc esse Episcopatu dignū per Dei iudicium decreuisse, eumq; continuo cathedræ impositum, & legitimo sacerdotio confirmatū. Quod alij super huius, alij super Zephirini nomine gestum tradunt.

VITA SANCTI CORNELII PAPÆ & Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

COrnelius natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos duos, menses duos, dies tres. Martyrio coronatur.

Sub huius Episcopatu Nouatus Nouatianum extra ecclesiam ordinauit, & in Aphrica Nicostratum. Hoc facto, confessores, qui se separauerant à Cornelio, cū Maximo presbytero, qui cū Moyse fuit, ad ecclesiam sunt reuersi, & facti sunt cōfessores fideles. Post hoc Cornelius episcopus Centumcellis pulsus est, & ibi scriptam epistolam de sua cōfirmatione, missam à Cypriano (quā Cyprianus in carcere subscripsit, & dedit Celerino lectori) suscepit.

Hic tēporibus suis rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum beatorū Petri & Pauli è Catacumbis leuauit noctu. Primum quidē corpus beati Pauli beata Lucina posuit in prædio suo, uia Ostiensi ad latus, aliàs iuxta locū, ubi decolatus est. Beati uero Petri corpus accepit beatus Cornelius Episcopus, & posuit iuxta locū ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum in templo Apollinis in Vaticano palatij Neroniani in monte aureo, tertio kalendas Iulij. Post hoc Cornelius ambulauit Centumcellis.

Eodem tempore audiuit Decius, quod epistolam accepisset à beato Cypriano Carthaginensi Episcopo. Qui misit Centumcellas, & adduxit beatum Cornelium. Quem iussit sibi cum præfecto urbis in tellude noctu præsentari. Cui ita dixit. Sic definisti, ut nec Deos consideres, nec præcepta principũ ac maiorũ, nec nostras minas timeas, ut contra Rempublicam literas accipias, & dirigas? Cornelius Episcopus respondit, dicens, Ego de corona domini mei literas accepi, nõ contra Rempublicam, sed magis spirituale consilium ad animas redimendas. Tunc Decius iracundia plenus, iussit os beati Cornelij cum plumbatis cędi, & præcepit eum duci ante templum Martis, ut adoraret, Quod si non fecerit, dicens, capite truncetur.

Post hoc, idest, tertio nonas Martij, antequã passus est, omnia bona ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono. Hoc factum est. Qui cũ adorare non uellet, decollatus est in loco supradicto. Cuius corpus nocte collegit beata Lucina cũ clericis, & 1 sepeliuit in Crypta. iuxta cęmiterium Calixti in prædio suo uia Appia, decimo octauo Kalendas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

1 *Cum tot sanctos martyres sepelierit hæc beata mulier, sequitur quod sepelire mortuos pietatis opus est, & Deo placens.*

ITEM DE EODEM PER EVSEBIVM Episcopum Cæsariensem.

Habetur histo. Ecclesiast. lib. 7. cap. 2.

IN urbe Roma Cornelio Episcopatum gerente, & apud Carthaginẽ Cypriano, ambobus fide, uirtute, pietate præstantibus, quæstio exorta est in Aphricę magis partibus si oporteret hæreticos rebaptizari. Cumq; id à Cypriano & cæteris penè omnibus per Aphricã sacerdotibus oportere fieri decerneretur, Cornelius & cæteri omnes per Italiam sacerdotes huiusmodi decretũ, manente sacerdotali concordia, 2 refutarunt, statuentes antiquitus à patribus super hoc 3 traditam regulam debere seruari, quæ continebat, Post abiectionẽ praui in confessionẽ recti dogmatis sola eos manus impositione purgandos.

2 *Ecce quomodo rite baptizatus, etiam si sit hæreticus, non debet iterum baptizari.*

3 *Vides patrũ antiquorum traditiones seruandas esse?*

VITA SANCTI LVCII PAPÆ ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

LVcius natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annos tres, mẽses tres, dies tres. Martyrio coronatur. Fuit autem tẽporibus Galli & Volusiani usq; ad Valerianum secundo, & Gallienum.

Hic in exilio fuit religatus, postea nutu Dei incolumis ad ecclesiam reuersus est. Hic præcepit ut duo presbyteri & tres diacones in omni loco Episcopũ non desererent, propter testimonium ecclesiasticum. Qui etiam à Valeriano capite truncatus est, quarto Nonas Martij.

Hic omnem potestatem ecclesiæ dedit Archidiacono suo Stephano, dum ad passionem pergeret.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, diacones quatuor, Episcopos per diuersa loca septẽ. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia, & cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

VITA SANCTI STEPHANI PAPÆ & Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

STephanus natione Romanus, ex patre Iulio, sedit annos septem, menses quinque, dies duos. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Gallicani & Maximi, usque ad Valerianum quarto, & Gallicanum tertio.

Hic constituit, Sacerdotes & Leuitas [a] uestibus sacratis in usu quotidiano non uti, & nisi in Ecclesia tantum.

[a] Ecce quõmodo antiquitus etiam sacerdotes & Leuitæ sacratas uestes habebant, quibus in Ecclesiastico ministerio utebantur.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ presbyteros sex, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca tres. Sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia, quarto Nonas Augusti, & cessauit Episcopatus dies uiginti duo.

VITA SANCTI SIXTI PAPÆ SECVNDI, & Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in pontificali eiusdem.

SIxtus natione Græcus, ex philosopho de Athenis, sedit annũ unũ, menses decem, dies uiginti quatuor. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Decij.

Eodem tempore hic comprehensus est à Valeriano, & ductus ut sacrificaret dæmonijs. Qui quia contẽpsit præcepta Valeriani, capite truncatus est, & cum eo sex diacones, Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Vicentius, & Stephanus, octauo Idus Augusti.

Et presbyteri præfuerunt à consulatu Maximi, & Glabrionis usque ad consulatum Tusci & Bassi decimo quarto Kalendas Augusti. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.

Et post passionem beati Sixti die tertiò passi sunt Laurentius eius [a] Archidiaconus, & Subdiaconus Claudius, Seuerus presbyter, & Romanus ostiarius, & Crescentius Lector.

[a] Habes hic in ordine Ecclesiastico diuersos gradus, nempe Episcopos Presbyteros Diaconos Subdiaconos Ostiarios Lectores.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ, Presbyteros quatuor, Diacones septẽ, Episcopos per loca duos. Sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia, & sex diaconi eius in cœmiterio Prætextati, uia Appia, octauo Idus Augusti. Beatus uero Laurentius sepultus est uia Tiburtina in Crypta in agro uerano, quarto Idus Augusti, & cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

VITA SANCTI DIONYSII PAPÆ per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

DIonysius ex monacho cuius generationẽ reperire non potuimus, sedit annos sex, menses duos, dies quatuor. Fuit tẽporibus Galieni, ex die undecimo Kalendarum Augusti, Emiliano & Basso cõsulibus, usq; in diem septimum Kalendarum Ianuarij, consulatus Claudij & Paterni.

Hic presbyteris Ecclesias diuisit, & cœmiteria Parochiasque, & dioceses constituit.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ, presbyteros duodecim, diacones sex, Episcopos ꝑ diuersa loca numero septẽ. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia, sexto Kalendas Ianuarij. Et cessauit Episcopatus dies quinque.

VITA SANCTI FELICIS PAPÆ, ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetũr in pontificali eiusdem.

FElix natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annos quatuor, menses tres, dies uigintiquinque. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Claudij & Aureliani, à consulatu Claudij & Paterni, usque ad consulatum Aureliani & Capitolini.

Hic constituit supra 1 sepulchra aut memorias martyrum missas celebrari.

1 Aduerte antiquũ morem esse super sepulchra, & memorias Martyrũ Missas celebrari.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ, presbyteros nouem, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca quinque.

Sepultus est in cœmiterio suo, ubi & basilicam fecit uia Aurelia, miliario ab urbe Roma secundo, tertio Kalendas Iunias. Et cessauit Episcopatus dies quinque.

VITA SANCTI EVTICHIANI PAPÆ & Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetũr in Pontificali eiusdem.

EVtichianus natione Thuscus, ex patre Marino, de ciuitate Lunensi, sedit anno uno, mense uno, die uno. Fuit temporibus Aureliani, à cõsulatu Aureliani tertio, & Marcellini, usque in diem Iduum Decembris, Caro secundo, & Carino consulibus.

Hic constituit fruges fabæ uuæ super altario 1 benedici. Hic temporibus suis per loca diuersa 2 trecentum quadraginta duos martyres manibus suis sepeliuit. Qui hoc constituit, ut quicunque fidelium martyrẽ sepeliret, sine Dalmatica, aut collobio purpurato nullatenus sepeliret, dũ tamen huius constitutionis ad illum peruenisset notitia.

1 Si benedictiones rerũ non essent licitæ, tantus Pontifex utique non eas instituisset.

2 Itidem nec tot Martyres proprijs manibus sepelisset, si sepelire mortuos nõ esset opus Deo placens.

3 Quia hic pontifex quinque ordinationes

Hic fecit ordinationes 3 quinque per mensem Decembrẽ, presbyte

ros quatuordecim, diacones quinque, Episcopos per loca nouē. Et martyrio coronatur. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia, octauo Kalendas Augusti. Et cessauit Episcopatus dies nouem.

fecit per mensem Decembrem, quod anno uno minime facere potuit, ideo aliquī errorē esse dixerunt quādo dicitur supra sedisse anno uno uoluntq; eum annis pluribus uixisse.

VITA SANCTI GAII PAPÆ ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

GAius natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaio, sedit annis undecim, mēses quatuor, dies duodecim. Fuit autem temporibus Cari secundo, & Carini, ex die decimo sexto Kalendarum Ianuarij usque in diem decimum Kalendarum Maij sub Diocletiano sexto, & Constantio secundo.

Hic constituit ut 1 omnes ordines in ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset ostiarius, Lector, exorcista, acolythus, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, & exinde Epūs ordinaretur.

1 *Habes hic omnes ordines Ecclesiasticos singillatim nominatos.*

Hic fugiens persecutionem Diocletiani in Cryptis habitans cōfessor quieuit, martyrio coronatus post annos octo.

Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrē, presbyteros uiginti quinque, diacones octo, Episcopos per loca quinque. Qui post annos undecim cum Gabino fratre suo, propter filiam Gabini presbyteri, nomine Susannam martyrio coronatur. Sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia decimo Kalendas Maij. Et uacauit Episcopatus dies undecim.

VITA SANCTI MARCELLINI PAPÆ & Martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

MArcellinus natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos nouem, menses duos, dies sexdecim. Fuit autē temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die Kalendarum Iulij à consulatu Diocletiani sexto, & Constantij secundo, usque ad Diocletianum nono, & Maximianum octauo. Quo tempore fuit persecutio magna, ita ut intra triginta dies decē & septem milia hominū promiscui sexus per diuersas prouintias martyrio coronarentur. De qua re & ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret. Quod & fecit. Et post paucos dies pœnitentia ductus, ab eodē Diocletiano pro fide Christi cū Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus est, & martyrio coronatus.

Qui dum pergeret ad passionē suam, adiurauit Marcellum presbyterum, ut præcepta Diocletiani non impleret. Iacuerunt autē corpora sanctorum in platea dies triginta sex ex iussu Diocletiani. Exinde Marcellus presbyter noctu collegit corpora sanctorum cum 1 presbyteris & diaconibus, cū hymnis, & sepeliuit ea sexto Kalendas Maij in uia Salaria in cœmiterio Priscillæ in cubiculo claro, quod patet usque in hodiernum

1 *Vides Christianā traditionem sepeliendi fidelium corpora? Nēpe cū hymnis, sacerdotibus & diaconis.*

diem, ſecundum quod ipſi ſanctus Petrus pręceperat, in Crypta iuxta corpus ſancti Creſcentionis.

Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros quatuor, Epiſcopos ꝑ loca quinq;. Et ceſſauit Epiſcopatus annos ſeptẽ, menſes ſex, dies uigintiquinque, perſequente Diocletiano Chriſtianos.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

VITA SANCTI MARCELLI PAPÆ & Martyris, per Damaſum Papam ſcripta.

MArcellus natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, ſedit annis quinque, mẽſibus ſex, diebus uiginti unum. Fuit autem temporibus Conſtantij, & Galerij, & peruenit uſque ad Maxentium, à conſulatu Maxentij quarto & Maximi, uſq; poſt conſulatum.

1 Hic fecit 1 cœmiterium uia Salaria, & uiginti quinq; titulos in urbe Roma conſtituit, quaſi dioceſes, propter baptiſmum, & pœnitentiam multorꝝ, qui conuertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas martyrũ.

Vide quãto ſtudio hi ſancti Pontifices, martyres ſepelirent, quibus etiam tot cœmiteria faciebant.

Hic ordinauit uigintiquinque presbyteros in urbe Roma & duos diacones per menſem Decembrẽ, Epiſcopos ꝑ diuerſa loca uigintiunum.

Hic coartatus & tentus eſt, eo quod eccleſiam ordinaret, & cõprehenſus à Maxentio, ut negaret ſe eſſe Epiſcopum, & ſacrificijs ſe humiliaret, dęmoniorum. Qui ſemper contemnens & deridens dicta & præcepta Maxẽtij, damnatus eſt in Cathabulum. Qui dum multis diebus ſeruiret in Cathabulum, 2 orationibus & ieiunijs, domino deſeruire non ceſſabat. Menſe autem nono uenerunt clerici eius omnes, & eruerunt eũ noctu de Cathabulo.

2 *Non ceſſabat ſeruire Domino in orationibus & ieiunijs etiã in cathabulo, iuxta illud Apoſtoli, In omni loco leuantes puras manus.*

Matrona uero quædam nomine Lucina uidua, quæ uixerat cum uiro Marco annis quindecim, & in uiduitate ſua habebat annos decem & nouem, ſuſcepit beatum uirum, quæ & domum ſuam nomine tituli beati Marcelli dedicauit, ubi die, 3 noctuq; hymnis & orationibus, domino Ieſu Chriſto confitebantur.

3 *Ecce nocturnas & diurnas orationes & hymnos.*

His auditis à Maxentio, miſit, & tenuit iterum beatũ Marcellum, & iuſsit in eadẽ eccleſia iterum plancas externi, ut ibidem animalia cathabuli congregata ſtarent, & ipſis beatus Marcellus deſeruiret. Qui tandẽ in ſeruitio animalium nudus, amictus cilitio defunctus eſt. Cuius corpus collegit beata Lucina, & ſepeliuit in cœmiterio Priſcillæ uia Salaria decimoſeptimo Kalendas Februarij. Et ceſſauit Epiſcopatus dies uiginti. Lucina uero proſcriptione damnata eſt.

Habetũr in Pontificali eiuſdem.

VITA SANCTI EVSEBII PAPÆ per Damaſum Papam ſcripta.

EVſebius natione Græcus, ex patre Medico, ſedit annis ſex, menſe uno, diebus tribus. Fuit temporibus Conſtantini. Sub huius tempo

re crux domini nostri Iesu Christi quinto Nonas Maij inuenta est. Baptizatur quoque, & Iudas, post Quiriacus uocatus, crucis inuentor.

Hic, scilicet Eusebius, hæreticos inuenit in urbe Roma, quos sola manuũ impositione reconciliauit. Fecit hic ordinationem unam mense Decembrio, presbyteros tresdecim, diacones tres, Episcopos p loca quatuordecim. Sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia sexto Nonas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies septem.

VITA SANCTI MELCHIADIS PAPÆ & martyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

MElchiades natione Aphor, sedit annos tres, menses septem, dies octo, ex die Nonas Iulij, à consulatu Maximini nono, usque ad Maxentium secundo, qui fuit mense Septembrio, Volusiano & Rufino consulibus.

Hic constituit, ne ulla ratione die dominica, aut quinta feria ieiunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrũ ieiunium celebrabant. Et Manichæi inuenti sunt in urbe Roma ab eodem.

Hic fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.

Hic fecit ordinationẽ unam per mẽsem Decembrẽ, presbyteros sex, diacones quinque, Episcopos per loca undecim.

Hic sepultus est in cœmiterio Calixti uia Appia quarto Idus Decẽbris. Et cessauit Episcopatus dies decem & septem.

VITA SANCTI SYLVESTRI PAPÆ per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

SYluester natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annis uiginti tribus, mensibus decem, diebus undecim. Fuit autẽ temporibus Constantini & Volusiani, ex die Kalendarũ Februarij usque in diem kalendarum Ianuarij, Constantino, & Volusiano consulibus.

Hic in exilio fuit in monte Soracte, & postmodum rediens cũ gloria, baptizauit Constantinũ augustũ, quẽ curauit dominus à lepra, cuius persecutionem primo fugiens, in exilio fuisse cognoscitur.

Pro baptismo Constãtini uide particularẽ notulã in fine huius uitæ.

Hic fecit in urbe Roma 1 ecclesiam in prædio cuiusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius iuxta terma Traianas, quem titulum Romanũ constituit, & usque in hodiernũ diem appellatur titulus Equitij, ubi & hæc dona contulit, Patenam argenteam pensantẽ libras uiginti ex dono Augusti Constantini. Donauit aũt & scyphos argenteos duos, qui pensauerunt singuli libras denas. Calicem aureum pensantem libras duas. Calices ministeriales quinque, pensantes singuli binas libras. Amas agenteas duas, pensantes singulæ libras denas. Patenã argenteam chris-

1 Cũ uideamus in hac uita tot Ecclesias fabricatas, tam pretiosa donaria in illas a tam sanctis uiris collata, quõ potest in sensum cadere prudentis uiri hæc mala esse nec Deo placere?

malem auro clusam, pensantē libras quinque. Pharos coronatos decem, pensantes singuli libras octonas. Pharos æreos uiginti, pensantes singuli libras denas. Cantharos cerostrotos duodecim æreos, pensantes singuli libras triginta. Fundum Valerianū in territorio Sabinensi, qui præstat solidos octuaginta. Fundum stationum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos quinquagintaquinque. Fundum ad duas casas in territorio Sabinensi, qui præstat solidos quadraginta. Fundum Percilianū in territorio Sabinensi, qui præstat solidos uiginti. Fundum Corbianum in territorio Sorano, qui præstat solidos sexaginta. Domum cū balneo in urbe in Sicumini regione, quæ præstat solidos octuagintaquinque. Ortum intra urbem Romā, in regione ad duos amantes, præstantē solidos quindecim. Domū in regione Orphea intra urbē, quæ pręstat solidos quinquaginta octo & tremissem. Hic fecit constitutū etiam de 2 omni ecclesia.

Huius temporibus factum est Concilium cū eius 3 consensu in Nicęa Bithynię. Et congregati sunt trecentum decē & octo Episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integrā, sanctam, catholicā, & īmaculatam. Et damnauerunt Arrium, Photinum, & Sabellium, & sequaces eorum. Et in urbe Roma congregauit ipse cum 4 consilio Augusti Episcopos ducentū septuaginta septē & damnauit iterū & Calixtū, & Arrium, & Photinū, & Sabellium. Et constituit ut presbyter Arrianū resipiscentē non susciperet, nisi Episcopus loci designaret eū. Constituit & chrisma ab Episcopo confici. Et priuilegium Episcopis contulit, ut baptizatum consignent propter hæreticā suasionē. Hic & hoc constituit, ut baptizatum liniat presbyter chrismate leuatum de aqua, propter occasionē transitus mortis. Hic quoq; constituit, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Et hoc constituit, ut diaconi Dalmaticis in ecclesia uterentur, & palla linostima leua eorū tegeretur. Idemq; constituit ut nullus clericus propter quamlibet causam in curia introiret, nec ante iudicem cinctum causam diceret, nisi in ecclesia. Sed & 5 constituit, ut sacrificium altaris non in serico, neq; in panno tincto consecraretur, nisi tantum in lineo ex terra procreato, sicut corpus domini nostri Iesu Christi in sindone linea & munda sepultum fuit. Constituit nihilominus, ut siquis desideraret in ecclesia mili. are, aut proficere, ut esset 6 Ostiarius annis decem. Lector annos triginta. Exorcista dies triginta. Accolytus annis quinq;. Subdiaconus annis quinq;. Custos martyrū, annis quinque, Diaconus annis septem, Presbyter annis tribus, Probatus ex omni parte, ut etiam ab his qui foris sunt, habeat bonū testimonium, unius uxoris uir, uxore à sacerdote benedicta, & sic ad ordinē episcopatus ascenderet, nullum maioris, uel prioris locū inuaderet, nisi ordine temporum cū pudore cognosceret omnium clericorū uota grata, nullo omnino clerico contradicente, uel fideli. Hic fecit ordinationes septem per mensem Decembrem, Presbyteros quadraginta duos, diacones triginta sex, Episcopos per diuersa loca, & tempora sexaginta sex.

2 *Si sanctus Pontifex constitutum fecit de omni Ecclesia. Signū est quod propter beati Petri sedem. super eandem totam potestatem habebat.*

3 *De consensu Papæ cō uocatur generale Cōcilium quia Regula Ecclesiastica non patitur aliter posse fieri.*

4 *Vide quā apposite loquatur Damasus, Sylvester inquiens congregauit Romæ Episcopos 257. cū consilio Augusti. Nec ait cum consensu, sicut supra dixerat de papa, quia non requiritur consensus Imperatoris pro congregatione concilij, sed tantum papæ.*

5 *Tot constituta arguūt plenitudinem potestatis in Ecclesia.*

6 *Et hic habes omnes Ecclesiasticos ordines enumeratos.*

Huius

Huius temporibus fecit Constantinus augustus basilicas istas, quas & ornauit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit dona ista. Fastigium argenteum, habens in fronte Saluatorẽ sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centũ & uiginti. Et duodecim Apostolos habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta, cũ coronis ex argento purissimo. Item à tergo respicientẽ in abside Saluatorem sedentẽ in throno in pedibus quinque, ex argento purissimo, pensantem libras centũ quadraginta. Et angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras centum quinque cũ gemmis Alabandenis. Fastigiũ ipsum pensat libras duo milia uigintiquinq;. Coronas quatuor ex auro purissimo, cũ delphinis uiginti, pensantes singulę libras quindecim. Pharum ex auro purissimo, cum delphinis quingentis, cum catena, qui pensat libras uigintiquinque. Cameram basilicæ ex auro pensante in longum & in latum libras quingentas. Altaria septem ex argento purissimo, pensante libras ducentas. Patenas aureas septem, pensantes singulæ libras triginta.

7 Patenas argenteas sexdecim, pensantes singulæ libras triginta. Scyphos ex auro purissimo septem, pensantes singuli libras decem. Scyphũ singularem ex metallo, corallo ornatum, & undique de gemmis Prasinis & hyacinthinis, auro interclusum ex omni parte, qui pẽsat libras uiginti & uncias tres. Scyphos argenteos uiginti, pensantes singuli libras quindecim. Amas ex auro purissimo duas, pensantes singulæ libras quinquaginta, portantes singulæ medimnos tres. Amas argenteas uiginti, pensantes singulæ libras decem, portantes singulæ medimnos singulos. Calices minores aureos purissimos quadraginta, pensantes singuli libras singulas. Calices minores ministeriales quingentos, pensantes singuli libras duas.

7 Si deo hæc omnia non placerent, religiosus Imperator nõ ea elargitus fuisset Ecclesijs.

Ornamenta in Basilica Pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum Nardinũ pisticum, cum delphinis octoginta, pensantem libras triginta. Pharum cantharũ argenteum cum delphinis uiginti, qui pensant libras quadraginta, ubi ardet oleum nardinũ pisticũ. Pharos cantharos argẽteos in gremio basilicę quadragintaquinque, pensantes singuli libras triginta, ubi ardet oleum suprascriptũ. In parte dextera basilicæ Pharos argenteos quadraginta, pensantes singuli libras uiginti. Pharos cantharos in læua basilicæ argenteos uigintiquinque pensantes singuli libras uiginti. Cantharos cerostratos in gremio basilicæ argenteos quinquaginta, pensantes singuli libras uiginti. Metretas tres ex argento purissimo, pensantes singulæ libras trecentas, portantes medimnos decem. Candelabra ex aurichalco numero septem, quæ habent pedes denos, cum ornatu ex argento, interclusa sigillis prophetarum, pensantia singula libras trecentas, quæ constituit in seruitio luminum. Massam Gargilanam in territorio Suessano, præstantem solidos quadringentos. Massam Bauronicam in territorio Suessano, præstantem solidos trecentum sexaginta. Massam Aurianam in territorio Laurentino, prestantem solidos quingentos Massam Vrbanam in territorio Antiano, præ-

ſtantem ſolidos ducentũ quadraginta. Maſſam caſtis in territorio Catanenſi, præſtantẽ ſolidos mille. Maſſam Trapeas in territorio Catanenſi, præſtantẽ ſolidos mille. d.c.l. Thymiamateria duo ex auro puriſsimo, penſantia libras triginta. Donũ aromaticum ante altaria, ſingulis annis libras centum quinquaginta.

Fontem ſanctũ ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus ex lapide porphyretico,& ex omni parte coopertũ intrinſecus & foris,& deſuper, & quantum aqua continet, ex argento puriſsimo, libras tria millia octo. In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro puriſsimo, penſantẽ libras quinquaginta, ubi ardent balſami, libræ ducentę. Annexum ex Stippa Amianti in labro fontis agnũ ex auro puriſsimo fundentem aquam, penſantem libras triginta. Ad dexteram agni Saluatorem ex argento puriſsimo in pedibus quinque, penſantem libras centum ſeptuaginta. In læua agni beatum Ioannem Baptiſtam ex argento in pedibus quinque, tenentẽ titulum ſcriptũ, qui hoc habet: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, penſantem libras centum. Ceruos ex argento ſeptem, fundentes aquam, penſantes ſinguli libras octoginta. Thymiamaterium ex auro puriſsimo, penſans libras decem, cum gẽmis Praſinis, & Hyacinthinis undique, numero gẽmæ quadraginta duæ. Donum ſancto fonti. Maſſa Feſti ex territorio Præneſtino, præſtans ſolidos trecentos. Maſſa Gaba ex territorio Gabinenſi, præſtans ſolidos ducentos & duos. Maſſa pictas, ex territorio ſupradicto, prẹſtans ſolidos ducentos quinque. Maſſa ſtatiliana ex territorio Sorano, præſtans ſolidos trecentos. Maſſa intra Siciliam Taurana ex territorio Parentienſe, præſtans ſolidos quingentos. Intra urbem Romã domus uel horti prẹſtantes ſolidos duo millia trecenta. Fundus Baſsi prẹſtans ſolidos centum uiginti. Maſſa Laninas ex territorio Carſiolano, præſtans ſolidos ducentos. Fundus Catullus ex territorio Nomentano, prẹſtans ſolidos quinquaginta. Maſſa ſtatiana ex territorio Sabinenſi, præſtans ſolidos trecentos quinquaginta. Maſſa Murina ex territorio Appiano Albanenſi, prẹſtans ſolidos trecentos. Maſſa uirginis, ex territorio Sorano, præſtans ſolidos ducentos. Tranſmarina intra partes Aphricæ. Maſſa Vincis ex territorio Mucario, præſtans ſolidos dccc. Maſſa Capſis ex territorio Capſitano, præſtans ſolidos d.c. Maſſa uaria Sardana, præſtans ſolidos quingẽtos. Maſſa Camaras ex territorio Curtalupi, prẹſtãs ſolidos cccc. v. Maſſa Nummas ex territorio Numidiæ, prẹſtans ſolidos d.c.l. Maſſa Sulphurata ex territorio Numidię, prẹſtans ſolidos d. cc. xx. Maſſa Baldarioliaria ex territorio Numidię, prẹſtãs ſolidos d.ccc.x. In Gręcia. Maſſa Cephaleia prẹſtans ſolidos quingentos. In Mengaulo. Maſſa Amazon, prẹſtans ſolidos ducentos uigintiduos.

8 *Ecce Eccleſiam ædificatam in honorẽ beati Petri apoſtoli.*

Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit baſilicã 8 beato Petro Apoſtolo in templo Apollinis, cuius locum, cum corpus ſancti Petri recondidit, ipſum locũ undique ex ære Cyprio concluſit, quod eſt ĩmo-

bile. Ad caput, pedes quinque, Ad pedes, pedes quinq;, Ad latus dextrũ, pedes quinque, Ad latus sinistrũ, pedes quinque. Supter, pedes quinque, Sub, pedes quinque. Sic inclusit corpus beati Petri Apostoli, & recondidit, & exornauit super columnas Porphyriticas, & alias columnas tres tineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram basilicæ, ex crimma auri fulgentem. Et super corpus beati Petri, super os, quo conclusit illud, fecit crucem auream purissimã pensantẽ libras c l. Vbi scriptum est hoc, Constantinus augustus, & Helena augusta hanc domum regali simili fulgore coruscantem auro circundant. Scriptũ est ex literis nigellis in cruce. Fecit autem candelabra ex auricalcho in pedibus decẽ, numero quatuor, argento conclusa, cũ sigillis argenteis unde actus Apostolorum cernebantur, pensantia singula libras c c c. Calices aureos tres cum gẽmis Prasinis quadraginta quinque, pensantes singuli libras duodecim. Metretas argenteas duas, pensantes libras c c. Calices argenteos uiginti, pensantes singuli libras decem. Amas aureas duas, pensantes singulæ libras denas. Amas argenteas quinque, pensantes singulę libras uiginti. Patenam auream cum turre, & columba, ex auro purissimo, ornatam gẽmis Prasinis, & Hyacinthinis, margaritisq́; numero c c x v. Pensantem libras triginta. Patenas argenteas quinque, pensantes singulæ libras quindecim. Coronã auream ante corpus, quę est Pharus cantharus cum delphinis quingentis, pensantem libras trigintaquinque. Pharos argẽteos in gremio basilicę cum delphinis, pensantes singuli libras decẽ. Ad dexteram basilicę Pharos argenteos triginta, pensantes singuli libras octo. Ipsum altare ex auro & argento clausum cum gemmis Prasinis, & Hyacinthinis & albis c c x. pensantibus libras c c c l. Thymiamaterium aureum cum gẽmis undique exornatũ, pensans libras quindecim.

In redditibus donum, quod obtulit Constantinus augustus beato Petro Apostolo per dioceses in oriente. In ciuitate Antiochia domum Datiani, prẹstantem solidos c c x l. Domunculam Nicẹnam prẹstantẽ solidos uiginti & tremissem. Cellas in Aphrodisia prẹstantes solidos uiginti. Balneum in Seretea, prẹstans solidos quadragintaduos. Pistrinum, ubi supra, prẹstans solidos uigintitres. Popinas, ubi supra, præstantes solidos decem. Hortum Maronis, ubi supra, præstantem solidos decẽ. Hortum, ubi supra, prẹstantem solidos undecim. Sub ciuitate Antiochẹna possessionem Sibyllinam donatã augusto, præstantẽ solidos c c c x x i j. Cartadecadas c l. Aromatum libras ducentas. Balsami, libras trigintaquinque. Sub ciuitate Alexandrina possesionem Timialicam donatã augusto Constantino ab Ambronio, præstantem solidos d c x x. Cartadecadas c c c. Olei nardini libras c c c. Balsami sexaginta. Aromatũ libras centum quinquaginta. Storacis Isauricæ libras l. Possesionem Eutimi caduci, prẹstantem solidos quingentos. Cartadecadas l x x. Per Aegyptum sub ciuitate Armeniæ, possesionem Agapij, quam donauit Constantino augusto. Possesionem Panopoliten prẹstantem solidos d c c c.

Cartadecadas cccc. Piperis medimnos l. Croci, libras centum. Storacis, libras cl. Aromatum, Casiæ, libras cc. Olei nardini, libras ccc. Balsami, libras centum. Lini saccos centum. Garriophilorum, libras centum quinquaginta. Olei Cyprini libras centum. Papyrij canas mundas mille. Possesionem quam donauit Constantino augusto Ibronius, præstantem solidos ccccl. Cartadecadas cc. Aromatũ, Casiæ libras l. Balsami, libras l. In prouincia Euphraten, sub ciuitate Cyro, possesionem Armanazon, præstantem solidos ccclxxx. Sub Tarso Ciliciæ insulam Cordionum, præstantem solidos dcccc.

9 *Ecce alia ecclesia in honorem beati Pauli Apostoli.*

10 *Vides corpus Apostoli sanctum dici.*

Eodem tẽpore Constantinus Augustus fecit basilicã 9 beato Paulo Apostolo, ex suggestione sancti Syluestri Episcopi, cuius corpus 10 sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut beati Petri, & dona obtulit. Nam omnia uasa sacra aurea, uel argẽtea, aut ærea ita posuit, sicut in basilica beati Petri Apostoli, & ita beati Pauli apostoli ornauit sicut illam. Sed & crucem auream super locum beati Pauli Apostoli posuit, pensantem libras cl. Sub ciuitate Tyria, possesionem comita, pręstantem solidos quingentos quinquaginta. Possesionem Fromimusa præstantem solidos dcc. Possesionem Timia, præstantẽ solidos ccl. Olei Nardini, libras septuaginta. Aromatum, libras quinquaginta. Casiæ, libras quinquaginta. Sub ciuitate Aegyptia possesionem Cyreos, pręstantem solidos dccx. Olei Nardini, libras septuaginta. Balsami libras triginta. Aromatũ libras septuaginta. Storacis, libras triginta. Stacten, libras cl. Possesionem Basilicam præstantem solidos quingentos quinquaginta. Aromatum libras quinquaginta. Olei nardini, libras sexaginta, Balsami, libras uiginti, Croci, libras lx. Possesionem insulæ Machabæo, præstantem solidos quingentos decem. Papyrira canas mundas d. Lini saccos ccc.

Eodem tẽpore fecit Constantinus augustus Basilicam in palatio Sessoriano, ubi de ligno sanctæ Crucis posuit, & in auro, & gẽmis conclusit. Vbi & nomen ecclesiæ dedicauit, quo nominatur usque in hodiernum diem Hierusalẽ. In quo loco constituit dona ista. Candelabra ante lignũ sanctum lucentia argentea quatuor, secundũ numerum quatuor Euangeliorum, pensantia singula libras octoginta. Pharos cantharos argẽteos quinquaginta, pensantes singuli libras xv. Scyphum aureum purissimum, pensantem libras x. Calices aureos ministeriales quinque, pensantes singuli libras singulas. Scyphos argenteos tres, pensantes singuli libras octo. Calices ministeriales argenteos decem pensantes singuli libras duas. Patenam argenteam auro clusam cum gẽmis, pensantem libras l. Altare argenteum pensans libras ccl. Amas argenteas tres, pensantes singulæ libras xx. Et omnes agros circa palatium ecclesiæ dono dedit. Possesionem Sponsas uia lauicana, præstantem solidos cclxiij. Sub ciuitate Laurento possesionem Patras, præstantem solidos cxx. Sub ciuitate Nepesina possesionem Anglesis, pręstantem solidos ccl. Sub

ciuitate

ciuitate supra scripta possessionem Terega, quæ præstat solidos clx. Sub ciuitate Falista possessionem præstantem solidos cxv. Item sub ciuitate Falisca possessionem Herculis, quam donauit Augusto, & Augustus obtulit ecclesiæ Hierusalem, prestantem solidos cxl. Sub ciuitate Tuder possessionem Angulas præstantem solidos cliij.

Eodem tempore fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis, ex rogatu filiæ suæ, & baptisterium in eodem loco, ubi baptizata est soror eius Constantia unà cum filia Augusti. Et ibidē constituit hæc. Patenam auream pensantem libras xx. Calicem aureum pensantem libras decē. Coronam Pharum cantharum ex auro purissimo cū delphinis triginta, pensantē libras quindecim. Patenas argenteas duas, pensantes singulæ libras uiginti. Calices argenteos quinque, pensantes singuli libras decē. Pharos cantharos argenteos triginta, pensantes singuli libras octo. Pharos æreos ex aurichalco xl. Cerostratos ex aurichalco argēto clusos quadraginta sigillatos. Lucernas aureas xij. nixas, super fontem. In redditibus circa ciuitatem Fidenas omnem agrum, prestantem solidos clx. Via salaria sub Parento undique omnem agrum, prestantem solidos cv. Agrum Muci prestantem solidos lxxx. Possessionem in uico Pisonis, prestantem solidos ccl. Agrum Casulas, præstantem solidos centum.

Eodem tēpore Constantinus augustus fecit basilicam beato Laurentio Martyri uia Tyburtina in agro Verano supra arenarium Cryptæ. Et usque ad corpus sancti Laurentij Martyris fecit gradus ascensionis & descensionis. In eo loco construxit absidem, & exornauit marmoribus Porphyreticis, & desuper locum conclusit de argento, & cancellos de argento purissimo ornauit, pensantes libras mille. Et ante ipsum locum in Crypta posuit lucernam ex auro purissimo Lichnorum x. pensantem libras uiginti. Coronam ex argento purissimo cum delphinis l. pensantem libras triginta. Candelabra ærea duo in pedibus denis, pensantia singula libras trecētas. Ante corpus beati Laurentij Martyris argento clusit sigilla passionum ipsius, cum lucernis mixis argenteis, pensantes singulæ libras quindecim. In eodem loco possessionem cuiusdā Quiriacetis, religiosæ fœminæ, quam fiscus occupauerat tempore persecutionis. Veranum fundum prestantem solidos centum sexaginta. Possessionem aqua Tuscia ad latus, prestantem solidos cliij. Possessionē Augusti in territorio Sabinensi, prestantem solidos cxx. Possessionem Micinas Augusti, prestantem solidos cx. Possessionem Termulas, prestantem solidos lx. Possessionem Aranas, prestantē solidos lxx. Pharos argenteos xxx. pensantes singuli libras octo.

Eisdem temporibus Constantinus Augustus fecit basilicam uia Lauicana inter duas lauros beato Petro & Marcellino martyribus. Et Mausoleum ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in Sarcophago Porphyretico. Vbi & donauit Patenam auream ex purissimo auro, pensantem libras xxxv. Candelabra argentea auro clusa in pedibus xij.

iiij. pensantia singula libras cc. Coronam auream, quæ est Pharus cantharus cum delphinis cxx. pensantem libras xxx. Calices aureos tres, pensantes singuli libras decem, cum gemmis Prasinis, & hyacinthinis. Amas aureas duas, pensantes singulæ libras xl. Altare ex argento purissimo, pensante libras cc. Pharos cantharos argenteos uiginti, pensantes singuli libras xx. Item altare ex argento purissimo, pensante libras cc. Patenas ex auro purissimo duas, pensantes singulæ libras quindecim. Patenas argenteas duas, pensantes singulæ libras xv. Scyphum maiorem ex auro purissimo, ubi nomē Augusti designatur, pensantem libras uiginti. Scyphum aureum minorem, pensantem libras decem. Scyphos argenteos quinque, pensantes singuli libras duodecim. Calices ministeriales argenteos uiginti, pensantes singuli libras tres. Amas argenteas quatuor, pēsantes singulæ libras quindecim. Annis singulis olei nardini pistici, libras dcccc. Balsami, libras centum. Aromatum in incensum ii Sanctis Martyribus, beatis Marcellino & Petro libras centum. Fundum Laurentinum iuxta Formiam cum balneo, & omnem agrum â post Sessorianam uiam, & in ærarium, usq; ad uiam Latinam ad montem Gabum. Ipsum montem Gabum possessionem Augustæ Helenę, præstantē solidos mille cxx. Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus, prestantem solidos mille uigintiquatuor. Messanam cum possessionibus suis oībus, prestantem solidos dcccx. Insulam Matyziam, præstantē solidos dc. Possessionem in territorio Sabinensi, quæ appellatur ad duas casas, sub monte Laurenti, prestantem solidos ducentos.

Etiam Sanctis martyribus antiquitus adolebatur incensum.

Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in ciuitate Ostia iuxta portum urbis Romæ, beatorū Apostolorum Petri & Pauli & Ioannis Baptistæ, ubi obtulit hæc. Patenam argenteam, pensantem libras triginta. Calices argenteos decem, pensantes singuli libras quinque. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras decem. Pharos argenteos triginta, pensantes singuli libras quinque. Scyphos argenteos duos, pensantes singuli libras octo. Patenam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem. Peluem ex argento ad baptismum, pensantem libras uiginti. Insulam quæ dicitur Assis, quę est inter portū & Ostiam, & possessiones omnes maritimas, usque ad digitum solis, præstantes solidos trecentos. Possessionem Græcorum in territorio Ardeatino, præstantem solidos triginta. Possessionem Quirini in territorio Ostiensi, præstantē solidos cccxi. Possessionē Balniolū in territorio Ostiensi, præstantem solidos xlij. Possessionem Nymphulas, prestantem solidos triginta. Item quæ obtulit Gallicanus basilicæ suprascriptæ, sanctorū Apostolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptistę. Obtulit autem hęc. Coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras xx. Calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras xv. Amam argenteam, pensantem libras xviij. Massam Mallianam in territorio Sabinensi, prestantem solidos cxv. & tremissem. Fundum picturas in territorio

Veliterno, præstantem solidos xliij. Fundum Surorum uia Clodia in territorio Veientano, præstantem solidos lvj. Massam Gargilianam in territorio Suessano, præstantem solidos dclvj.

Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam in ciuitate Albanensi sancti Ioannis Baptistę, ubi posuit hęc. Patenam argenteam pensantem libras xxx. Scyphum argenteum deaureatum, pensantem libras xij. Calices ministeriales decem, pensantes singuli libras ternas. Amas argenteas duas, pensantes singulę libras xx. Possesiones Laurentinas, cũ adiacentibus campestribus, prę stantes solidos lx. Fundum Molas, prę stantem solidos l. Possessionẽ Albanensem cum lacu Albano, prę stãtes solidos ccl. Massam Muci, prę stantẽ solidos clxx. Omnia Scheneca deserta, uel domos ciuitatis in urbe Albanensi, omnia in circuitu ecclesię Constantinianę obtulit Augustus. Possessionem orti, præstantem solidos xx. Possessionem Tyberij Cæsaris, præstantem solidos lxxx. Possessionem Marinas, præstantem solidos l. Possessionem Armatianam in territorio Corano, prę stantem solidos cl. Possessionem Statilianam, prę stantem solidos lxx. Possessionem Medianam, præstantem solidos xxx.

Eisdem temporibus fecit Constantinus augustus intra urbem Capuanam Basilicam Apostolorum, quam cognominauit Constantinianam. Vbi & obtulit dona hęc. Patenas argenteas duas, pensantes singulæ libras xx. Scyphos argenteos tres, pensantes singuli libras viij. Calices ministeriales xv. pensantes singuli libras duas. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras x. Candelabra ærea in pedibus x. numero quatuor, pensantia singula libras clxxx. Pharos cantharos argenteos, numero xxx. pensantes singuli libras quinque. Pharos cantharos æreos numero xxx. Et obtulit possesiones. Massam Statilianam in territorio Menturino, prę stantem solidos cccxv. Possesionem in territorio Caietano, præstantem solidos lxxxv. Possesionem Paterni in territorio Suessano, præstantem solidos cl. Possessionem ad Centum in territorio Capuano, prę stantem solidos lx. Possessionem Gauronicam in territorio Suessano, prę stantem solidos xl. Possessionem Leonis, prę stantem solidos lx.

Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicam in urbe Neapoli, ubi obtulit hæc, Patenas argenteas duas, pensantes singulæ libras xxv. Scyphos argẽteos duos, pensantes singuli libras x. Calices ministeriales x. pensantes singuli libras duas. Amas argẽteas duas, pensantes singulæ libras xv. Pharos argẽteos xx. pensantes singuli libras octo. Pharos æreos xx. pensantes singuli libras x. Fecit autem formã aquæductus per miliaria octo. Fecit autem & forum, & donum obtulit. Possesionem Macarij, præstantem solidos cl. Possesionem Cimbranam, prę stantem solidos cv. Possesionem Sclinam, præstantem solidos cviij. Possesionem Afilas, prę stantem solidos cxl. Possessionẽ

Nymphulas, pręstantem solidos xc. Possessionem Insulę cum Castro, pręstantem solidos lxxx.

Eisdem tēporibus constituit beatus Syluester in urbe Roma titulum suum in regionē tertiam iuxta thermas Domitianas, quę cognominantur Traianæ, titulum scilicet Syluestri, ubi donauit Constantinus Augustus patenam argenteam pensantem libras xx. Scyphos argēteos duos, pensantes singuli libras octo. Amam argenteā pensantes libras x. Pharos cantharos argenteos x, pensantes singuli libras quinq;. Cantharos cerostrotos æreos xvj. pensantes singuli libras xl. Calices argenteos ministeriales quinque, pensantes singuli libras duas. Fundum Percilianū in territorio Sabinensi, pręstantem solidos l. Fundum Barbatianum in territorio Ferentino, præstantē solidos xxxv. & tremissem. Fundum Statianum in territorio Trebulano, pręstantem solidos lxvj. & tremissem. Fundum Beruclas, in territorio Corano, præstantē solidos xlv. Fundum Sulpitianum in territorio Corano, præstantem solidos lxx. Fundum Tauri in territorio Veientano, pręstantem solidos xlij. Fundum Sentianum in territorio Tyburtino, præstantē solidos xxx. Fundum Ceianum in territorio Pręnestino, pręstantem solidos l. Fundum Termulas in territorio Pręnestino, pręstantem solidos xxxv. Possessionem Cylonis in territorio Pręnestino, pręstantē solidos lviij. Obtulit & omnia necessaria titulo Equitij.

Hic Syluester fecit ordinationes sex per mensem Decembrē, presbyteros xlij. Diacones xxvj. Episcopos per diuersa loca numero lxv. Hic sepultus est in cœmiterio Priscillę uia Salaria, apud urbē Romam miliario tertio, pridie Kalendas Ianuarij. Qui catholicus & confessor quieuit. Et cessauit Episcopatus dies quindecim.

.A. EPISCOPVS VERONENSIS,

AD LECTOREM.

IN hac uita beati Syluestri habes Constantinum Imperatorem a sancto Syluestro fuisse baptizatum, & soli Damaso sanctisimo Pōtifici & ueraci potius credendum est, quam fallaci turbę omnium hęreticorum. Sed & quod ait D. Ambrosius in libro de obitu Theodosij quod Constantino in ultimis constituto baptismatis gratia omnia peccata remisit, huic ueritati non obstat, nam per hoc non negat quin Syluester eū baptizauerit, & illud, in ultimis constituto, largo modo accipitur, uidelicet ac si diceretur cum ante diu regnasset, & in fidelis multas strages martyrum edidisset, ad ultimum baptizatus est. Sed & nos ipsi in Chronicis uetustissimis. Farsensis Monasterij literis Longobardis scriptis legimus Constantinum magnum anno imperij sui xviij. â sancto Syluestro Papa baptizatū fuisse post tyrannorū interfectionem, scilicet Maxentij

Herculei

Herculei filij, Maximiani, atq; Licinij cognati sui. Id etiam aperte testatur D. Hieronymus in epistola ad Eustochium de uinculis Petri quæ incipit Sępissimo rogatu. Quanuis bonus Erasmus eam ex catalogo epistolarum D. Hieronymi expunxerit, & inter aliena computauerit, nempe quia eius sententię non fauebat. Sed quis constituit eum sacrorum scriptorum censorem? Concilium etiam septimũ generale quod contra imaginum oppugnatores Constantino & Irene imperantibus celebratum est, ex relatione Adriani Põtificis, historiam beati Syluestri, in qua manifeste habetur Constantinum Imperatorem ab eo baptizatum fuisse, benigne recepit, & gestis Synodi inseri fecit. Vide in actis cõsilij illius Gręce scriptis Actione secunda. Verum & Zonaras Græcę historię scriptor per uetustus, hoc idem attestatur inquiens; Enarrat deinde Syluestro somnium Imperator, nostrisq; mysterijs initiatur, ac baptizatur, & ex piscina totus sanus consurgit. Idem scribit & Theophanes septingentorum annorum Græcus historicus. Sed quia de Constantini baptismo agere impręsentiarũ instituti nostri non est, sanctorum nostrorũ uitas prosequamur, & hæc pauca obiter hac de re dixisse sufficiat.

VITA SANCTI MARCI PAPÆ per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

MArcus natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos, menses octo, dies uigintiunum. Fuit autem temporibus Constantini Augusti, & Nepotiani, ac Secundi consulum, ex die Kalendarũ Februarium, usque in diem Kalendarum Octobris.

Hic constituit, ut Episcopus Ostiensis, qui cõsecrat Episcopos urbis, tunc 1 pallio uteretur, & ab eodẽ Episcopus urbis Romæ cõsecraretur. Et constitutum de omni ecclesiastico ordine fecit.

1 Vide quam antiquũs sit pallij usus in Ecclesia.

Hic fecit duas basilicas, unam uia Ardentina ubi requiescit, & aliam in urbe Roma, iuxta palatinas.

Ex huius suggestione obtulit 2 Constantinus augustus basilicæ, quã constituit uia Ardentina, fundum Rosarum cum omni agro campestri, præstantem solidos quadraginta, In basilica in urbe obtulit hæc, Patenã argenteam pensantem libras triginta. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras uiginti. Scyphum argenteum unum, pensantem libras decem. Calices ministeriales argenteos tres, pensantes singuli libras duas. Coronam argenteam pensantem libras decem. Fundum Antonianum uia Clodia, præstantem solidos triginta. Fundum Baccanas uia Appia, prestantem solidos quadraginta, & tremisses duos. Fundum Morrea uia Ardentina, præstantem solidos xlv. & tremissem.

2 Si tam liberalis in ecclesias fuit magnus Cõstantinus, quis audeat illos reprehendere qui nostro tempore in Dei templa, pretiosa conferunt donaria?

Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros uigintiquinque, diacones sex, Episcopos per diuersa loca ui-

gintiseptem. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Balbinæ, uia Ardentina, quod ipse constituens fecit, pridie Nonas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies uiginti.

Habetur in pontificali eiusdem.

VITA SANCTI IVLII PAPÆ per Damasum Papam scripta.

IVlius natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annis xv. mẽses duos dies xviij. Fuit autẽ temporibus Constantij hæretici filij Constantini, à consulatu Feliciani & Maximini.

Hic post multas tribulationes, in exilio fuit mensibus decem. Et post huius Constantij mortem, cum gloria est reuersus ad sedem beati Petri Apostoli.

1 Fecit basilicas duas, unam iuxta forum, & aliam uia Flamminea, & 1 cœmiteria tria, unum uia Flamminea, aliud uia Aurelia, & aliud uia Portuensi.

1 Ecce quot cœmiteria cõstruebant sancti hi, & deo amabiles pontifices. Signum ergo est quod sacra cœmiteria Deo placent.

Hic constitutum fecit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia, & ut notitia quæ omnibus fidem facit per notarios colligeretur, & ut omnium monimentorũ in ecclesia confectio per primicerium notariorũ celebraretur, siue quod cautiones uel instrumenta, uel donationes, uel cõmutationes, uel traditiones, aut testamenta, uel colligationes, aut manumisiones clericorum in ecclesia per scrutinium sanctum celebrentur.

Hic fecit ordinationes tres in urbe Roma per mensem Decembrium, presbyteros octodecim, diacones tres, Episcopos per diuersa loca nouem. Qui etiam sepultus est uia Aurelia in cœmiterio Calepodij pridie Idus Aprilis. Et cessauit Episcopatus dies uigintiquinque.

Habetur in Pontificali eiusdem.

VITA SANCTI FELICIS PAPÆ SECVNDI, & Martyris, per Damasum Papam scripta.

FElix natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annum unũ, menses tres, dies tres.

1 Hic declarauit Constantium filium Constantini 1 hæreticũ, & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, iuxta Nicomediam in Aquilone uilla. Et pro hoc declaratu ab eodem Constantio Constantini augusti filio Martyrio coronatur, & capite truncatur.

1 Ecce quomodo Papa potest declarare Imperatorem hæreticũ, & illum excõmunicare.

Hic fecit basilicam uia Aurelia miliario ab urbe secundo, quũ presbyterij honore fungeretur. Et ad eandem basilicam emit agrum circa locum, quem obtulit ecclesiæ, quã fecit.

Hic fecit ordinationem unã in urbe Roma per mensem Decembrẽ, presdyteros. xxi. diacones. v. Episcopos per diuersa loca. xix. Qui etiam

passus est in ciuitate Corona cũ multis clericis & fidelibus, occulte, iuxta muros urbis ad lacus Traiani. iij. Idus Nouembris. Et exinde raptum est corpus eius à presbyteris, & clericis noctu, cum Damaso presbytero, & sepultum est in basilica supradicta, quam ipse uia Aurelia construxerat. xij. Kalendas Decembris miliario secundo. Et cessauit Episcopatus dies. xxxviij.

VITA BEATI QVADRATI ATHENIENSIS Episcopi Apostolorum discipuli, per Diuum Hieronymum presbyterum scripta.

Habetur in lib. eius de Viris Illustribus.

QVadratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum eius substituitur, & Ecclesiam grandi terrore dispersam fide, & industria sua congregat. Cumq; Hadrianus Athenis exegisset hyemẽ, inuisens Eleusinam, & omnibus penè Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem his, qui Christianos oderant, absq; præcepto Imperatoris uexare credentes, porrexit ei librum pro religione nostra compositum, ualde utilem, plenumq; rationis & fidei, & apostolica doctrina dignum, in quo & antiquitatem suę ætatis ostendens, ait plurimos à se uisos, qui sub domino uarijs in Iudæa oppresi calamitatibus, sanati fuerant, & qui à mortuis resurrexerant.

VITA EGESIPPI VIRI SANCTISSIMI per beatum Hieronymum presbyterum descripta.

Habetur in lib. eiusdem de Viris Illustribus.

EGesippus uicinus apostolicorum temporum, & omnes à passione domini usq; ad suam ætatẽ ecclesiasticorũ actuũ texens historias, multaq; ad utilitatẽ legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros cõposuit, sermone simplici, ut quorum uitam sectabatur, dicendi quoq; exprimeret characterem.

Asserit se uenisse sub Aniceto Romã, qui decimus post Petrũ episcopus fuit, & perseuerasse usque ad Eleutherium eiusdem urbis episcopũ, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Præterea aduersum idola disputans, ex quo primũ errore creuissent subtexit historiam, ex qua ostẽdit, qua floruerit ætate.

Ait enim, Tumulos mortuis templaq; fecerunt, sicut usq; hodie uidemus, è quibus est & Antinous seruus Hadriani Cæsaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatẽ quã ex eius nomine condidit, & statuit prophetas in templo. Antinoum autẽ in delitijs habuisse Cęsar Hadrianus scribitur.

Habetur in fine omnium operum suorum Lugduni impressorū.

PROLOGVS IN VITAM D. ATHANASII Alexandrini Episcopi, per Ioannem Aretinum ex Græcis & Latinis probatissimis authoribus descriptam.

BEATISSIMO EVGENIO PAPÆ Quarto Ioannes Aretinus.

NOn ab re futurum arbitror, Eugeni pater beatissime, si uiri admirabilis Athanasij Alexandrini Episcopi uitam ex Græcorū codicibus in nostrū sermonē conscribens, eamq; tuæ beatitudini dedicaturus, causas prius aperiam, & quid me potissimū ad hoc ipsum impulerit explicem. Nam cū nouerim, & non quidem ego solus, sed uniuersus pene orbis persecutiones innumeras, quas iniuste tua sanctitas hactenus est perpessa, non possum non uehementer admirari quosdam, qui instar amicorū Iob, iustum sanctumq; ac legitimū pontificē maledictis quandoq; lacessere non dubitant, quasi mente capere nequaq̃ posse uideantur Christianorꝝ principē, & Christi Vicarium huiusmodi posse tribulationibus concuti. Sed pro tanta eorum inscitia atque ignauia facile abijci & reijci possunt, si pontificū priorū gesta, & maxime precessorum tuorum inspicere uelint. Quorū nemo fore iustus cōpertus est, qui non innumeris admodum fuerit perturbationibus conquassatus.

Et ut ex multis unū in medium proferā, meminerint Gregorij processoris tui, cuius profecto memoria in benedictione est. Cuius equidem gesta, si diligenter inquirant, eisdē pene tribulationibus, & quod amplius est, eodē ipso ordine idē ille ad regna cœlorꝝ est perductus. Quid referā alios, quos orientalis ecclesia suę olim salutis authores appellat, Basilium, Gregorium Nazianzenū, Ioannē Chrysostomū, & cæteros, quos persecutionē procella per uarios casus, & multa rerū discrimina dispulit? Quorum (ut innumeros alios pretermittam) si gesta & illatas persecutiones, uel breui oratione pstringere uelim, latissimus mihi ac manifestissimus in maledicorꝝ confusionē cāpus pateret, sed ex omnibus his solùm Athanasium inspicere, atq; eius uitā ex Græcis codicibus in Latinū sermonē cōscribere libuit, ut discant uirum sanctissimū, & omnibus seculis miris laudibus celebratū talia passum, quibus si reliquorū cætera cōparentur, parua penitus, ac penitus nulla esse uideantur.

Nec minus tuæ beatitudo ex illius gestis uoluptatem assumat, conspiciat q;, ut quemadmodū nec illi consolationes suæ defuere, quin & multa pro Dei ecclesia se perfecisse gauderet, & pacem demum & Ecclesiæ suę Alexandrinæ, & toti Aegypto multo tempore conspiceret. Sic nec tibi beatissime pater consolationes tuæ diuinitus in tot angustijs datæ deficiant. Nam inueteratū Græcorꝝ schisma, atq; inueteratius Armeniorꝝ, ad firmissimā unionē, quod ex præcessoribus tuis multi summe optauerūt, tua sola beatitudo infinitis pene impensis, & summis laboribus reduxit, uidesq; ex Græcis in Cardinalium tuorꝝ consistorio uiros clarissimos tibi

astantes, & pro Romana ecclesia, (etiã si oportuerit) mori paratos. Nec dubiũ est, quin magnorum tuorum laborum, multarumq; anxietatũ fructũ capias maximũ, atq; etiam in hoc mundo conculcatis hostibus, pacẽ super Israel ante discessum tuũ, & longo quidẽ tẽpore cõspicias. Quæ omnia, quia pari modo tuę beatitudini, ut Athanasio nostro contingunt, qui Romanis Pontificibus præcessoribus tuis, & tuę sedi deuotissimus atq; obedientissimus fuit, ab illaq; semper defensus (ut in sequentibus apparebit) ipsius uitam clarissimã nulli congruentius iudicaui dedicandã, quàm tuę beatitudini. In cuius lectione, si parum acquiescere poteris, non dubito, quin & consolatio tibi, & amor ingens atque deuotio sanctissimo Athanasio augeatur.

INCIPIT VITA BEATISSIMI Athanasij Episcopi Alexandrini.

CVm post persecutionem Diocletiani & Maximiani Imperatorum crudelissimorum pax Christianis & quies data fuisset, & fœcunditas ecclesię fructus exhiberet amplissimos, atq; confessorum inclytis meritis gauderet, confusus dæmon, astu callido noua contra ecclesiam bella, atque prioribus persecutionibus priora excogitauit. Et cũ creatoris diuinus cultus quotidie per orbẽ terrarũ excresceret, nec aperto bello ut expertus fuerat, cõprimi potuisset, sed quãto maiores persecutiones inferebat, tanto maior ecclesiæ gloria, & Christianorum uictoria resultabat, noua machinatus, non iam aperte, sed ex his, qui nomine potius, quã re, Christiani dici poterant, aliquos occulte circũueniens, ad dissidium fidei, & ecclesię Dei, ac ueri cultus persecutionẽ adduxit, atq; magnã gentem in pistrinum redegit errorẽ, ut creaturã potius, quàm creatorẽ adorari contenderent, Christũ scilicet Iesum, quẽ creaturã omnino profiteri non uerebantur. Sed Christus ipse, qui Petri nauiculam submergi non patitur, dedit sapientiam sanctis suis, qui cũ in illius splendoris radios aciem omnino intendissent, uero lumine illustrati, pro euãgelica prædicatione, ac ueri cultus pietate, ad mortẽ usque decertarunt, atq; diaboli machinas destruentes, serpentis antiqui caput fortiter contriuerunt.

Inter quos præcipuus Apostolicæ gratiæ particeps magnus Athanasius fuit, Alexandrinæ celeberrimę ciuitatis antistes, qui ueluti margarita præfulgida, feruens spiritu, & cęlesti amore saucius, diutissime magistratuibs plurimis, atq; etiam regibus, hæreticorũ ducibus per totũ orbẽ pro tuenda rectę fidei puritate ardentissime obstitit. Et diuina uirtute fretus, aduersus impiorum turbã maximis periculis undiq; agitatus, uictoriam penitus reportauit. Cuius tanta & tam præclara contra hæreticos in beata ecclesia pro fidei integritate fuere certamina, ut etiam de ipso id dictum esse uideatur quod scriptũ est: Ego enim ostendi illi quanta eũ pro nomine meo oporteat pati. Nam in eius persecutiones non quadraginta uiri,

ſed uniuerſus penè conſpirauit orbis. Cõmoti ſunt principes terrę & gẽtes & regna, atq; exercitus contra illum conuenerunt. Sed ipſe diuinum eloquium opere implebat, quo dicitur: Si conſiſtant aduerſum me caſtra nõ timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Verũ tanta illius ac talia feruntur geſta, ut uel certamina exponere, uel uariam in diuinis eloquijs diſſerendis ſapientiam, quæ in libris ab eo relictis ſole clarius eluceret, enarrare nemo quantalibet facũdia præditus digne pro meritis poſſet. Nec nos id efficere pollicemur, ſed pro uirili noſtra eius quædã geſta, quæ apud Græcos conſcripta cõperimus, in Latinum fideliſsime conuertemus, addemusq; alia quædam quæ apud Latinos ac probatiſsimos authores legendo didicimus, atque in primis, quæ nã fuerit pueri indoles, & uitæ tam mirabilis indiciũ, paucis explicemus.

Cum poſt felicẽ conſummationẽ beatiſsimi martyris atq; Alexandrinę eccleſiæ præſulis Petri, & poſt eũ Achillę ſanctę memoriæ, Alexãder ipſius ciuitatis ordinatus eſſet Epiſcopus, apud Alexandriam Petri martyris 1 ſolennem diem agebat. Et cũ poſt expleta ſolennia conuenturos ad conuiuium ſuum clericos domi expectaret, in loco mari uicino cernit ex editiore parte domus, puẽros ludum ritu eccleſiaſtico inire, atque ea quæ in eccleſia geri conſuetũ fuerat peragere. Erat autẽ domus aſpiciens mare, in cuius littore ipſi ludebant pueri, inter quos puer Athanaſius ſimulatus erat Epiſcopus, & alij coęui partim presbyteri, partim diaconi deſignati, offerebant iſti Athanaſio catechumenos pueros baptizandos. Quos ille omni eccleſiaſtico ritu ſeruato, baptizabat. Stupefactus autẽ in his quæ fiebant Alexander, ac illico perturbatus, uocari ad ſe clericos iubet, atque eis quod eminus ipſe uiderat, oſtendebat. Tamen abire eos, & comprehenſos ad ſe perducere omnes pueros imperat. Cumq; adeſſent, quis eſſet ludus, & quid egiſſent, uel quomodo perſcrutatur. Illi (ut talis habet ætas) pauide negare primum cęperunt. Sed ut cognitos ſe nouerunt, rem omnino geſtam per ordinẽ pandunt. Cum Alexander diligenter inquireret ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerunt, ſimul & ab Athanaſio quid interrogauerat, ubi uidet ſecundum religionis noſtrę ritum cuncta conſtare, allocutis clericis, cũ conſilio clericorum ſtatuiſſe traditur, illis, quibus integris interrogationibus & reſponſionibus aqua fuerat infuſa, iterari 2 baptiſmũ non deberi, ſed 3 chriſmate eos inungens, ſignaculo Chriſti cõfirmauit. Et conuocatis Athanaſij parentibus, ac illorum quos uel presbyteros habere uiſus fuerat, uel miniſtros, ſub Dei obteſtatione tradidit eccleſiæ nutriendos. Atque cũ pauco peracto tẽpore grãmaticam ſufficienter Athanaſius atque integre perdidiciſſet, tanquã fidele domini cõmendatũ, a parentibus Epiſcopo Alexãdro reſtituitur. Qui ab eo uelut alter Samuel in tẽplo domini nutriendus accipitur, ut ſi in ſenectute bona ad patres a domino uocari contingeret, ad portandum poſt ſe ſacerdotale Ephod eligatur.

Interim cũ ſucceſſu tẽporum mirabiliter diuinis literis eruditus eua-

1 Solennem diem Petri martyris agebat.

2 Habes hic rite baptiꝫatum nõ debere iterum baptiꝫari.

3 *Habes & antiquum Eccleſiæ morẽ, quod baptiꝫati ſacro chriſmate inungebantur, & ſignaculo Chriſti confirmabantur.*

deret,& acrimonia ingenij,atque integritate uitæ ceteris præstaret, instituente Alexandro archidiaconus Alexandriæ ordinatur ecclesiæ. Cuius ingenium, fides ac pietas in ecclesiasticis negocijs, quanta fuerint apud Nicęam in œchumenico seu uniuersali concilio ob causam religionis cõgregato, ad quod cũ Episcopo suo conuenerat, omnibus palam fieri cœpit. Verũ quoniã omnes Athanasij persecutiones & gesta,ob Arrij hęresim principaliter describuntur,quæ prę ceteris hęresibus ante illam excogitatis miserabilius & crudelius in Christi cultores grassata fuit; uisum est antequã ad reliqua Athanasij gesta procedamus, huiusmodi hæreses usque ad synodum Nicenam,& progressum,atque synodum ipsam præclarissimam quàm breuissime dabitur explicare.

Igitur per id tẽpus apud Alexandriam presbyter quidam Arrius nomine erat uir specie & forma magis quàm uirtute religiosus, & 4 gloriæ, laudisq; ac nouitatis improbe cupidus. Qui ab Achilla prædecessore Alexãdri diaconus ordinatus, & ut Theodoricus author est, nouitatibus captus,ab ecclesia primũ pulsus est. Demum fidelium rogatu,denuo ad ministerium susceptus fuerat. Is cũ Alexãdrum uirum Clarissimũ pontificatus gubernacula suscepisse liuido oculo cerneret, nam eo tẽpore in ordine quidẽ presbyterorum Arrius erat,& diuinarũ scripturarũ expositionem uidebatur habere cõmissam,rẽ hanc ferre non potuit,sed in rabiem quandam impatientię deiectus,litis quærebat initium. Porrò laudabilem uidens Alexandri conuersationẽ, nequaquàm in eum calumnias contexere præualebat. Nec tamẽ illum quiescere infelix permittebat inuidia. Quã obrem diabolica suggestione deuictus,praua quædã de Christi fide proferre,atque in ecclesia tẽpestatem exagitare adortus est,& aperte Alexãdri doctrinæ derogare atque resistere non formidauit. Et ob hoc ea proferre cępit,quæ antea nunquã in quæstionẽ uenerant. Nam cũ Alexãder ea quæ indubitata uidebantur populo exponeret, & filium scilicet cum Deo genitore æqui honoris,atque eiusdẽ substantiæ esse doceret; Arrius contra,& ueritati obsistens, creaturã filium facturamq; dicere audebat. Et ab illa æterna ineffabiliq; substantia Dei patris uel natura,filium separare conabatur,quæ res plurimos in ecclesia perturbabat.

4 Vides hæretice quæ sint causæ aberrandi à fide?

Sed cũ Alexander Episcopus natura lenis & quietus, assiduis admonitionibus Arrium cuperet a prauo incepto, & assertionibus impijs reuocare,nec tamen res ex sententia procederet,& plerosq; iam malum pesti ferę contagionis inficeret,non solum apud Alexandriam,uerumetiam per alias urbes,prouinciasq; dispersæ,pernitiosum fore iam credidit amplius dissimulare a talibus. Ob quod (ut ex ipsius Alexãdri Epistolis habetur) centum ferè Episcopos ex Ægypti & Libyę partibus congregare curauit,quibus causam Arrij sigillatim exponens, maturoq; super his consilio adhibito, Episcoporum omnium consensu illum sacerdotali ordine priuauit. Quibus non assentiens Arrius, sed in peruersitate superbe perseuerans,iubente Episcopo Alexandro Alexandria urbe depellitur. Quod

quidem impatientiſsime ferens, excogitare cœpit modum quo Alexandrum a ſede ſua amoueret,& ſe Epiſcopum erigeret.Ob quam rem perficiendam,cũ complicibus ſuis propria celebrabat concilia,& modũ quo hæc executioni demandare poſſet,conquirere non ceſſabat. Quod præuidens Alexãder ne ex ſacerdotibus quiſquã eiuſdem fallacijs caperetur, omnibus catholicæ eccleſiæ Epiſcopis, ipſius impietatem enarrans, ſuis epiſtolis (quæ uſque in hæc tempora apud Græcos comperiuntur) indicauit.In quibus eos primũ ad ſeruandum rectam eccleſiæ catholicę fidẽ, & uinculum unionis & pacis hortatur,deinde quemadmodum in dioceſi ſua ſurrexerunt uiri iniqui & antichriſti præcurſores,quibus etiam Euſebium Nicomediæ Epiſcopum adhærere, & aperte patrocinari cõmemorat. Quamobrem ab eo cauendum admonet, & literas illius quibus Arrium & complices apud quoſcunq; laudare ſolebat,minime ſuſcipiendas eſſe,totis affectibus hortatur. Poſt hæc Epiſcopos aliquos a recta fide deuiantes,atq; Arrio adhærentes,nominatim cõnumerat,exponitq; deinde eorum perfidiam in hæc uerba.

Ea uero quæ profitentur huiuſcemodi ſunt : Non ſemper inquiunt, Deus pater fuit,non ſemper fuit Dei uerbũ,ſed fuit quando Deus pater non fuit. Dei autem uerbum ex non exiſtentibus factum fuit. Exiſtens enim Deus non exiſtentẽ ex non exiſtente fecit. Quapropter aliquãdo fuit quando non fuit. Creatura eſt enim & factura filius.Neq; ſimilis eſt patri ſecundum ſubſtantiam,neq; uera ſapientia eius eſt,neq; uerũ naturaliter patris uerbũ eſt,ſed uerbum abuſiue ac ſapientia dictum. Vnde & conuertibilis eſt,ac per naturam ut rationalia quæq; animalia mutabilis, peregrinumq́; & extraneum,& remotũ a paterna ſubſtantia eſt uerbũ, atq; inuiſibilis eſt filio pater. Neque patrẽ perfecte filius nouit,aut perfecte uidere poteſt,nec ſuam quidẽ ſubſtantiam nouit filius ſicuti eſt.Qui propter nos factus eſt,ut per eum ueluti per inſtrumentũ,nos ipſos deus formaret. Et hæc ſunt ferè blaſphemiæ Arrij & ſequacium quas in ipſa eadem epiſtola pluribus authoritatibus & argumentis Alexander ipſe deteſtatur. Vbi etiam enarrat, illos ſe pluries conuiciſſe, atque rurſus ut chamęleontes in nouam ſpeciem cõmutari. Vltimo deprecatur,ne eos ſi forte ad illos aduentare tentauerint, ſuſcipere omnino uelint, ſed ut ipſi Chriſtiani,illos Chriſtum Saluatorẽ noſtrum blaſphemantes,omni indignatione deteſtentur penitus & abhorreant.

Per idem tempus alius Alexãder,uir multa ſanctitate præditus, apud Conſtantinopolim Epiſcopatum gerebat.Cui Alexandrinus Alexãder ſimilem penè epiſtolam ſuperiori direxit,ĩ qua copioſe & ſubtiliter pluribus rationibus, & inconuincibilibus diuinæ ſcripturæ authoritatibus, omnem Arrij perfidiam deſtruxit, atque ueram fidem maniſeſtiſsime declarauit;hortaturq́; eum ad concordiam & defenſionem ueræ fidei,& quod bellum & certamen pro Chriſti nominis defenſione contra aduerſarios & blaſphemos inire non formidet.Similiter & aliam huic conſonã

direxit epiſtolam, Philogonio Antiochenæ ſedis antiſtiti, & aliam Euſtachio qui apud Bergam Epiſcopalem cathedram gubernabat, alijsq́; cõpluribus, quos integros, & apoſtolicorum dogmatũ defenſores dinouerat. Verum Arrius neque ipſe quieſcebat, nec minus ſtudebat ad complices ſuos literas ſcribere, & ad Euſebium maxime, cuius fauore & authoritate ſe plurimum prȩualere ſperabat. Cuius unam ferè totam deſcribemus Epiſtolam, quam & Græci plures in ſuis commentarijs deſcripſerunt, ut ipſiuſmet uerbis omnibus eius perfidia innoteſcat.

Domino deſideratiſsimo uiro Dei fideliq́; & orthodoxo Euſebio, Arrius qui ob ueritatem, quam tu quoque defendis, perſecutionem a Papa Alexandro iniuſte perfert ſalutem in domino. Cum pater meus Armonius Nicomediam aduentaret, dignum quoque putaui ad te literas in pignus noſtri amoris dare, quẽ ſingulis diebus erga fratres intuitu Dei, & rebus ipſis te exhibere cognouimus. At nos Epiſcopus noſter uehementer, opprimit & inſequit̃, & ueluti Deo rebelles ciuitate priuauit, & animum etiam cuiuſq; alias benigniſſimi contra nos quotidie excogitando literis ſuis exaſperat, propterea quia ei conſentire nolumus publice prædicanti, ſemper deus pater, ſemper filius, ſimul pater, ſimul & filius, ingenito Deo ſemper genitus filius coexiſtit, atque ab ingenitọ genitus, & quod neque cogitatione, neque atomo deus filium ex deo procreat. Et quoniam frater tuus Cæſarienſis Euſebius, atque Theodoricus Laodiceæ, & Paulinus Tyri, Gregorius Beryti, & Crius Lydię Epiſcopi, atque per orientem alij ferè omnes, ſine principio Deum filio præ exiſtere affirmant, ab eo anathemati traditi ſunt, ſolis Philogonio Antiochiæ, & Helladio Tripoleos, atque Machario Hieroſolymorũ Epiſcopis eis conſentientibus, hominibus ineruditis atque hæreticis. Quorum alij quidẽ filium eructationem aſſerunt, alij prȩpoſitionem, alij congenitum. Quas ſanè impietates, & ſi imminere ab hæreticis mortes cõminentur, audire non ualemus. Sed quoniam dicimus, ſapimus, & docemus, filium nõ eſſe ingenitum, nec ingeniti partem, aut ex ſubiecto aliquo, ſed unigenitum conuertibiliter, ipſumq́; anteq̃ generaretur, aut crearetur, aut prædeſtinaretur, aut fundaretur non fuiſſe, perſecutiones patimur. Similiter autem, & cum aſſeramus: Quoniam principium habet filius, Deus autem ſine principio eſt, atq; filius ex non extantibus eſt, quod intelligere uolumus ſecundũ quod Dei pars, & non ex aliquo exiſtit ſubiecto, perſequutionibus quatimur. De cętero tu noſti, & te noſtrarũ tribulationum memorem in domino ualere peropto.

Quam epiſtolam cum Euſebius ſuſcepiſſet, aliam ad Paulinum Epiſcopum Tyri ipſe conſcribens, ſuæ impietatis uenenum euomuit. Idem cum Arrio aſſerens, filium factum quidem a patre, nec eiuſdem ſubſtantiæ eſſe poſſe, atque ſimilia diuerſis Epiſcopis Orientis ſcribens hortabatur, ne Alexandri Epiſtolis conſentirent. Alexandro uero frequẽter ſcribebat, ut Arrium, & complices ſuſcipere uellet, quod ille abhorrens peni

tus deteſtabatur. Verum cum ob moram, quam apud Nicomediam imperator ducere conſueuerat, Euſebius ei familiaris effectus, & inter omnes ferè Orientales Epiſcopos potentiſſimus haberetur, à pluribus timebatur ac uerebatur Epiſcopis, quibus quotidie ſcribens, ſubſcriptionem impietatis Arrÿ ab ipſis faciliter impetrabat. Sicq; ipſe & eius complices epiſcopi, duces ac præceptores Arrianæ impietatis eſſe cęperunt, & ex aduerſo rectæ fidei, quam Alexander uiriliter defenſabat, qui cõſentientes erant, ſe ſubſcribere omnino curabant. Vnde omnis iam penè Orientalis 5 eccleſia turbabatur. Et non ſolum eccleſiarum principes inuicem concertabant, ſic dira per incautum ſerpebant contagia uulgus, atque in tantum hæc ſubcreuerat contentio, ut in uicis & theatris Chriſtianitati, & diuino nomini publice derogaretur. Nec tamen deſiſtebat Euſebius Alexandrum ipſum ad cõmunionem Arrÿ exorare. Sed ſentiens tandẽ Alexandrum inclinari non poſſe, ira atque indignatione percitus, in fauorem Arriani dogmatis palam & penitus ſe conuertit. Et concilium in Bithynia congregari procurans, ſcribit epiſcopis uniuerſis, ut complicibus Arrÿ, tanq̃ orthodoxis cõmunicare uelint. Atque illos exhortatur, ut Alexandrum ad ipſam eandem Arrÿ cõmunionem ſtrictiſsime conuocent. Quo cum fruſtrati fuiſſent, nequaquam Alexandro id conſentire uolente, ad alias machinationes ſe & complices contulerunt. Nam Euſebius ipſe odio in Alexandrum uehementiſſime ferebatur, quod grã uiter eum in epiſtola ad epiſcopos nominauerat. Sicq; creſcente in dies peſte, latius crebreſcebat diſſenſionis ſermo, uſque quo ad aures religioſi principis Conſtantini, pleniſsime innoteſceret. Quo ille perculſus pariter & afflictus, uehemẽter indoluit. Quippe qui omni ſtudio & diligentia inſtabat Chriſtianam religionem excreſcere, & illam diſſenſionibus longe minui præuidebat. Ob quod culpans Arrium pariter & Alexandrum, cõmunem ambobus ſcribit epiſtolam, eis impingens, quod quæſtionem quam abſcondere debuerant, in populos palàm protulerint, quã nec quærẽdam ab initio, nec excogitandam enarrat, & excogitatam potius taciturnitate tegendam. Quæ epiſtola in libris Euſebij Pamphili, quos de uita Conſtantini ſcripſit, inſeritur, cuius partem in Latino ſtylo uertẽdo, ut tanti principis pietas cognoſcatur, in hoc libro interſeremus.

5 *Quæro ò Hæretice iſta Orientalis Eccleſia omnis quæ turbabatur, uiſibilis an inuiſibilis erat? Si dicis inuiſibilem, quomodo ſciebatur quod turbaretur? Si uiſibilem, quare dicis Eccleſiã dei eſſe inuiſibilem?*

Victor Conſtantinus Pius Maximus Alexandro & Arrio, & infra ſubdit: Didicimus præſentis quæſtionis initium tunc ſumpſiſſe, cum tu à presbyteris Alexander uana magis queſtione quam neceſſitate cõmotus inquirebas, quiſnam intellectus eſſet loci cuiuſdam in lege deſcripti. Ad quod tu Arri pertinacius magis ea quæ neque excogitare, neque excogitata in medium proferre oportebat, improuide obieciſti. Ob quod inter uos exorta diſcordia id effecit, ut diuina contemnantur myſteria, & populus diuiſus cõmunis corporis congruenti communione ſeparetur. Verbis igitur noſtris aſſenſum præbete, at que his obedite, quę conſeruus ueſter iuſte admonet. Has rogo deponite contentiones, & earum ſcilicet

rerum, quas nec requirere, nec de his quærentibus respondere condignũ est. Nam inutiles illæ quæstiones habentur, quę nulla legis necessitate, sed inani quadam contentione a sacerdotibus inducuntur. Quę & si causa exercitij cuiuspiam naturalis proueniãt, intra sensus intimos illas cohibere, & non prompte in conuenticula deportare debemus: Nam quis huiuscemodi quæso imperscrutabilia digne cognoscere poterit? Quod si fieri posset, quæ nam esset illa populorum particula cui id persuadere recte possetis, aut quis huiuscemodi subtilitatem absque lapsus sui periculo contrectabit? Fugienda ergo in talibus multiloquia, ut quod nostræ naturæ infirmitas explicare nequit, discentium mentes tardiore forsitan intellectu percipere non ualentes, in blasphemias, aut schismata prolabantur. Quamobrem & incautę interrogationes, & responsiones improuidæ, æquam alterutris ueniam tribuant, nec pro prauis uanisq; contentionibus & causis, tantum Dei populum dissidere decet, quẽ uestris orationibus & prudentia conuenit gubernari. Et ut paruo quodam exẽplo uestram conueniam sapientiam: Nostis philosophos, qui uni se sectę addixerunt, & in unum dogma consentiunt, si in quadam sententiæ parte discordent, licet in eo disciplinę ipsius uirtute separentur, adinuicem tamen dogmatis, & sectę unitate conspirant. Cum hæc ita sint, quanto iustius uos magni Dei ministros in uoluntate religionis decet esse concordes? Nec dignum est uanis sermonum certaminibus, fratres fratribus insultare. Et infra subdit: Reuertimini ergo uiri prudentissimi ad mutuam inter uos amicitiam, & amorem, reddite Christiano populo uestros optatos amplexus, & uestras animas expiantes, inuicem uosipsos rursus agnoscite. Suauiores enim sunt crebro amicitię post inimicitiarum causas deletas ad concordiam restitutæ. Reddite ergo & mihi tranquillos dies & securas noctes. Iam enim tempus est, o magni Dei sacerdotes, tantos populos conseruos meos uestris altercationibus iniuste diuisos, ad Christi unitatem congregare. Nam ad Orientem ego properare festinans, cum Nicomediam aduentassem, fama tantę rei perterritus, penitus detentus sum. Nec patitur animus ad ea loca procedere, ubi illa uidere cõpellerer, quę nec fore auditui possibilia iudicaueram. Quapropter uestra concordia, mihi Orientis uiam aperite, quam discordia & contentione claudere potuistis.

Hæc igitur & plura quæ in eadem Epistola continentur Alexandro & Arrio pijssimus scripserat Imperator, nunc illos arguendo, nunc pro uirili admonere procurans. Sed hanc pestem priusq̃ in alios diffunderetur, se posse preoccupare, pius princeps considerans uirũ quendam, quẽ iuxta se fide & charitate insignem habebat, & prioribus temporibus pro Christiana religione confessionibus comprobatũ, nomine Osium Cordubæ ciuitatis Hispaniæ Episcopum ad Ægyptũ direxit, qui sua authoritate & sapientia, tumultuantes populos conquiescere faceret. Verum cum eius authoritas apud hæreticos præualere non posset, sed quotidie

magis ea pestis iuualesceret, præter spem principis re infecta reuersus est. Cumq; pijssimus Imperator uideret grande periculum Christianæ religioni imminere, & totis uisceribus cuperet tantis malis obsistere, consilio grauium uirorum suscepto, Concilium apud Nicenam urbem congregari 6 iubet, & ex omni penè orbe episcopos conuocans, magna diligentia, & regia largitate sumptus omnes opportunos, quã magnificentissime exhiberi iubet. Et ut Eusebius Pamphilus libro tertio uitæ Constantini describit, uehicula publica per diuersa loca conduci statuit, mulosq; & equos, camelos & asellos, prout loci opportunitas cõmodius exhibebat, nauesq; in portubus prçparari mandat, cibaria pro eorum uoluntate, non episcopis solum presbyteris aut diaconis, clericis & eorum seruis, sed alijs etiã quibusq;, & cuiusq; generis hominibus, ad huiusmodi congregationem uolentibus aduentare largissime prçcepit exhiberi. Veniunt ergo ex omni penè Europa, Libya & Asia, sacratissimi patres, qui ueluti beatorum chorus, uirtutibus miris in illis relucentibus uidebantur. Sicq; decimo octauo Imperij Constantini anno, pontificatus uero Syluestri decimo quarto, ut uerissime computauit Eusebius, in Nicena urbe congregati sunt. Et ut ipse Pamphilus eodem libro tertio de uita Constantini enarrat, libebat tunc aspicere Syros simul & Cylicos sacros antistites, Phœnicesq; & Arabes atque Palçstinos, Ægyptios etiam & Thebços, ac Libycos, simul & qui ex Mesopotamia oriuntur, atque etiam ex Perside uenit Episcopus. Nec à Scythia defuerunt. Pontus similiter & Asia, Phrygia & Pamphylia, uiros probatissimos præbuerunt. Aderant & Thraces, Macedonesq;, & Achiui, & hi qui Epyrum inhabitant, ut sermo ille completus iam uiderentur, quem in Actibus Apostolorũ Lucas enarrat: Quod conuenerant Hierosolymis ex omnibus gentibus quç sub cœlo sunt, uiri religiosi, inter quos erant Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitabant Mesopotamiam, Iudçam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & patres Libyæ circa Cyrenem & aduenæ Romani, Iudçi quoque & proselyti, Cretes & Arabes. Veruntamen & Eusebius subdit. Non magni Dei sacerdotes & ministri illi, ut nostri conuenerant, & sequitur: Erat siquidem in præsenti choro Episcoporum multitudo numerum trecentorũ exuperans, quos ex presbyteris diaconis & acolytis innumerabiles penè consecuti fuerant quibus omnibus imperator singulis diebus cibaria largissime pro eorũ uoluntate exhiberi parauerat.

6 Quod hic legis Imperatorem Constantinũ iussisse conuocari Nicenum Concilium intellige de consensu et authoritate beatissimi Papæ Syluestri, ut in eius uita superius uidisti. Nam hæc potestas cõuocandi generalia Concilia ad Romanum pontificẽ pertinet.

Conuenerunt ergo ex parte Syluestri Romani pontificis, ut in epistola ad Marcũ Papam Athanasius memorat, Victor & Vincentius presbyteri ipsius Apostolicæ sedis legati. Conuenerunt etiam ex principalibus alijs sedibus Episcopi, Alexander primum Alexandrinç ecclesiç antistes, cui maxima pars synodalis curiç imminere uidebatur, qui & duxit secum Athanasium archidiaconum suum (cuius diligentia & sapientia, plurimi hæreticorum doli atque fallaciæ detegebantur) adolescentem

annis,

annis, sed scientia & sapientia canum. Ex Antiochia uero uenit Eustachius, uir magnus & admirabilis, qui post mortem Philogonij, de quo supra meminimus, ad eius ecclesiæ regimen inuitus & renitens, omnium prouincialium Episcoporum decreto, adstrictus fuerat. Ab Hierosolymis etiam adfuit Macharius eius ciuitatis Episcopus, multarum uirtutũ fama plurimum decoratus. At ex Constantinopolitana urbe, quæ Virsaucium tunc dicebatur, Alexander uir sanctitate mirabilis, senio grauatus, interesse non potuit. Et præter hos alij conuenerunt Episcopi, quorũ quidam diuinarũ scripturarũ scientia præfulgebant, quidam sanctitate præstabant, quidam uero in utrisq; his mirabiliter probabantur. Nã aderat & Osius Cordubensis, qui & unà pluribus qui secum erant præsidebat episcopis. Habebatur etiam inter eruditissimos Eusebius Pamphili Cæsariensis Episcopus, qui ecclesiasticam historiam usque ad Constantini tempora mira uarietate & rerum peritia descripsit. Composuit etiã librum de temporibus, necessarium quidem, & infinita penè cura digestum. Quorum illum quidẽ Rufinus, hunc uero Hieronymus in Latinũ stylum traduxit. Scripsit etiam libros quatuor de uita Constantini, quorum tertium ex omni penè Græcia uix comperire ualui. Insuper & innumera penè uolumina de nostra religione, ut idem attestatur Hieronymus conscripsit. Aduenerat similiter & Iacobus Antiochiæ Mygdoniæ Episcopus, qui mortuos fertur suscitasse, & uiuos diuersis curasse languoribus, atque alia innumerabilia, ut refert Theodoricus Græcus scriptor, per eum deus operatus est miracula. Adfuit & Nicolaus Myrrheæ urbis Cilicię Episcopus, uir admirabilis & omnibus uirtutibus conspicuus, cuius uita inclyta apud Græcos & Latinos notissima est. Similiter & Paphuncius Ægyptius episcopus, in superiori Thebaida adfuit confessor, ex illis quos Maximianus dexteris oculis effossis, & sinistro poplite succiso ad metalla damnauerat. In quo tanta uirtutũ inerat gratia, ut Rufinus in his libris quos ad Eusebij historiam addidit, signa per eum non minus quam dudũ per Apostolos fuisse facta confirmet. Nam & dæmones uerbo tantum fugabat, ægros sola oratione curabat, cęcis uisum dicitur reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporis reuocasse. Quem Constantinus in tanta ueneratione & affectu habuisse scribitur, ut sæpius eũ intra Palatium euocatum complecteretur, & illum oculũ qui in confessione fidei fuerat euulsus, auidioribus osculis demulceret. Aduenerat & ex cõfessoribus alius Paulus Neocesariæ, quę iuxta ripas Eufratis sita est, episcopus. Is (ut Theodoricus refert) lixarum rabie compressus, ignito ferro ligatas manus comburi sibi ac desecari ob Christi religionem constantissimo animo passus est.

Forte Bizantium.

Aderant & episcopi quidam alij, simplicitate quadam admirabili ac sanctissima decorati. Inter quos & Spiridon Cyprius enarretur, qui cũ pastor ouium fuisset, etiam in episcopatu positus permansit. Et tũc quadam nocte cum ad caulas fures uenissent, & laqueos ut aditũ educendis

ouibus facerent, extendissent, inuisibilibus quibusdam uinculis restricti, usque ad lucem, uelut traditi tortoribus permanserunt. At senior cũ oues ducturus ad pascua matutinus se ageret, uidet iuuenes absque humanis uinculis caulis pendere districtos, & noxæ causa comperta sermone absoluit, quos mente uinxerat. Et ne eis inanis nocturna cedent occupatio: Tollite, inquit, o iuuenes unum uobis arietem ne sine causa uenisse uideamini, q̃ melius prece q̃ furto quæsisse conuenerat. Aliud & de eo fertur mirabile: Nam hic filiam habebat Hirenem, quæ cũ eis bene ministrasset, defuncta est. Post cuius obitum quidam aduenit, dicens ei se quoddã depositum cõmendasse. Rem gestam ignorauerat pater, perquisitum in tota domo nusquam quod poscebatur inuentum est. Persistebat ille qui cõmodauerat, fletuq; ac lachrymis poscebat, & uitæ suæ se illaturum exitium, nisi cõmodata reciperet, testabatur. Permotus lachrymis senex ad sepulchrum filiæ cũ illo properat, atque eam nomine clamitat. Quæ de sepulchro respõdens, locum ubi depositum fossum fuerat illo petente edocuit. Et ut dixit, compertum fuit. Alia eius gesta & mirabilia feruntur, sed hæc enarrasse sufficiat.

Verum fama tantæ congregationis & opinione cõmoti plurimi philosophi, opinatißimi & nobiles dialectici ex diuersis urbibus confluxerunt, optãtes cum his sacratißimis uiris disputationes de religione & diuino cultu inire. Inter quos (ut etiam Rufinus in dictis libris cõmemorat) insignis quidam philosophus, per singulos dies conflictum summi certaminis minis cum nostris agebat episcopis, uiris quidem ad ea quæ moueret, non mediocriter eruditis. Et conuenientibus ad audiendum doctis & literatis uiris, ingens fiebat spectaculum, nec ullo disputãndi genere philosophus à quo q̃ concludi poterat, aut constringi, sed ubi maxime putabatur astrictus, cauta dicendi arte obiectis quęstionibus occurrens, uelut anguis lubricus laberetur. Sed ut ostenderet Deus quia non in sermone regnum Dei, sed in uirtute consistit, astitit ex confessoribus quidam simplicißimæ naturæ uir, nihil aliud sciens, nisi Christum & hunc crucifixum. Qui cum inter cęteros auditores episcopos adesset, & uidisset philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, uelle se paucis cum philosopho sermocinari. Tum nostri qui simplicitatem uiri, & imperitiam in sermone duntaxat nouerant, pauere & uelut pudorem quendam pati cœperunt, ne fortè apud callidos homines risui fieret, ne ue sancta simplicitas uicta persisteret. Tamen senior & huic mouit sermonis exordium: In nomine inquit, Iesu Christi, philosophe, audi quę uera sunt: Deus unus est qui cęlum fecit & terram, quiq; homini quem de terrę limo formauerat, spiritum dedit, uniuersa quę uidentur, & quę non uidentur, uirtute uerbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc illud uerbum & sapientia est, quem nos filium dicimus, qui humanos miseratus errores, & per paßionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resurrectione

ſua æternam nobis contulit uitam, quem & expectamus iudicem omnium quæ gerimus eſſe uenturum. Credis hæc ita eſſe philoſophæ? At ille uelut ſi nunquam ullum contradicendi ſermonem didiciſſet, ita ſtupefactus, uirtute dictorum mutus ad omnia, hoc ſolum reſpondere potuit; Ita ſibi uideri, nec aliud uerum eſſe quàm dixerat. Tum ſenior, ſi hæc (inquit) ita eſſe credidiſti, ſurge & ſequere me, ac dominicum, & huius fidei ſignaculum ſuſcipe. Et philoſophus ad diſcipulos ſuos, uel ad eos, qui audiendi gratia cõuenerant: Audite, inquit, O eruditi uiri; Donec uerbis mecum res geſta eſt, uerba uerbis oppoſui, & quę dicebantur, dicendi arte ſubuerti; Vbi uero pro uerbis, uirtus proceſsit ex ore dicentis, nõ potuerunt uerba reſiſtere uirtuti, nec homo aduerſari potuit Deo. Et ideo ſi quis ueſtrum potuit in his quę dicta ſunt, ſentire quę ſenſi, credat Chriſtum, & ſequatur hunc ſenem, in quo loquutus eſt deus. Et per hunc modum philoſophus Chriſtianus effectus, congratulatus eſt ſe fuiſſe conuictum.

Interea cum epiſcoporum conuentus per dies ſingulos agituri deberet, admirabile quoddã pijſſimi principis factum à diuerſis ſcriptoribus enarratur. Etenim cum epiſcopi conueniſſent, atque diuerſis ex cauſis (ut fieri ſolet, inter ſe iurgia quędam detuliſſent, interpellabatur frequenter Imperator, atque magis proferebantur culpę, & offerebantur libelli, q̃ ad id pro quo uentum fuerat, animos darent. At ille perpendens, quod per huiuſmodi iurgia ſummi negocij cauſa fruſtraretur, diem certã ſtatuit, qua unus quiſq; epiſcoporum, ſi quid querimonię habere uideretur deferret. Et cum reſediſſet, ſuſcipit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quid contineretur aſpiciens, ſic ad epiſcopos locutus eſt: Cum uos deus ſacerdotes conſtituerit, 7 poteſtatem tradidit iudicandi de nobis, & ideo nos à uobis recte iudicamur. Vos autẽ cum nobis à Deo Dij dati ſitis, ab hominibus iudicari non poteſtis. Ob quod ſolius magni dei inter uos ſpectare iudicium, & iurgia ueſtra quęcunque ſint, ad illud diuinum referuentur examen. Nam conueniens nõ eſt, ut homo diiudicet Deos, ſed ille ſolus de quo dictum eſt; Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Et ideo his omiſſis, illa quæ ad fidem dei pertinent, abſque ulla animorum contentione diſtinguite. Et cum hæc dixiſſet, ne ulli hominum ſacerdotum ſimulatio innoteſceret, omnes ſimul libellos querimoniarum iuſſit exuri. Quę omnia cum ſacerdotes intellexiſſent, ad ſeipſos conuerſi, abijcientes reliqua, rem fidei tractare cœperunt.

7 *Vides hic Epiſcopos Imperatoribus eſſe ſuperiores, & iudices eorum datos à deo, Licet hodie tam deſpicati conſpiciantur?*

Verum intrans aliquãdo ſynodum Imperator, tantæ pietatis erat (ut refert Euſebius Pamphili) quod ſacerdotibus Dei non poſſe ſufficere credebat, ſi ſe ęqualem pręberet, niſi eos & longe pręferret, & ad imaginẽ quandam ueneraretur diuinę pręſentię. Quamobrem ſibi in Concilio ſedem collocari iuſſit, ut ſcribit Theodoricus, ſedibus omnium aliorꝫ epiſcoporꝫ depręſſiorem, nec ſine eorꝫ iuſſu conuenire, aut ſedere audebat.

Et interim cum iam per ſingulos dies agitaretur conuentus, nec aliquid facile aut temere de re tanta ſtatuere auderent epiſcopi, euocabatur frequenter Arrius in Concilium, & aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebantur, & quid aduerſum hęc teneri & ſtatui deberet, ſumma cum deliberatione quærebatur. Et cum per dies multos quęſtio uerteretur, nonnulli (quanquam pauci) & uiri quæſtionibus callidi, & ob id ſimplicitati fidei aduerſi, diuerſa ab alijs ſentire, & magna calliditate captis Arrij fauere uidebantur, ipſiusq; blaſphemiam non aperte defendere, ſed uerbis pugnantibus contegere conabantur. Quorum aſtutias & peruerſitates, Athanaſius Archidiaconus præcipuus inter cęteros, detegebat, diſputabatq; acriter contra eos, nec in aliquo eorum calliditatem pręualere ſinebat, intantum, quod eius & aliorum, uerbo Dei potentium, diſputationes pręualebāt, ut fortiſſimis ſcripturis ueritas ipſa palàm omnibus, ne dum pontificibus, & alijs Chriſtianis, ſed etiam gentilibus (ut à quibuſdam refertur) certa appareret. Nam (ut aliqui ferunt) & nos ipſi eam diſputationem legimus, iubente Imperatore. Probus Romanus patritius & uir illuſtris ac philoſophus, iudex à Conſtantino inter Athanaſium & Arrium conſtitutus, aliquando fuit. Qui ambobus longa diſputatione concertantibus intellectis, ueritatem in Athanaſio, & illam conformem conſequentemq; ſcripturis, quas ambo inducebant, eſſe definiuit. Et ob id tandem in Catholica fide Chriſtianus euaſit. Poſt diuturnum igitur multumq; tractatum, placet omnibus, ac uelut uno cunctorum ore & corde decernitur, homouſion ſcribi debere, id eſt, conſubſtantialem patri filium confiteri, idq; firmiſſima penè omnium ſententia pronunciatur. Decem & ſeptem ſoli tunc fuiſſe dicuntur, quibus Arrij fides magis placeret, extrinſecus creatum Dei filium ex nullis extantibus, & non ex ipſa patris deitate progenitum confirmantes. Defertur ad Conſtantinum ſacerdotalis Concilij ſententia ille tanq; 8 à Deo prolatam ueneratur. Cui ſi quis tentaſſet obniti, uelut contra diuina ſtatuta uenientem, in exilium ſe proteſtatur acturum. Sex ergo ſolitum Arrio ſe patiuntur expelli, reliqui uero undecim, Concilio inter ſe habito, acquieſcunt, ad ſubſcribendum manu ſola, non mente. Cuius ſimulationis præcipuus auctor extitit Euſebius Nicomediæ Epiſcopus, qui poſt hæc omnem in eccleſia ſeditionem innouauit.

8 *Vide quāta ſit generalis Concilij auctoritas, ut eius ſententiā Imperator tanquam à Deo prolatam ueneretur.*

Interea pijſſimus Imperator, p epiſtolā, quā oībus epiſcopis & populis dirigit, malignū Arrium execratur, eumq; cōparat impio Porphyrio, qui ſeptē uolumina cōtra religionē noſtrā euomēs, dignā promeruit pro geſtis ſuis ultionē conſequi, ut opprobrio oībus & execrabilis haberetur, Arriumq; deinde & cōplices, Porphyrianos uocat. Mādat inſuper, ut ſi qua cōſcriptio ab eo cōpilata reperiri cōtigerit, igni tradat. Et contēnentibus capitalis ultionis proponit edictū. At exēplū expoſitionis fidei habitę in tanto Concilio, ſi quis noſcere uoluerit, tale eſt (ut ex hiſtorijs eccleſiaſticis & Concilio Iulij Papæ Romæ ſuper Confirmatione huiuſcemodi

fidei

fidei celebrato habetur) credimus in unũ Deum patrẽ omnipotentem, omnium uisibilium & inuisibilium factorẽ. Et in unũ dominũ nostrum Iesum Christũ filium Dei de patre natũ unigenitũ, hoc est de substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerũ de Deo, natum non factum, homousion patris, hoc est, eiusdem cũ patre substantiæ, per quẽ omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terris. Qui propter nos, & propter nostrã salutẽ descendit, & incarnatus est de spiritu sancto, & homo factus passus est. Et resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos. Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctũ, & cætera. Eos autẽ qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & anteq̃ nasceretur, nõ erat, & quia ex nullis substantijs factus est, aut ex alia substãtia dicunt esse aut conuertibilem & cõmutabilem filium Dei, 9 anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Et præter hanc fidei expositionẽ, septuaginta canones huiusmodi concilium compilasse testatur Athanasius in epistola ad Marcum Papam, qui Syluestro successit, descripta. Et ipse beatus Papa Marcus in alia ad Athanasium epistola idẽ sua authoritate confirmat. Idem & Papa Iulius in epistola ad Eusebium & alios Orientales Episcopos plura illorũ capitulorũ recensenda enarrat. Quod quia apud quosdã horũ canonũ numero, postea contentio non parua surrexit, quemadmodum id secutum sit, placuit explicare.

9 *Ecce quõ etiam antiquitus hæretici excõmunicabantur.*

In Concilio siquidem Carthaginensi, Faustinus Potentinę urbis Episcopus, & Romanæ ecclesiæ legatus, capitulum quoddam Niceni Concilij in medium profert. Quo lecto Allipius Catastenensis Episcopus id quã maxime se admirari dicit, quoniam in Græcis exemplaribus id minime cõpertum sit, quamobrem placuit Synodo Constantinopolim ad Episcopum scribere, ubi autenticũ id consilium esse dicebatur. Nec non & ad Alexandrinũ Episcopũ & Antiochenũ, ut de his autentica secundum ea quæ tenerent, mitterent exẽplaria. Quibus in tẽpore susceptis, id capitulum minime cõpertum fertur. Nec septuaginta in his exẽplaribus capitula, sed tantũmodo uiginti duo conscripta habebantur. Quod quemadmodũ esse potuerit, ex præfata Athanasij epistola potuit iudicari. Nam cũ persecutionũ procellis eius libri ab Arrianis lacerati & cõbusti fuerunt, Synodum Nicenã, qua clerus & populus (ut inquit) imbuebatur, & maxime iam imbuti erant, in contumeliam nostram es omniũ Christianorũ, incenderunt. Hæc ille. Similiter cum Constantinopolitana ecclesia & Antiochena longis tẽporibus fuerint ab hæreticis occupatæ, qui nedum libros quos facillime carpere potuissent, sed etiam sacerdotes & plures Laicos hanc fidem obseruantes, ad mortẽ usq; persequebantur, non uerisimile, & palàm omnibus uideri potest, illam synodum nõ integram sed laceratã & confractã apud easdẽ remansisse ecclesias. Vnde & apud solam Romanã ecclesiam, quæ impollutam se præseruauit, huiusce modi synodi ueritatẽ potuisse cõperiri constat. Hos ergo sacros canones, & antiquam de obseruatione Paschæ regulam, per quã nulla de reliquo

uarietas eccleſijs orietur, cũ ſacratiſsimus ille cœtus ſtatuiſſet, uiſum eſt omnibus diſſoluendum iam fore concilium, & ad propria remeandum. Quamobrẽ omnibus iam rite diſpoſitis, pax atq; fides in orientis & occidentis partibus, una atque eadem ſeruabatur.

Interim Helena religioſi principis mater per idem ferè tẽpus diuinis admonita iuſsionibus, loca dominicæ paſsionis ſacratiſsima, quæ a gentilibus idolorum ſpurcitijs polluta fuerant, & deturpata, diligentiſsime expurgari procurat, atque lignũ comperit ſalutiferæ crucis, & clauos quibus dominus noſter fuerat affixus, & in eo loco 10 mirificũ templum regia ambitione conſtruxit. Verũ cũ non multum poſt ex hac luce diſcederet, octogeſimo ætatis ſuę anno (ut Theodoricus tradidit) Conſtantia Conſtantini ſoror, quę Licinij fuerat uxor, fratris Auguſti ſolatijs utebatur. Hinc accidit presbyterũ quendam uenire in notitiam, latenter partibus Arrij fauentem, qui de his nihil primo apud ſororem principis aperuit. Verum ubi multa familiaritas copiam tribuit, paulatim ſermonem cœpit aſpergere, inuidiam dicens Arrio generatam, & pro ſimultatibus priuatis epiſcopũ eius rem contentioſe exagitauiſſe, ęmulationis ſtimulo confixum, quod Arrius apud plebem ſatis charus haberetur. Hęc atque huiuſmodi talia frequentius ſuggerens animos Conſtantię ſuos effecit. Quę cũ quarto penè anno (poſt diſſolutionẽ Concilij obitura) uiſitaretur a fratre, atque ab eo blande religioſeq; cõpellaretur, extremã dicitur ab eo gratiam popoſciſſe, ut presbyterũ in familiaritatẽ reciperet, & quę ſibi ab eo proſpere, & pro ſalute ſuggererentur, audiret. Nam de ſe quidẽ iam ex luce diſcedente nihil curare, ſed pro fratris ſtatu eſſe ſolicitam, ne forte pro innocentium pœnis, regni ſui pateretur excidium. Quibus ille monitionibus a ſorore ſuſceptis, & fidelem pro ſe germanę ſolicitudinẽ credens, accõmodauit aurem presbytero, & Arrio in exilium conſtituto, mandat, ut quemadmodum de fide ſentiret, exponeret. Tum ille nouitatem ſermonũ, quos prius adinuenerat, declinans, explanationẽ aliam ſimplicibus contexuit uerbis, quę non quidem ſenſum noſtrũ, tamen uerba ferè noſtra continere, profeſsionemq; uidebantur. Et illa diuina authoritate cõfirmans, iuſiurandum adhibuit id ſe credere, nec quicquam aliud uel mente ſapere uel intelligere. Cuius explanationis ſeries hęc a Theodorico explicatur.

10 *Si ſanctiſsima regina mirificum tẽplum regia ambitione Hieroſolymis conſtruxit, nõ eſt opus malum Eccleſias magnificas et ſplẽdidas ædificare, ut hæretici nugantur.*

Pijſsimo Deoq; acceptiſsimo Imperatori maximo Conſtantino, Arrius & alij presbyteri in exilium conſtituti. Quemadmodum tua pietas pręcipit clementiſsime Imperator, fidem noſtrã per hęc ſcripta explicamus atq; talia credere, Deũ ipſum obteſtamur: Credimus in unũ Deum patrẽ omnipotentẽ, & in dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ filium eius, qui ex eo ante omnia ſęcula natus eſt, Deũ uerbũ per quẽ omnia facta ſunt, quę in cœlo, & quę in terra, qui uenit, & carnem aſſumpſit, & paſſus eſt. Qui reſurrexit, & aſcendit in cœlos, & iterũ uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos. Et in ſpiritũ ſanctũ, carnis reſurrectionẽ. Et uitã uenturi ſę-

culi,& regnū cœlorũ. Et in unā sanctā ecclesiam catholicā Dei, quę a finibus usq; ad fines est. Quā quidē fidē ex sanctis Euangelijs concepimus, dicente domino discipulis suis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris,& filij & spiritus sancti. Et si non credimus atq; suscipimus uere patrē, filium,& spiritū sanctū, quemadmodū catholica suscipit ecclesia,& sanctę edocent scripturę, quas in omnibus sequimur, iudex noster sit Deus,& nunc & in futuro die. Quamobrē pijssime Imperator, cum uiri ecclesiastici simus, & fidē atq; intellectū ecclesię, sanctarumq; scripturarū teneamus, abiectis superfluis, atque inanibus quęstionibus, unioni sanctę ecclesię pacificos nos, & gratos tua pietate restitue, ut acceptabiles Deo orationes, pro pio pacificoq; tuo imperio atque genere, mente libera omnes cōmuni concordia celebremus.

At Imperator cū huiusmodi libellum susciperet, admiratus quidem uehementer est,& putauit unam eandemq; in ipsius, & concilij dudum gesti expositione sententiam contineri. Ob quod illum accersiri de exilio iubet. Et ut apud Gręcos magnę autoritatis scriptor. Metaphrastes enarrat, statim eum cū honore ad Alexandriam remisit, ubi tunc quoq; omne illius frustatur incœptum. Nam cognito dolo, ab Alexandro Episcopo minime susceptus est, incitante atq; id maximè impellente Athanasio ipsius Alexandri archidiacono. Quę res turbulentiam iterum per Ægyptum excitauit & latentem heresim discooperuit nec literis etiam Imperatoris Alexander, & Athanasius ad susceptionem Arrij inclinari potuerunt.

Interim Alexander beatissimo fine ex mortali hac & corruptibili uita, ad pręstantiorem īmortalemq; translatus est. Et Athanasius Alexandria & Ægypto uniuersa consentiente, episcopalis curę gubernacula suscepit. Qui cū uir esset acerrimi ingenij, quā uigilantissimus in ecclesiasticis negotijs iam tunc hereticis innotuerat, cū ad concilium Nicenū cū Episcopo suo sene Alexandro conuenerat. Cuius sequentē uitā & querelam eiusq; gesta pręfatus Metaphrastes apud Gręcos diligenter exequitur, quem fidelissime traducendo, nos omnino sequimur ubi alios non induxerimus autores.

Statim ergò, ut eū heretici Episcopū factum cognouerunt rati quod res indicabat, sua negotia per illius solicitudinem non facile processura, omnibus modis quęrere aduersum eū machinas deceptionū parabant. Et eo tēpore amplam cōmoditatem nacti, ꝙ contra eū indignatus uidebatur Imperator, quia Arrium nō susceperat, concilio inito ut aduersus Christū Iudęi, cogitabant quemadmodum eū de terra auferre possent. Quo sublato, Arrij heresim omnino pręualere putabant, quamobrem apud principē omnimode Athanasium tanquā indignè ad Episcopatū promotū insimulare aggrediuntur. Et scelerū suorum ministros aliquos de heresi Meletij sibi adiungere curauerunt, Isionem scilicet & Felicem Callinicū & alios diuersos, qui cōmenta contra eum confingerent.

Primũ quidem q; Episcopatũ assumens indixit Ægyptijs uestimenta linea Alexandrinorũ ecclesię conferenda. Similiter & aliud grauius, quoniam literis, & mandatis quibusdã imperialibus contradicens, loculum auri plenum cuidam amico direxit, ut quod contra principis iussa perpetrare demolitus fuerat, ille exequeretur. Tertiũ quod grauius impinguebatur, tale quidẽ fuerat. Quòd uir Mareothidos degebat nomine Ischiras, qui nondum ordinatus se gerebat pro presbytero, atque sacra fuerat ausus celebrare mysteria. Quod cũ Athanasius à quibusdã ex Mareothide perdidicisset, misit Macharium Alexandrinę ecclesię presbyterũ, qui hęc exactè an uera essent, perquireret. Quòd prę sentiens Ischiras, inde aufugiens, Nicomediam ad Eusebium & cõplices se contulit. Quem cũ odio in Athanasium ferri cognoscerent, nullius inuidiam attendentes, ut presbyterũ susceperunt, promittuntq; ei episcopatus honorẽ, si contra Athanasium crimina cõmentetur. Quibus ille q libentissime annuens, confinxit Machariũ Alexandrinę ecclesię presbyterũ missum ab Athanasio in ecclesiam suã, impetũ primũ fecisse, deinde altare & sacrã mensam confregisse, abstulisseq; inde calicẽ, & sacros libros cõbussisse. Quibus Imperatorẽ ad iram contra Athanasium plurimũ incitare conabantur, & quod sacris iussionibus obedire contẽpserat, nec Arrium (ut mandauerat) ad cõmunionem susceperat.

A Hoc Concilium non fuit generale, sed neque alicuius uigoris, quia Papæ ad id conuocandum non interuenit authoritas.

11 Vides antiquum esse morem ut Ecclesiæ nouiter constructæ solenniter dedicentur?

Quę audiens Imperator, in stuporẽ adductus, licet fidei normã firmissime teneret, iubet .A. tamen iterũ congregari concilium, nõ ut de fide iterũ disputetur, sed ut contentiones omnes & rixæ iusto iudicio totaliter penitus delerentur. Verum cũ Hierosolymis ad dedicationem 11 Ecclesiarũ ibidẽ nouiter constructarũ ex omni penè orbe coire sacerdotes inuitarentur, scribit ad eos, ut quæ contra Athanasium inducta sunt, diligenti excutiantur iudicio. Et de Arrio, ut si expositionẽ fidei eius cõprobarent, & eũ uel per inuidiam, (ut asserebat) tunc circunuentum dinoscerent, uel nunc ab errore correptũ, clementi erga ipsum iudicio uterentur. Quandoquidẽ tanta fuerit concilij moderatio, ut non in personã eius, sed in dogmatũ prauitatem fuerit lata sententia. At si inuidia causa fuisset, curent pacẽ inter illos cõponere. Quod si fieri nequit, ueniat Arrius Alexandriam, & ibidem super hoc discutiatur iudicium. Et cũ apud Tyrũ congregari primũ deberent Episcopi, iubet Imperator causas has ibidem discuti, ut absq; schismate & contentione Hierosolymis sacra tractarent mysteria.

Igitur trigesimo Imperij Constantini anno, ex diuersis urbibus apud Tyrã Episcopi conuenerunt numero sexaginta, Dionysio uiro cõsulari illos congregante. Quibus congregatis & sedentibus, una comes prouinciæ, & plures alij, Macharius Alexandrinę ecclesię presbyter, uinctus catenis manu armata conducitur. Nec multo post & ipse cõuocatur Athanasius, contra quẽ instant accusatores, petentes primũ discuti quod de lineis uestimentis fuerat obiectũ. Sed hanc quidẽ calumniam, atque aliam

de loculo auri ad amicũ misso, Apis & Macharius presbyteri Alexãdrini apud Nicomediam corã Imperatore omnino expurgauerãt ob quod literis suis Imperator accusatores grauiter increpauerat, & Athanasium ad se uenire suadet. Quæ cũ in principio audientiæ a tabellarijs Deo operante oblatæ fuissent in agoniam & dedecus Eusebium, & complices deduxerunt. Quamobrem his præmissis ad obiectum de Machario se transferunt.

Sed ad hæc primũ quidem Athanasius, quos inimicos sibi manifestos probare poterat, nominanter describit. Deinde declarari petit, an accusator Ischiras (ut in eius libello scribebatur) presbyter esset. Ad quod iudices nec minimũ quidẽ uerbũ respondent, sed contra Macharium proclamantes, statuunt mittendos quosdam ad usq; Mareothem, qui de dubijs informati, quæ cõpererint, referant. Quod cũ accusatores suos Athanasius designari uideret, Togmũ uidelicet & Marem, Theodorũ, Macedonium, Vrsatium, proclamans de iniurijs, & iniustitia protestatur, ut quos inimicos & accusatores nouerat, sibi iudices constituere uelint: nec iustũ esse Macharium detineri in uinculis, & accusatorẽ liberum esse. Ad quæ cum nec consulem Dionysium super his uerbum habere uideret, subtrahens se a Synodo, & secreto diffugiens, Constantinopolim ad Imperatorem se contulit.

Interim qui ad Mareothem missi fuerant, cõmentaria sibi pro uoluntate confingunt, & Synodus ne reditum quidẽ illorũ expectans, tanquã quæq; insimulata uera fuissent, 12 excommunicationis sententiam in Athanasium ferunt. Et abinde cũ statim Hierosolymã se conferrent, aduenientẽ Arrium & Eusebium unà & complices libere suscipiunt, licet (ut quidam tradunt) ex catholicis nonnulli eum recipere abnegauerint, diffinientes ipsum in concilio apud Alexandriam audiendũ fore. Quæ cũ sic apud Hierosolymã gererentur, Athanasius adito Imperatore petit, ut quæ in Tyro turbulenter & incontinue gesta sunt, apud eius præsentiam examinentur. Quibus annuens Imperator, has literas ad Episcopos qui in Tyro conuenerant, dirigit.

12 *Ecce Excõmunicationis antiquũ usum in Ecclesia.*

Victor Constantinus, Episcopis apud Tyrum collectis. Ignoro equidem, quæ in uestro Concilio turbulenter & tempestuose gessistis. Et ut manifeste uidetur, ob lites & iurgia, quæ contra nos & proximos nostros incessabiliter geritis, iustitia & ueritas in Dei contẽptum per dies singulos conculcatur. Et ideo diuina prouidentia opus est, ut patefactis altercationibus uestris, palàm nobis uestræ inimicitiarũ causæ innotescant. Quãobrem quibuscunq; alijs omissis, omni festinatione ad nostrã pręsentiam contendite, quatenus per uos ipsos quę apud Tyrũ gessistis, seriem ostendatis. Et subdit in eadẽ epistola: Quemadmodũ equũ ascendens, repente cũ sacerdotibus quibusdam quos circũ se habebat, affuit Athanasius, quẽ prima fronte cũ non agnosceret, ex nobilibus suis quidam enarrauit quis esset, & quemadmodũ apud Tyrũ ab Episcoporũ concilio fuisset iniusti-

tiam passus. Verũ deposcenti se audiri, assentire nolebat, imò cum penè eum amoueri iuberet, maiori cũ fiducia nihil aliud ꝙ episcoporꝫ postulasse aduentũ enarrat, ut Imperatore & illis præsentibus, quæ passus fuisset explanaret. Quod cũ rationabile esse, & tẽporibus congruũ annuens, has literas scripsit, & circa finem epistolę in hęc uerba subsequitur. Nam per me fidelẽ Christi seruũ, feræ nationes & Barbaræ, Deum uerũ timere & adorare didicerunt. Et uos qui eius diuinitati pro nobis 13 sancta debetis offerre mysteria, nihil nisi quod ad contentiones inducat & odia, & ut uerius dicam, ad humani generis interitũ operamini & conamini. Festinate igitur ad nos uenire quoniam uiribus totis statuimus operari, ut quę in lege Dei sunt, sine aliqua titubatione seruentur. Nec locum mala superstitio poterit obtinere, sacratissimę legis inimicis exterminatis penitus & contritis, qui sub sanctitatis figura blasphemias uarias, ac contentiones inijciunt.

13 *Sãcta mysteria appellat sacratissimæ Eucharistiæ sacrificium.*

Verũ cum è Hierosolymis plures Episcopi ad propria remeassent, & Eusebius atq; eius cõplices Theogonius, Mares, Patrophylus, Vrsatius, Valens, & reliqui, qui uix ibi remanserant, cũ eiusmodi Imperatoris literas suscepissent, in agoniam deducti rescribunt, ut cũ primũ tẽporis cõmoditas dabitur, se aduenturos. Interea illis tardantibus, & cognita apud Imperatorẽ Athanasij innocentia, ad Alexandriam illum cũ honore remittit, scribẽte etiam ad Alexandrinorꝫ ecclesiam falsa ac cõmentitia ea fuisse, quæ contra suũ episcopũ Athanasium insimulata ferebantur. Verũ Arrius postquã apud Hierosolymã ab episcopis fuerat receptus, cum epistolis Synodi ad Ægyptũ & Alexandriam proficiscens ex synodo, & testimonio Imperatoris, qui eius etiam fidem cõprobare uisus fuerat, ad cõmunionẽ se recipi petit. Quæ res non paruã quidẽ per Ægyptũ totã, & Thebaidam, ac Libyam cõmotionẽ excitauit, atq; etiam multorꝫ subleuauit animos, qui sententiam synodi reuereri uidebantur. Quod cõperiens Athanasius, & magno dolore perculsus, iterũ ad Imperatorẽ cũ festinatione redire procurat, significans ei Arrij hæresim, iterũ per Alexãdriam & Ægyptũ repullulare, ob quod ad Constantinopolim & Arrius ipse conuocatur. Qui iter agens per comitatũ, ad Cæsaream primũ deuenit, ubi Eusebium Nicomediensem Episcopũ, & plures ex cõplicibus adesse præsenserat. Et cũ ipsis diebus nonnullis consilia iniret, nouã cõtra Athanasium calumniam, ut ipsum sua sede depellant, machinantur. Et præmissus Arrius ad excusandum se Imperatori, ipsi Cõstantinopolim subsequuntur. Quibus ab Imperatore uocatis, de gestis synodi apud Tyrum diligenter interrogantur. At illi contra sacrũ Antistitem Athanasium iam calumnijs armati, in hæc uerba responderunt.

Nos & alij qui aderant in synodo Episcopi, pijssime Imperator, non tantã de his, quibus primũ accusatus fuerat Athanasius discussionẽ fecimus, quantã de subuersione altaris apud Mareothem, de ablatione calicis, de librorꝫ cõbustione, quæ certissima cõmentarijs testantibus (ut uide

re poteris) cōperta sunt, sed etiam de his quæ corā pluribus episcopis cōtra tuæ pietatis uoluntatē cōminatū fuisse, deprehensus est. Aiebat enim prohibiturū se frumenta ab Alexandria Cōstantinopolim (ut statutum consuetumq; fuerat) solenniter deportari, hocq; audiuisse Adamātium, Arnobium, Arbethionē & Petrū Episcopos cōpertū est, a quibus cū reprehensus fuisset, timens tum de hoc, tum de alijs iudicium se subiturū, aufugit. Hæc & similia falsi sacerdotes Imperatoris auribus callidè ingerentes, ad iram illum atq; furorē contra Athanasium tantū impellere ualuerunt, ut eū apud Treuerim Galliarū urbē exilio deportari mādaret. Ex quo quis clarè prospicere potest, quantū insimulationes & calūniæ, maxime si ab his, qui fide digni habiti sunt, inferantur, etiam cōtra innocentes ualeant operari. Quæ res mœstitiam toti penè Alexandriæ, & Ægyptiorū Episcopis ac Libyæ, qui modestiam & sanctitatē nouerant Athanasij, intulit. Quidā tamen scribunt hoc ideo Imperatorē fecisse, ut ecclesiæ per eius absentiam penitus unirentur, putans Athanasium qui Arrio & cōplicibus minime cōmunicare uolebat, huiusmodi ecclesiarū schismatis causam esse, quo sublato facile uniri posse putabat. Ducitur ergò uir sanctus & innocens ob iustitiam per diuersa & multiplicia locorum interualla ad Treuerim, honorificeq; a Maximino Treuerorum Episcopo suscipitur. Quod quidē non paruū in eo exilio ei solatium affuit.

Interim per Alexandriam, Ægyptū & Libyam debacchabatur Arriana pestis, atq; uim patiebatur uera religio. Constantinus uerò Imperator, cū trigesimū primū annū imperij sui ageret, ætatis uero sexagesimū quartū, apud Nicomediam in Achyrone suburbana uilla diem functus obijt: Et 14 extremo uitæ suę tempore (ut scribit Hieronymus) ab Eusebio Nicomediæ episcopo baptizatus, in Arrianū dogma declinauit. Causam uerò dilationis baptismatis designās Theodoricus, eā dixit, quod in Iordane fluuio hoc se posse consequi peroptabat. Et testamento confecto tres liberos suos, Constantinū, scilicet nomine patris uocitatum Constantiū & Constantē, in successione Romani orbis hęredes scripsit, & magnū Athanasium ab exilio reuocari, & in sede sua Alexandrina reponi, Eusebio pro uiribus dissuadente (ut idē enarrat Theodoricus) iussit. Quo tēpore, quoniam quidē Constantius, cui Orientis regnū decreuerat, præsens non erat, dicitur secretè aduocasse presbyterū, quē a sorore cōmendatū supra diximus, & exinde familiariter habitū, atq; tradidisse ei testamentū quod scripserat, & obtestatus sub sacramento, ne ulli, nisi Constantio cū uenisset, in manus traderet, cui eunuchi, qui erant in palatio, fauebant. Atque iudicio de Imperatoris morte suppresso, usque ad Constantij præsentiam, cōpressis multis noua tentantibus, res tutæ integræq; mansere. Cū uero Constantius affuisset, depositū presbyter restituit. Cuius benefica gratia Imperator regni cupidus, ita ei deuinctus est, ut qui cunctis imperare cupiebat, ab illo sibi imperari æquanimiter patiebatur.

14 *Quod magnus Constantinus Imperator fuerit a beato Syluestro baptizatus, uide si in fine uitæ beati Syluestri ex Damaso & Hieronymi aliorumq; relatu. Quod uero hic dicatur ab Eusebio Nicomediensi Episcopo extremo uitæ tempore baptizatus, & in Arrianum dogma declinasse uiri quidam docti hoc non Constantino, sed Constantio eius filio, alij nescio cui alteri Constantino iuniori, ascribunt.*

Sed Euſebius,qui apud Nicomediam erat, amplam iam tẽporis occaſionem nactus, & principi per presbyterũ familiaris effectus,reuoluere omnia,atque irrita Niceni concilij geſta conducere,ſi Athanaſius ab exilio non reuocaretur,ſe ſperans,ut hæc conſequi poſsit, presbytero utitur cõminiſtro,& Euſebiũ quendã eunuchorũ palatij præpoſitũ, imperatoris intimũ in Arrianã callide ſuaſere perfidiam. Ex quo cæteri eunuchi eadẽ ſapere pauculo in tẽpore ſunt illecti.Nec his contenti,uxorẽ Imperatoris cũ eunuchis presbyteri artificijs aggredientes,in Arrianũ dogma præcipitant.Quid plura? Poſt paulum & ipſe Imperator natura aliàs, & animo regio,dum his ſatis indulget,ĩ perfidiam a peruerſis decipitur ſacerdotibus.Ob quod eorundẽ ſuggeſtione,Arrium apud Alexãdriam cõmorantẽ,ſtatim Conſtantinopolim aduentare iubet,atque concilium denuo congregari,ad quod illi ut plurimũ conuenere qui Arrium atque Euſebium ſectabantur.Quorum ſtudium præuidens ſenex Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus, conabatur eorũ audaciam & conatus reprimere,& Arriũ ueri Dei hoſtem execrabatur,quippe qui fidei Niceni concilij peruerſe obſiſteret.Verum cũ iuberet Imperator epiſcopos nolentes Arrio acquieſcere,inuitos cogi,denunciat Alexandro certã diẽ Euſebius,ut uel ipſe Arrium ſuſcipiat,uel ſi reniteretur,ſe eccleſia pulſo & in exilium truſo,alio eũ ſuſcipiendum dignoſcat,cũ ille noctẽ, quæ ad conſtitutum intererat diem,ſub 15 altari iacens,atque in oratione & lachrymis totã peruigilem ducens, eccleſiæ cauſam domino cõmendabat. Cunq; lux fuiſſet exorta,nec tamen Alexander ab oratione ceſſaret, Euſebius cũ ſuis omnibus,uelut hęretici belli ſignifer domum Arrij matutinus accedit. Quem propere ſequi ad eccleſiam iubet, proteſtatur quod Alexander,niſi præſens acquieſceret,expulſus cederet loco.

15 *Ecce orationem cũm proſtratione, uigilijs & lachrymis,& quã grata Deo fuerit effectus ſubſequutus oſtendit.*

Igitur omnium ſumma expectatio, quò uel Alexãdri perſeuerantia, uel Euſebij, Arrijq; ſententia declinaret. Cunq; cunctorũ animi eſſent (ut in tali re ſolet) expectatione ſuſpenſi, Arrius ad eccleſiam pergens, epiſcoporũ & populorũ frequentia conſtipatus, humanę neceſsitatis cauſa,ad publicũ declinat,ubi cũ ſederet,inteſtina eius atq; omnia uiſcera in ſeceſſus cuniculum defluxere.Itaq; in tali loco dignã mortẽ blaſphemię, & fœtidę mortis exoluit. Quod poſtea in eccleſia nunciatũ eſt Euſebio, atq; his qui unà ſecum ſanctũ & innocentẽ uirum Alexandrũ, de Arrio recipiendo fatigabant,qui ſuperati pudore & cõfuſione,diſcedunt.Tunc cõpletus eſt ſermo ad gloriam domini,quẽ in oratione ſua Alexander ad dominũ proclamauerat, dicens: Iudica me domine inter & Euſebij minas & Arrij uim. Sed hæc ad præſens quidem paululum pudoris habuerunt. Conuenientes uerò inter ſe hæretici, ueriti ne forte ſi (ut res geſta eſt) integre ad Imperatorẽ Conſtantium perueniſſet,non ſolum a perfidia eorũ,in qua callide irretitus tenebatur,abſcederet,uerũ & in authores deceptionis ſuę ſeuerius aliquid de regia authoritate decerneret,componunt per eunuchos, quos iam in perfidia deceptos tenebant, uti de Arrij

morte

morte Imperator quàm fieri posset, composite & comiter nosceret, neque aliquid quod dei uindictam indicare uideretur, audiret. Quibus ita gestis, de causa fidei, & potissimū in discussione cuiusdam libri editi à Marcello episcopo Ancyræ Galanæ prosequuntur.

Interea Alexander confectus senio, & plenus annis, trigesimo episcopatus sui anno, & nonagesimo octauo ætatis suæ, moritur, uir omni uirtute & sanctitate præditus, de quo & hoc aliud mirabile fertur. Constantinum patrem cum semel Byzantium aduentasset, philosophi quidam adierunt, exprobrantes religionem nostram, quā maiores eius Romani principes, ueluti falsam & inanem abiecerant, idq; se uelle coram eo, & alijs palàm, episcopo Alexandro concludere. Verum Imperator, licet nosceret Alexandrum huiusmodi uerborum exercitatione inexpertū, tum in uiri sanctitate confidens, iubet eum cum philosophis certamen inire. Ille necessitate coactus, & Deo fisus, processit in medium. Et cum conuenissent, ut unus ex philosophis cęteris tacentibus, cum eo primum loqueretur, incipit Alexander in hæc uerba: In nomine (inquit) domini Iesu Christi impero tibi philosophe, ne loquaris. Qui nullis conatibus, omnium ferè circunstantium experientia concitus, nisi post longam horam ex absolutione Alexandri, loqui potuit. Magnū hoc quidem miraculum & Alexandro dignum, nec ex alijs philosophis quisquam ausus est aliquid contradicere.

Post huius igitur Alexandri mortem, Paulus Constantinopolitanus presbyter, à catholicis ordinatur episcopus. Quam ordinationem Imperator Constantius ægre ferens, non multo post tempore Constantinopolim ueniens, & ex complicibus Eusebij Concilium congregans, Paulum sede sua priuauit, & Eusebium Constantinopolitanum fecit episcopū. Qui iam gloriosus in palatio, ut alius Augustus incedēs, putabat omnia per Eunuchorum medium ad suum posse effectum conducere, si ab exilio Athanasium non euocari contingeret. Quamobrem totis conatibus cum complicibus suis, apud Alexandriam Arrianum constituere episcopum conabatur. Idq; fecisset, nisi diuina pietas malignas eius & sequacium præsumptiones præuenisset. Nam per id tempus Athanasius fretus literis & adiutorio Constantini iunioris, qui apud Hesperiæ partes regnabat, Alexandriam reuersus, sedem suam cū iubilo & gaudio penè omnium Alexandrinorum, & totius Ægypti suscepit. Literæ uerò quas ad Alexandrinos Constantinus direxit, hę sunt.

Victor Constantinus catholicæ ecclesiæ, & populo Alexandrino. Nō puto uos ignorare dilectissimi, Athanasium magnū diuinæ legis prędicatorem, pro tempore apud Gallias ex eo directum, ne crudelitas impiorum inimicorū eius sacro capiti cum periculo immineret, aut malignorū callida infestatione qua tunc temporis premebatur, detestabile aliquid pateretur. Et nobis iubentibus sic degit, ut necessaria illi nō deessent. Verum talis est eius præclarissimæ uirtutis religio, & ipse tam diuinis fretus

ſolatijs, ut fortunę caſus etiam moleſtiores magnificentiſſimo animo deſpiciat. Quem cum beatæ memoriæ Cõſtantinus, pijſſimus pater meus, ſuæ ſedi reſtituere proponeret, ſi morte præuentus nequiuit, conſequens fuit me uoluntatem diui Imperatoris noſtri implere. Illum ergo, licet de ſeparatione ſua mœſtiſſimi, tamen ad propriam ſedem, ad uos eius oues remittimus, nec unquam tanti uiri imago ſacratiſſimumq; eius nomen, de noſtro pectore labi poterit in ęternum. Diuina prouidentia uos cuſtodiat amantiſſimi.

Recepto igitur in ſede ſua Athanaſio, epiſcopalia tractabat, & populum prædicationibus & exhortationibus ad ſeruandam rectam fidem & puram mentem exhibendam Deo, ſingulis penè diebus inſtruebat, nec quicquam ex his omittere uidebatur, quæ ad paſtoralem curã pertinere poterant. Nam ſcribebat etiam frequenter ad diuerſarum urbium epiſcopos, ſuadens fidem rectam ſeruare, & Arrianorum impietatem deteſtari, ut eſt illa epiſtola, quã ad uniuerſos catholicos in hęc uerba direxit.

Omnibus ubique fratribus ueræ fidei ſalutiſq; æmulis, & his qui per Ægyptum, & Syriam, & Ciliciam ac Phœnicem, & Arabiam ſunt Orthodoxis epiſcopis, Athanaſius & qui mecũ ſunt epiſcopi, in domino ſalutem. Quicunque impietatem inſpicitis inſurgentem, imminentemq; pietati, per apertas uocum nouitates, & per ſimulationes ſubdolas, perque ſeditiones ac tumultus fœtidos, plagaſq; & uulnera & neces, debetis ueluti ex tempeſtate quadam ac turbine ſubtrahi, ſalutiſq; fidiſſimam occupare ſtationem, ut neque illis impietate iungamini, qui ſanctę trinitatis unam ueramq; deitatẽ irritare pręſumunt, & à patre diuidunt filiũ, atque à filio ſecernunt ſpiritum ſanctum. Neque illorum turbidis motibus, ſceleribuſq; miſceamini. Ita enim & nos ſaluti ueſtrę conſulentes, & eorum qui nobis obtemperant, diutius iam apertam Arrij impietatẽ, eorumq; ſimulationẽ, qui fictis uerbis ſimpliciores quoſque decipiunt, arguere non deſiſtimus, atque ab omni illorũ temeritate ſeparamur lugentes, quę ab illis impie in deum admittuntur, quia nomen ſanctũ blaſphemantium linguis exponunt, cupimuſq; ſeruari in uobis, & in his qui ſunt uobiſcum fidei rectæ ac modeſtæ conuerſationis normam, uoſq; id idem facere hortamur, quodq; iam idem arripuiſtis inſtitutum, & qui huiuſcemodi zelo nondum excitatis eſtis, aut Chriſtianam religionem deſtrui ab his minus aduertiſtis, & aſtu callido diabolum eccleſiam oppugnare, ac ueluti nauem ſubmergere non intellexiſtis. Quod ſi etiam ad nos ſcribere, nobiſcumq; de his rebus tractare uolueritis, libentiſſime ſuſcipiemus unanimitatem conſenſumq; ueſtrũ fratres, orationumq; conſortia quantalibet locorum intercapedine diſſiparemur, fraternitati ueſtræ ſignificantes, Quia & ſi peſtis hęc iam cuncta occupare uideatur, tamen in plurimis populis perſeuerat apoſtolicæ fidei bonũ, atque in multis epiſcopis, licet populum quidam partim ui, partim uerbis fallentibus teneant, & epiſcoporum multitudo, tum ob eorũ metum, qui in urbibus

potentiores sunt, tum proptet tantā simulationem ea quidem quæ sentiunt, imprimunt: quæ uerò non sentiunt, simulant: quippe qui nunquā istis nefarijs dogmatibus dedere manus, paucisq; tantū uerbis expressam ueritatem norunt: quòd scilicet neque creatura Dei Deus, Deiq; filius esse possit, neque spiritus sanctus inter creaturas numerari, Deiq; apparitionem non creaturæ alicuius aduentum suscepimus. Neq; enim in aduentum serui credidimus, diuiniq; spiritus gratiam suscepimus, per quā etiam Dij efficimur, & tēpla Dei sumus. Hæc enim paucis licet expressa omnibus Christianis aperta & cognita sunt: quippe quæ prædicatam ab initio ueritatem fidei continent, in qua permanentes æternas excipimus spes. Nostræ igitur fidei symbolum consubstantialis est trinitas, Deus uerus homo ex Maria factus, & qui his non congruit, anathema sit. Hæc enim & magnæ Nicenæ Synodi continent scripta, consubstantialē patri esse filium, & spiritū cum patre & filio conglorificari, Deum uerū Dei filium incarnatū esse, passum esse, ac resurrexisse, & in cœlos ascendisse, ac inde uenturum iudicem uiuorum & mortuorum. Cui gloria in sęcula sęculorum. Amen.

Interim Arriani, qui apud Alexandriam degebant, quotidianas contra Athanasium seditiones concitare non cessabant, ut occasionem præberent Eusebio & complicibus, rursum contra eum malignandi, nec minus diuersas in populo seminare zizanias, omni fraude procurabant. Aliquando etiam mentientes, alijs persuadere conabantur Antonium monachum uirū sanctissimū, ita se in Christi fide tenere & credere. Quorū impietatem ipse Antonius admiratus (ut in eius uita refert Athanasius) & iusti doloris ira cōmotus, rogatus ab episcopis & uniuersis fratribus. Alexandriam descendit, ibiq; Arrianos sermone publico condēnauit, ultimam hanc esse hæresim, & præcursorem antichristi affirmans. Prædicabat in populis filium Dei non facturam, non ex ullis existentibus, sed propriū filium unius cū patre substantiæ, impium esse dicens: uel mente concipere, quando non erat, cum uerbū Dei semper patri sit coæternus. Vnde aiebat: Cum Arrianis sit uobis nulla 16 coniunctio. Quænam societas lucis ad tenebras? uos filium credentes, Christiani estis: Illi uerò filium qui ex patre est, creaturā dicentes, nullo interuallo à gentilibus separantur: Qui seruierunt creaturæ potius quā creatori, qui est Deus benedictus in secula. Ipsa mihi credite, irascuntur elementa, & omnis contra Arrianum furorem secundum Apostoli dictum congemissit creatura, quod sibi dominum suum, per quem omnia, & in quo omnia facta sunt, uideat aggregari.

16 *Vides quod sancti uiri nullam unquā habere uoluerunt cum hæreticis coniunctionem?*

Hæc tanti uiri pręedicatio (ut pręfato libello prosequitur Athanasius) exprimi non potest, quantum ad fidē populum roborauerit. Lætabantur quippe fideles, hostilem Christo & inimicam hæresim, anathematizari ab ecclesiæ columna. Nulla tunc ætas, nullus sexus domi remansit. Taceo de Christianis, pagani, & ipsi idolorum sacerdotes conuolabant,

dicentes: Vadamus ut hominem Dei uideamus, quia hoc apud uniuersos erat nomen Antonij. Ambiebant quoque saltē fimbriam uestimenti eius attingere, multū sibi & tactum prodesse credentes. Et subdit: Quot tunc diabolica obsidione, & uarijs infirmitatibus liberati, quot etiā simulacris erepta sunt spolia, quanti ab errore gētilium retracti, nostro iuncti sunt gregi? Tanti certe, ut paucorum dierum ex idolorum superstitione conuersio omnem per annum credentium conuocet turbam.

Hæc in pręfato libello (ut diximus) de Antonio retulit Athanasius. Cum quo magno Dei glutino deuinctus fuerat, & ei pallium donauit, in quo corpus postea Pauli primi eremitæ, religiose ipse Antonius obuoluit. Nam ut Hieronymus in uita, quā de ipso Paulo descripsit, enarrat: Cum per octoginta quatuor annos Paulus degisset in deserto, nec uiuentem hominē aspexisset, anno scilicet ætatis suæ centesimo, diuina inspiratione ab Antonio cōpertus, & diem resolutionis suæ instare enarrans, de ipso Athanasio in hęc uerba mentionē fecit: Quamobrē quæso Antoni perge, ne sit molestum, & pallium quod tibi Athanasius dedit, ad obuoluendū corpus meum defer. Et subdit: Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanasio & eius pallio audierat, quasi Christum in Paulo uidens, & in pectore eius Deū uenerans, ultra respondere nihil ausus est.

Per id ferè tempus Constantinus bellū Constanti fratri suo inferens, iuxta Aquileiam ab se tertio anno regni sui occiditur. Verū dum tanta cura gregē Christi Athanasius pasceret, Eusebius & complices liuore & odio contra eum conciti, neque patientes se in cœptis desistere uictos, innouant iterum contra Athanasium bellum & ducem unum, scilicet Perinthium statuunt, qui Heracliæ dicebatur episcopus, & inter alios eloquentior uidebatur, ut Athanasium coram principe insimulare debeat, ostendatq; per eius reditum, scandala plurima singulis diebus exoriri, & non solum conquassari eius literis Ægyptum, totam Palęstinam iam & Phœnicem, uicinasq; prouincias penitus conturbatas esse. Insuper nec illum sedem Alexandrinam iuste possidere, quin præter episcoporum sententiam, reuersus ab exilio illam tantum modo sua authoritate receperit, quod ex canonibus prohibetur quos illi cōfecerant: Ne minori episcoporū numero quis in sede reponi possit, ex qua deiectus fuerit. Quibus & similibus Imperatorem lacessentes, facile ad suam prauam uoluntatem conduxerunt, & suadere curauerunt, ut rursum Alexandrina ecclesia Athanasius pelleretur. Et ut illi omnem defensionis uiam præcluderent, per literas primū conati sunt eum apud Iulium Romanum pontificem, de huiusmodi calumnijs insimulare.

17 *Si præter Ro. pontificis sententiam cōcilia celebrari non oportet, constat omnia superiora concilia Niceno excepto, nulla fuisse & inualida.*

Quod præsentiens Athanasius, non minus ipse innocentiam suam defendere conabatur. Quamobrem Iulius ad quem, ut Metaphrastes in uita Athanasij, & cæteri Græci Ecclesiasticam historiam describentes, enarrant, ob sedis propriæ dignitatem, ut uerbis eorum utar, ecclesiarum omnium iudicium spectabat. Nec 17 præter Romani pontificis

sententiam

sententiam concilia celebrari oportere, sacros 18 canones imitatus, iussit Eusebium, Theogonium, Theodorum, Berinthum, & cæteros complices, unà & Athanasium ad 19 sedis suæ præsentiam conuenire, ut differentiarum inter se iudicium apud sedem Apostolicam proferatur. Et eis certum condecentemq; statuit terminũ, in quo si adesse contemnerent, iustũ ipse in tanta causa prosequeretur iudicium. Veruntamen in præfixo termino cum affuisset Athanasius, calumniarum inuentores, & ueritatis inimici, hac euocatione contẽpta, formidantes id quod facile euenisset, ne sua detegerentur mendacia, se à tali profectione omnino abstinuerunt. Nec aliam suę contumaciæ causam reddentibus, Iulius elapso termino, 20 causam canonice discutit, & Athanasium diffinitiua sedis Apostolicæ sententia, ab omni criminatione innocentem fuisse declarat, & ab omni contra eũ lata sententia, indemnem atq; ĩmunem reddidit, & sedi suæ omnino restituendum indicit.

Contigit eo tempore & Paulum Constantinopolitanum episcopum & alios quosdam suis ecclesijs expulsos, 21 Romã ad Iulium similiter confugisse. Quorũ casus cum simili modo examinasset, & comperisset eos in omnibus Niceno concilio concordare, in communione sua Romæ suscepit, & ad eorum ecclesias literas dirigens, singulis propriam sedem restitui mandauit. Nec non etiam ad orientales episcopos decretum suũ mittere curans, Athanasium & alios episcopos, ad ecclesias proprias remittit. Qui reuersi, & sedes suas adepti, literas & decretũ Iulij ad orientales episcopos dirigunt. Verum hæc impij homines ęgre ferentes nullatenus patiuntur hos cõquiescere, sed rursum illos expellere curauerunt. Nam per eos in iram concitus Constantius, & in furorem penè contra Paulum deductus, per Philippum uirum excelsum, Paulus ipse fraudulenter à sede sua iterum expellitur. Similiter nulla uia Eusebius & complices ferre ualentes Athanasiũ in sede sua degere, noua ac terribilia contra ipsum iterum confingunt crimina, cumq; apud Imperatorem inauditis criminibus ad inuentis insimulare nõ desistunt, usquequo humani corporis brachium loculo delatũ, Imperatori ostendunt, quod ab Athanasio excisum magicæ artis gratia, de Arsenij cuiusdam corpore confirmabant. Sed & alia q̃ plurima criminosa, simul & flagitiosa componunt. Quibus ex causis Imperator iubet (conuocato iterũ concilio apud Tyrum) Athanasium condemnari, & de sede sua expelli. Nam Eusebius & complices quiescere non posse uidebantur, quousq; Niceni concilij fidẽ omnino subuerterent, qđ consequi non posse putabant superstite Athanasio, quamobrem egerunt cũ Imperatore, ut sub occasione dedicationis ecclesiæ admirabilis, quam apud Antiochiam Syriæ quinque annis ante mortẽ suam construere inceperat Constantinus, & anno quarto Imperij Constantij penè completa fuerat, quę (ut Hieronymus scribit) dominicũ aureum dicebatur, congregaretur concilium. Et ut liberius suas machinationes apud Antiochiam exequi possent, episcopos primum apud

18 *Ecce quomodo canones ecclésiastici erant in obseruantia apud antiquos patres, quos modo noui hæretici contemnunt.*

19 *Vides ad Ro. Ecclesiam totius mundi Episcoporũ iudicium pertinere?*

20 *Ex hac sententia perpendere potes quantã super omnes alias Ecclesias Romana sedes iurisdictionem habeat.*

21 *Animaduertis Romã esse tutissimum Christianæ communionis portũ, & refugium?*

Tyrum conuenire statuunt, & causas tractare Athanasij, illumq; sede sua omnino priuare, ac uinculis & carceri mancipare disponunt. Quo pacto in concilio apud Antiochiam celebrato, Nicenam fidem penitus subuertere cogitabant.

Misso igitur ab Imperatore ad urbem Tyri uno ex comitibus de latere suo, qui episcopos congregaret, atque etiam adueniente Archelao, tunc quoque comite orientis, nec non & eo qui Phęnicem prouiniciam gubernabat, & conuocantibus ibidem episcopos pro dedicatione apud Antiochiam dominici aurei, conuocatur & unà Athanasius, qui huiusmodi machinationes ignorans, pergit ad Tyrum. Interim loculus cum humano brachio circunfertur, crimen contra Athanasium diffamatur, & inuidiæ horror non solum religiosas, sed & uiles animas peruadit. Is Arsenius, cuius brachium dicebatur excisum, lector aliquando Athanasij fuerat, & ob culpam correptionum ueritus frequenter sese subtraxerat, cuius latebras opportunas sibi ab huiuscemodi conuentu flagitiosi homines rati, initio compositi criminis, occultatum eum apud quendã quem fidisimũ sceleribus suis crediderant, retinebant. Ad quem adhuc in latebris positum, antequam qui conuenire debebant, congregarentur episcopi, fama peruenit, quid suo nomine criminis intentaretur, Athanasio. Et siue eum ipsa humanitatis contemplatio, siue diuina monuit prouidentia, clam per noctis silentia euadens claustris, peruenit Tyrum. Et pridie quam causæ dicendæ adesset ultimus dies, Athanasio sese Arsenius obtulit, utq; se rerum gestarum series haberent, edocuit. Ille domi esse hominem, nec innotescere cuiq; de eius præsentia iubet.

Interea concilium cogitur, in quo plures concinnatæ calumniæ conscij, ĩmo penè omnes infenso animo præiudicatoq; aduersus Athanasiũ conueniunt. Per idem tempus Paphuncius confessor, de quo supra memorauimus, senio iam confectus, ad dedicationem se pergere putans aderat. Et simili modo confessor alius dictus Maximus, tunc Hierosolymorum episcopus. At Paphuncius cum uidisset Maximum, qui unà secum effosso oculo, & poplite succiso, confessor extiterat, pro nimia simplicitate nihil de scelere suspicantem consedisse cum cæteris, quos factionis macula sociauerat, medium consessum adire non ueritus, Te (inquit) o Maxime, cum quo mihi unum atq; idem confesionis insigne est, cum quo mihi pariter mortale lumen effossum, clariorem diuini luminis conciliauit aspectum: Te inquam non 22 patiar sedere in concilio malignantium, & cum iniqua gerentibus introire. Iniectaq; manu eleuans eum de medio eorũ, recessit, & Athanasio abinde cõmunione se sociauit.

22 *Ecce quomodo sancti uiri cõmunionem hæreticorum semper fugisse inueniuntur.*

Sed interim causa dicitur, & primo introducitur accusatio mulieris cuiusdam, quæ se diceret aliquando hospitio Athanasium recepisse, & ab eo noctu nihil suspicantẽ, uim corruptionis esse perpessam. Introduci ad hec iubetur Athanasius, & ingreditur cũ Timotheo presbytero suo, eumq; monet, ut posteaq; mulier dicendi finem fecisset, se tacente ipse

ad ea quæ dixerat, peroraret. Timotheus conuersus ad eam, uere inquit mulier, ego mansi apud te aliquando, ac uim tibi ut asseris feci? Tum illa, ut mulierum se talium procacitas habet, obiurgans Timotheum, Tu inquit, mihi uim fecisti, tu in illo loco maculasti castitatem meam, simul & conuersa ad iudices, obtestari fidem Dei cœpit, uera se dicere. Tum omnes ridiculo suo pudor habere cœpit, quod tam facile tacente reo, factio compositi criminis patuisset. Nec tamen permissi sunt, ut iudices haberent de muliere quæstionem, tam apud illos iudicandi libertas fuerat, qui accusatores erant.

Hinc transitur ad aliud crimen, profertur facinus seculis inauditum. Hoc est inquiunt, ubi nemo possit uerborũ præstigijs decipi. Res agitur oculis, uerbis cessantibus. Brachium hoc te aiunt, Athanasi accusat excisum, hæc Arsenij dextra, quam tu quomodo, uel ad quos usus excideris, indicato. Tum ille, quis enim uestrum Arsenium nouerat, ut hanc ipsius dexteram esse cognoscatis? Exurrexerunt aliquanti qui se dicerent optime scisse Arsenium, in quibus nonnulli erant absque conscientia. Orat dehinc à iudicibus Athanasius, ut hominem suum, quem negocium deposceret, iubeat introduci. Cumq; introductus esset Arsenius, eleuato eius uultu Athanasius concilio & iudicibus ait: Hic est Arsenius & eleuans eius nihilo minus dexteram, hęc est inquit etiam dextera eius, hęc est sinistra. Hęc autem quam isti offerunt manus unde sit, uos requirite. Tum uelut nox quædam & tenebrę accusatorum oculis infusę quid agerent, quo se uerterent, nesciebant. Ipsum etenim esse Arsenium testes qui paulo ante scire se dixerant, confirmabant. Verum quia non iudicandi, sed opprimendi hominis causa concilium gerebatur, fragor omnium repente attollitur, magis reum esse Athanasium, & decipere intuentium oculos, acclamatur, nec debere ullo modo ultra talem hominẽ uiuere, factoq; impetu, suis eum discerpere manibus parant. Sed Archelaus qui cum cæteris ex pręcepto Imperatoris concilio præsidebat, ereptum eũ ex discerpentium manibus, per occultos exitus eduxit, ac fugæ admonuit, quæ posset commendare salutem. Concilium tamen rursum conueniens, tanq̃ si nihil omnino depræhensum fuisset, ut confessum de tantis criminibus Athanasium condemnat. Et gesta per hunc modum ficta per orbem terræ mittentes, ad sceleris sui consensum Imperatore agente, cęteros episcopos impulerunt.

Hinc iam toto orbe profugus agitur Athanasius, nec ullus ei tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, prępositi, comites, exercitus quoque ad inuestigandum eum mouentur, edictis imperialibus pręmia delatori bus proponuntur; Si quis uiuum maxime, sin minus caput certe Athanasij detulissent, ita totis regni uirib⁹ frustra aduersus eũ cui deus aderat, certabatur. Interea sex continuis annis ita latuisse fertur, in lacu cisternæ nõ habentis aquã, ut solem nunq̃ uiderit. Sed cum per ancillam, quę sola conscia dominorum officijs, qui ei latebras prębuerant, indicatus fuisset,

tanquam dei ſpiritu admonitus, ipſa nocte, qua ad eum comprӕhendendum cum iudicibus ueniebatur, poſt annos ſex emigrauit ad alium locũ. Ita illi qui uenerant fruſtrati, dominis quoque in fugam uerſis, de ancilla ut falſa indice, poenas ſumunt.

At iſte interim Euſebius, & iniquitatis complices epiſcopi, qui omnes erant numero nonaginta, poſt Antiochenӕ baſilicӕ conſecrationẽ generale ſe uelle celebrare concilium indicunt. Ad quod neq; legati Iulij Romani pontificis conuenire ſunt uocati, neq; aliqua eius affuit authoritas, nec Maximus Hieroſolymitanus, nec Paphuncius prӕfati, ne damnationi Athanaſij ſe ſubſcribere cogerẽtur, adeſſe uoluerunt, ſed ſolus Conſtantius Arrianorum princeps, huiuſmodi concilio prӕſidebat, in quo damnationẽ primo Athanaſij confirmantes, Euſebium quendam Emiſſenum epiſcopum ad ſedem Alexandrinam transferunt. Qui cum Alexandriam pergere formidant, hanc ſedis tranſlationem non admiſit, ac illi Gregorium quendam alium Alexandrinӕ eccleſiӕ ordinarunt epiſcopum. Deinde aliam fidem componentes, nec ullam de fide Nicena mentionẽ habentes, ſperabant per alia concilia quӕ ſucceſſiue celebrare intendebant, Arrij impietatem paulatim ſubinducere. Cui diffinitioni Euſebius Emiſſenus & Gregorius iam uocatus Alexandrinus, ſe ſubſcripſerunt. Denum Gregorius potentia Imperatorum ſuffultus, armata manu Alexandrinam occupauit eccleſiam. Quӕ omnia ſentiens Iulius Romanus pontifex, intimo cordis dolore tactus, grandem epiſtolam Euſebio, & alijs apud Antiochiam congregatis, direxit: arguens eos ex pluribus, & quod concilium ſine ſua authoritate auſi fuerint celebrare, atq; iniuſte Athanaſium per orbem profugum exagitaſſent. Quӕ epiſtola apud Latinos etiam reperitur, cuius initium tale eſt.

Venerabilibus fratribus uniuerſis Orientalibus epiſcopis, Iulius. Decuerat uos fratres alijs eccleſiaſticis inſtrui diſciplinis, et non talibus argui machinamentis, dicente domino: Neminem concutiatis, neque alicui calumniam faciatis, & reliqua, atque infra ſubdit: Quid peius fratres, quã ut ſacerdotes domini, quos ab omni cõmunicatione malorũ, & ab omni Chriſtianorum nocumento alienos eſſe decet, Epiſcopos quos tueri & ſubleuare debent, inſidijs impetant, & quos fouere & diligere ſummopere oporteat, inſequantur? Contra quod plurimas authoritates ſcripturӕ ſacrӕ, pulcherrime & longo proceſſu deducit, & ſubdit. Nam ſi quis hӕc omnia recto conſiderauerit oculo, nequaquam fratribus nocere, ſed liberare feſtinabit, quia nihil deterius eſt, quam ciues ciuibus inuidere, & fratres fratribus inſidiari, aut calumnias facere. Talibus enim ſuffragari uolentes inſidijs, patres ſancti Synodum congregauerunt generalem in Nicua, uitam corrigere hominum cupientes, in eccleſia cõmorantium. Nam licet dudum inſtituta ſanctorum patrum multa eſſet conſcripta, poſuerunt tamen leges, quas ſacros canones appellamus, in quibus multa per neceſſaria ad ſtatũ eccleſię, & ſupplementum columnarũ eius, id eſt,

episcoporum, qui eam proprijs humeris gestant, sunt decreta. Et econtrario nocumenta multa prohibita, ita ut qui talia agere tentauerunt, aut eis nocere præsumpserint, siquidem clerici fuerint, a proprio gradu recedãt: Si uero monachi aut laici, anathemati dentur.

Quibus armati exẽplis, arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, hanc accẽsam discordiæ flammã, apostolica authoritate extingui oportere, nec permittere ulterius animas depasci humanas. Quapropter unâ cũ omnibus apostolicæ subiectis regulæ sancimus, ne quisquã deinceps Christianorum talia perpetrare, aut episcopis temere nocere præsumat, cũ & doctor gẽtium idipsum prohibeat dicens: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, & cętera. Et subdit: Quod præuidentes sancti patres in Nicena Synodo statuerunt, ut nullus episcopus nisi in legitima synodo & suo tẽpore, apostolica authoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus, audiatur & damnetur. Quod si secus pręsumptum a quibusdã fuerit, in uanũ deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo cõputentur. Ipsa uerò prima 23 sedes conuocandarum generalium synodorũ iura detinet, & iudicia episcoporum singulari priuilegio, illi sedi euangelicis & apostolicis atq; canonicis concessa sunt institutis, ita ut semper maiores causę ad sedem apostolicã referantur, nec ullo modo potest maior a minori iudicari. Ipsa nanq; 24 omnibus maior, & prælata est ecclesijs. Et infra subdit: Nam sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omniũ Apostolorum, ita & hęc ecclesia eius nomine consecrata, domino instituente, primatũ & caput tenet cæterarũ. Et ad eam quasi ad matrẽ atq; apicem, omnes maiores ecclesię causæ, & iudicia episcoporũ recurrunt, eiusq; iuxta terminũ sumunt sententiam, nec extra Romanũ quicq; ex ijs decerni debere pontificẽ. Et infra: Qui agnoscit se quibusdã pręposituũ, non moleste ferat aliquẽ sibi esse pręlatũ, sed obedientiam quã exigit, etiam ipse rependat. Et infra: Satis enim indignum est, quenquã uel pontificũ, uel ordinũ subsequentiũ hanc regulam refutare, quã beati Petri sedes, & sequi iusserit & doceri. Multum conuenit, ut totum corpus ecclesiæ in hac sibi met obseruatione concordet, quę inde authoritatẽ habet, ubi dominus ecclesiæ totius posuit principatũ, & cętera. Ex quibus omnibus cõcludere uult Iulius, illos inique atq; iniuste Athanasium sede sua priuasse, nec eorum in illum pręualere sententiam indicat, cũ huiusmodi cognitio terminũ in episcopos ad eos minime spectare habeat, nec eorũ Synodum 25 authoritatem ullam habuisse, quoniam sine apostolicæ sedis authoritate celebrata fuit.

23 Nota, prima sedes cõuocandarum generalium Synodorum iura detinet, necnon iudicandi Episcopos, ex Euangelicis, apostolicis atque canonicis institutis.

24 Nota etiam, quòd ipsa est maior & prælata omnibus Ecclesijs.

25 Vides quod Concilia sine Apostolicæ sedis authoritate celebrata nullam habent authoritatem?

Quibus literis apud Antiochiam ubi congregati erant, susceptis, & ubi Constantius Imperator morã trahebat, inito inter se concilio, Iulio Papæ in hunc modũ rescribunt: Domino beatissimo & honorabili patri Iulio Apostolicę sedis venerabili episcopo Eusebius, Theogonius, Theodorus, & Berinthius, unâ cum reliquis fratribus & coepiscopis nostris in Antiochia congregatis. Licet præ omnibus Romanã ecclesiam magnifi-

cam apoſtolicamq; & pietatis matrē noſcamus, ab oriente tamē ad eam pietatis prædicatores aduenisse legimus. Quamobrē optaremus uos nobiſcū concordare, & quos a cõmunione ſuſpendimus, a uobis eſſe ſuſpenſos: Et quos in epiſcopali ordine confirmamus, a uobis & ipſi confirmarentur, nec nos poſteriori loco habendos, cū ex his partibus ad uos uſque prædicantes Apoſtoli peruenerint. Nam neq; nos ſententijs ueſtris obſtitimus, quamuis id agere potuiſſemus, cum Nouatianus a Romana pulſus eſt eccleſia. Et ſubditur: Nec crimine quidē carere poteſt, qui ab alio excõmunicatum, abſque eius licentia ad cõmunionem ſuã ſuſcepit, cū hoc

26 ſacri prohibeant canones. Et ſubditur: Neq; in his ſolum nobis contumeliam ingeritis, ſed quod deterius eſt, concilia noſtra diſſoluitis, nec rata firmaq; eſſe ſinitis. Nã ob diuerſa ſcelera & crimina, Athanaſius Alexandrinus, Paulus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Aſclepius Saræ, & Lucianus Anopolites, a nobis & totius ferè Orientis epiſcopis damnati fuerunt. Quorū aduerſarij apud nos inſcripti habentur, quę ſub certa relatione, ueſtræ ſanctitati mittimus cognoſcenda.

26 Ecce quomodo & hi hæretici ſacrorum canonum authoritatem implorant.

Quæ cum cognoueritis, ſi ſententiæ noſtræ, potius quã eorum machinationibus aſſentire uolueritis, pacē uobiſcum & cõmunionē habere uolumus. Sin uero aliter, & ipſis magis quam nobis conſentire iudicaueritis, & nos contraria celebrabimus, nec uobiſcū deinceps congregari, uobiſq; obedire, aut ueſtris fauere mandatis, omnino curabimus, ſed quæ melius peragenda nouerimus, exequemur. Nam in his partibus nemo ætatē habens reperiri poſſet, qui præfatorum ſeductorum molimina ignoraret. Nam 27 eorū culpa multa perpetrata ſunt mala, crebra cõcilia, diuerſis & aſperis tēporibus celebrata, multæ nobis paratæ ſeditiones, machinationes atque opprobria illata. Quamobrem ſi iſtis conſentire uultis, certū eſt, uelle nos perdere, ut illos teneatis, nec ut pater nos filios uelle fouere. Nam eorummet ciues & conſacerdotes, uos iuuare homicidas affirmant, ſacrorum templorum euerſores, uirginū ſtupratores, ſacrorum librorum incenſores, uaſorum ſimiliter ſacrorum, & myſteriorum quorunq; fraudatores, officiorum neglectores, imperatoribus infidos, gentis & patriæ proditores, & inter ſacerdotes maximas in dies adducentes diſcordias, eo quod conſubſtantialis patris uocē quæ in ſcripturis minime reperitur, in fidei doctrina poſuerunt.

27 Vide hæreticorū proprium: fallere et mentiri. Quæcunq; enim faciebãt ipſi Arriani, Athanaſio & cæteris coepiſcopis impingebant.

Quid plura? Nam ob eorum ſcandala & diſcordias, in his regionibus pluſquã mille homines ſunt interfecti. Talibus ergo fauere, quod aliud eſt, quã eorum conſentire ſceleribus? Et infra ſubditur: Nec tantūmodo hæc Athanaſio impingimus, ſed etiã quod contra regulam quã feceramus, contraire auſus eſt, & non cõmuni epiſcoporum authoritate, ſed ſuamet ſacerdotiū ſibi aſſumpſit, atque in ſede reſedit, cū dudum decretum fuiſſet, nullum a pauciore numero reſtitui debere, quam depoſitum fuiſſe conſtaret. Demū eius aduentu tumultus nõ paruus excitatus in populo, plures ſeditione interfecti, & ab ipſo Athanaſio quidã cęſi, iudicibus dicuntur eſſe contraditi. Quē uos tamen & eius cõplices contra canones, & in Orienta

lium episcoporum contumeliam, uestra olim cõmunione associastis. Verũ nos ob beati Petri honorẽ, debito salutationis officio ueneramur, postulamusq́; ne deinceps huiusmodi uiros, uobiscum admittere uelitis, ne canonum dicamini transgressores, & Deum pro nobis orate.

Quas literas ut summus Pontifex suscepit, corũ apertam iam uidens impietatẽ, rescribens denuo, illos penitus damnat, & sententiam quã pro Athanasio tulit, iuste prolatã, ac iudicium totũ rectissimũ fuisse demonstrat. Cuius epistolæ initium huiusmodi est. Iulius sanctæ 28 Romanæ & Apostolicæ ecclesię episcopus, Eusebio, Theogonio, Theodoro, Berinthio, & cæteris Orientalibus episcopis. Decuerat uos aduersus Sanctam Romanã & Apostolicã ecclesiam, limate & non ironice loqui, quoniam & ipse dominus noster Iesus Christus, eam decenter allocutus ait. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi nõ præualebunt aduersus eã, tibiq; dabo claues regni celorum. Habet enim potestatem singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuas cœlestis regni, quibus uoluerit. Nam si ei detrahere quæ domini ore sacrata atq; superexaltata est non renuistis, nec mirũ si fratribus irrogare iniurias minime cessastis. Et infra: Nã nec dubitare uos credo, Athanasium sacræ legis doctorẽ, nõ solum a nobis, sed etiam Nicena Synodo, ueræ fidei cultorem esse cõprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili sene, qui Arrij prostrauerat blasphemias Alexandrinorum ecclesię suscepit præsulatũ. Aduersus quẽ multa mendacia texentes, nobis eũ multorum malorum causam & caput esse perhibuistis, & nõ solum apud Ægyptum, sed etiam apud Palęstinã & Phęnicem, uicinasq́; gentes, scriptis uestris illum perturbatorem esse significastis.

28 Ecce quod eadem Romana est & Apostolica Ecclesia.

Qua de re ecclesiasticã sequentes regulam, uos & illum Romæ regulariter ad iudicium die statuta, non sub angusto tẽporis spatio, ut excusatio locũ non inueniret, literis & apocrisiarijs euocauimus, illeq; uocatione suscepta, ad diem præstitutũ uenit, sed uos ne uestris mendacijs caperemini, uestræq; calumniæ nudarentur, uenire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti fuistis, sed etiam uidentes oues pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Et infra subdit: Vellem enim uos magis ad iam dictam canonicã conuenire uocationẽ, ut corã simili concilio redderetis rationẽ, cur 29 Synodum in Antiochia ad subuertendũ ecclesiarũ statũ, fratrumq́; & Niceni magni concilij destructionẽ fecistis. Aut cur nobis inconsultis, episcopos in eã conuocastis, ad quã nec Maximus Hierosolymitanus uenit, nec nostra interfuit delegatio, canonibus quippe in Nicena Synodo iubentibus non debere præter sententiam Romani Pontificis ullo modo concilia celebrari, nec episcopos damnari. Aut cur in prædictorum locũ fratrũ alios adulteros posuistis, antequã penes nos, aut nostros legatos, eorum causa canonice esset examinata, finemq́; perciperet rectũ. Et infra, cũ multa contra illos, & quædam de potestate Romanæ ecclesiæ enarrasset, subsequitur: Quare miror tam au-

29 Vides quoties inculcet Ro. Ecclesiæ priuilegia?

daces eſſe,& tam impudenter egiſſe,ut terminos ac iura beati Petri apoſtolorum principis,inuaſiſſetis.

Et infra refert in eadem epiſtola plura capitula ipſius Niceni concilij, quoꝝ primũ eſt,quod in ordine omnium dicitur.xviij. ut omnes epiſcopi,qui in quibuſdã grauioribus pulſantur uel criminantur cauſis, quoties

30 *Ecce quomodo Romana ſedes eſt omnium oppreſſorum Epiſcoporum refugium.*

neceſſe fuerit,libere 30 apoſtolicã appellent ſedẽ,atq; ad candẽ quaſi ad matrẽ fugiant,ut ab ea ſicut ſemper fuit,pie fulciantur,defendantur & liberentur. Cujus diſpoſitioni omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, & epiſcoporũ iudicia, antiqua apoſtolorũ eorumq; ſucceſſorũ, atq; canonum authoritas reſeruauit.Decimum nonũ uero eſt: Placuit ut accuſatus uel iudicatus a cõprouincialibus in aliqua cauſa epiſcopis, licenter appellet & adeat apoſtolicę ſedis pontificẽ,qui aut per ſe,aut per uicarios eius tractare negocium procuret.Et dum iterato iudicio pontifex cauſam ſuam agit,nemo alius in eius loco ponatur aut ordinetur epiſcopus.Aliud uero capitulum eſt;Quod a prouincialibus epiſcopis accuſati cauſam ſcrutari liceat, non tamen diffiniri inconſulto Romano pontifice permiſſum, cũ beato Petro Apoſtolo,non ab alio quã ab ipſo domino dictum ſit; Quęcunq; ligaueris ſuper terrã, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; ſolueris ſuper terrã,& erunt ſoluta & in cœlis. Et proſequitur idẽ ſummus pontifex Iulius recenſendo plura ipſius Niceni concilij capitula,quæ ſi quis legere uoluerit, ſatis ſit deſignaſſe authorẽ, & eius epiſtolam quæ in libris noſtris concilioꝝ inſeritur. Et poſt hæc ſequitur Iulius in eadẽ epiſtola: Si quis autẽ de his ampliora atq; abundantiora ſcire uoluerit, in ſacro eccleſię noſtrę ſedis ſcrinio,& ea quę prędiximus,inuenire poterit.

Poſt hęc cũ in concilio apud Antiochiam cõgregato,Euſebius & alij epiſcopi culpare auſi fuiſſent Iulium,tanq̃ non iuſte de Athanaſio olim iudicaſſet,atq; eũ ſuę ſedi reſtituiſſet,probat Iulius in ea epiſtola,ſe canonice & iuſte in omnibus proceſsiſſe,per hæc uerba : De receptione uero ſedis & ſacerdotij atq; honoris, quę dixiſtis Athanaſium abſque concilij decretis ſuſcepiſſe,non ita inuenimus, ſicut calumniati eſtis,ſed quorundam epiſcoporũ concilio atq; decreto,ſuũ iuſte recepit,quod iniuſte perdiderat ſacerdotiũ,& reſedit in ſede. Quod enim ſcripſiſtis nõ poſſe eum a pauciore numero epiſcoporũ reſtitui quã depoſitus fuerat, non ita eſt. Nec hæc regula orthodoxorũ ſanctæ eccleſiæ eſt epiſcoporũ, ſed Arrianorum,ſociorum uidelicet ueſtrorũ,hæc adinuentio ad perditionẽ orthodoxorũ contexta eſt. Nam uti nobis a ueracibus eſt teſtibus relatum, eo tẽpore cũ apud Antiochiam pro damnatione fidei de cõſubſtantialitate prolatæ,fuiſtis congregati,odio prædicti Athanaſij hanc regulam protuliſtis, quæ nullas habet uires, nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis Epiſcopis hoc concilium actum, nec Romanæ eccleſiæ legatio interfuit.Et ſubdit:Igitur de fuga ſuper quã nunc ultimo Athanaſium repręhenditis,non recte egiſtis, cũ ipſe dominus mandatũ nobis hoc dederit:Cũ perſecuti uos fuerint in una ciuitate,fugite in aliam. Et ipſe domi

nus per ſemetipſum exẽplum nobis demonſtrans, quando phariſæi concilium fecerũt aduerſus eũ, ut occiderent. Sciens autẽ Ieſus diſceſsit inde. Et alias proſequitur ſuper hac re euangelij & apoſtolorũ authoritates. Et deinde ſubdit: Si ergo fugã improperatis fugientibus, potius erubeſcite perſequi quieſcentes. Et plura alia uſque ad finẽ proſequitur in excuſationẽ Athanaſij, & accuſationẽ ipſorũ, atque ſanctæ ſedis Romanæ authoritatem. Quibus literis ſuſceptis, quid ipſi reſponderint, neque apud Græcos, neque apud Latinos ſcriptum comperi.

Verũ Athanaſius dum hæc per Iulium tractantur, ne graues alicui latebræ ſuę fierent, & occaſio calumniæ innocentibus quęreretur, nihil ſibi ultra iam tutum in Conſtantij regno præſumens, ad Conſtantis partes profugus abſcedit, Romamq́; ueniens, a Iulio ſummo pontifice, honorifice & religioſe ſuſceptus eſt. Sed eius cauſam Iulius cũ iam amplius eccleſiaſticis ſanctionibus defendere non ualeret, ad Conſtantẽ retulit, qui licet fama & coniecturis rem ipſam prius concepiſſet, tunc tamẽ diligentius cognita, ad fratrẽ ſuũ Conſtantiũ literas exoratorias ſcribit, ut Athanaſium magni Dei uerũ ſacerdotem, in ſede ſua Alexandrina recipi iubeat, eumq́; ob ſingulares uirtutes apud ſe & Romanũ pontificẽ Iulium, magna reuerentia degere. Quod quidem Conſtantius ad fratris preces inclinatus, cum id facere uellet, ab impijs ſacerdotibus prohibitus, penitus denegauit.

Verũ Conſtans ubi hęc cognouit, exhortationibus Athanaſij & Pauli Conſtantinopolitani epiſcopi, qui ſimiliter a ſede ſua expulſus, Romã ad Iulium confugerat, ſcripſit iterũ fratri Conſtantio, rememorans religionẽ & pietatẽ patris eorum Conſtantini, qui hac uera iuſtitia tyrannos fortiſsimos deuiciſſet, & Romanæ ditioni gẽtes barbaras ſubiugaſſet, quã pietatẽ hæreditario iure conſeruare hortabatur, nec ſacerdotes Dei uiros iuſtos & innocẽtes ob fallacium hominũ inſimulationes perſequi uellet. Quamobrẽ hortatur, ut locũ eligat Orientalibus & Occidentalibus epiſcopis congruentem, quo pariter conuenientibus omnibus generale celebretur concilium, & Athanaſij atque aliorũ qui ſe iniuſte expulſos profitentur, iudicium canonice uentiletur, idq́; Athanaſium expetere, nec quicquam aliud.

Quibus literis cõmotus Conſtantius, elegit Sardicã urbẽ Illyrici, locũ omnibus cõmodum, ubi Orientales mandat congregari pontifices. Conſtans ſimiliter ex Heſperijs ſuis ſupremis partibus epiſcopos trecentos (ut ſcripſit Athanaſius) Sardicã miſit, in quo Oſius Cordubæ, & Protogenes Sardicenſis epiſcopus, legationẽ Iulij gerebant. Qui uero ex oriente conuenerant (ut Sabinus refert) ſeptuaginta ſex numero fuerunt, inter quos & Iſchiras, quẽ Athanaſij accuſatorẽ ſupra deſcripſimus, ad epiſcopatum Mareothis, ut promiſerant, euectus connumerabatur. At reliquorum cum alij ualetudinem corporis, & alij breue tẽpus allegarent, ſe excuſare maluerunt.

Igitur apud Sardicã urbẽ,cũ orientales conueniſſent epiſcopi ad conſpectum occidentalium deuenire ſe continuerunt, nec ſecũ conuenturos prædicabant,niſi Athanaſium & cõplices de eorũ conſortio amouerent. Quod cum occidentales epiſcopi non admitterent, orientales ipſi ſubito diſceſſerunt. Et uenientes Philippolim urbẽ Thraciæ,ſeorſum celebrauere concilium,in quo aperte conſubſtantialitatẽ filij cũ patre damnantes, hæreſim inæqualis ſubſtantiæ epiſtolis conſcribentes,quocunq; dirigere curauerunt. At qui in Sardica occidentales epiſcopi remanſerant,primũ quidẽ eorũ ueſaniam damnauere,deinde Niceni concilij fidẽ confirmantes,conſubſtantialitatem patris & filij,latius expreſſerunt. Inſuper Iulij ſententiam pro Athanaſio,ut canonice latã confirmauere,atq; accuſatores eius dignitatibus priuauerunt, & epiſtolam grandẽ uniuerſis epiſcopis & comminiſtris ſanctę & Apoſtolicę eccleſię conſcripſerunt. In qua enarrantur epiſcoporũ orientaliũ factiones, perſecutionesq; innumeræ, quas orthodoxis epiſcopis induxere, & quemadmodum legitime atque canonice illos pluries uocauere,ſed facinorũ ſuorum conſcientia perterriti, fugę remedium pro criminibus elegerant. Demũ in ea latiſsime fides atque apertiſsime declaretur.

Quæ omnia cũ Conſtanti innotuerunt,doluit quidem fratris leuitatẽ, atque aduerſum huiuſcemodi malorũ incenſores infremuit. Quamobrẽ duos ex Sardicenſi concilio delegit epiſcopos,quos una & Salmianũ uirũ clariſsimũ ad Conſtantium fratrẽ cũ literis duxit mittendos, ſignificans pro certo ſe cõperiſſe, quod ſacerdos Dei ſummi Athanaſius iniuſte fugas & exilia pateretur. Hunc itaque recte faceret,ſi abſque ulla moleſtia loco ſuo reſtitueret: Si id nollet,ſibi curę futurum ut ipſe adimpleret,regniq; eius intima penetrans, pœnas digniſsimas de authoribus ſcelerum ſumeret. Quibus ſcriptis perterritus Conſtantius, quod poſſe facere ea q̃ minabatur conſcius erat, ſimulata benignitate ultro uenire ad ſe Athanaſium iubet,atq; illi in hæc uerba deſcripſit.

Cõſtantius Victor Auguſtus Athanaſio epiſcopo. Diu te errare atq; tẽpeſtatibus per diuerſa æquora uectum,amplius circunferri noſtrę pietatis clementia nõ permittit,nec proprijs te rebus atq; patria priuatum, per inuia ferarũ loca atque deſerta uagantem, noſtra cura non deſpexit. Verũ cũ ultrò te ad nos uenturũ,& laborũ recõpenſationẽ exigere ſperauimus,uſq; ad hoc ipſum tempus tibi noſtras literas dare diſtulimus. Sed quoniam forte quædam detinuit formido, non de cętero hoc præſumas, noſtras has literas pleniſsima largitate inſignes tuę ſanctitati deſtinare curauimus,ut abſq; ullo metu ſeu formidine,libere & ſecure noſtris te aſpectibus prẹſentare nõ differas, quatenus ad tua omnia reſtitutus noſtram experiaris clementiam , atq; in patria propria maximum gratiæ noſtræ pignus poſsideas. Nec multo poſt alias eodem penè tenore Athanaſio direxit epiſtolas. Et paulo poſt alias,atque unà Architum Alexandrinum diaconum miſit,qui eum ad plenum de eius diſpoſitione informare ualeret

ret,ostenderetq; publica sibi parata uehicula, atq; illum sua omnia recepturũ. Quas omnes literas,cũ apud Aquilegiam relicto Sardicensi concilio Athanasius moram trahens suscepisset, confestim Romam pergens, Iulio ostendere non distulit. Qui ob hęc credens Imperatorẽ Constantium uelle iam ueram fidem tenere, uehemẽter gauisus est, ac Roma cũ eo penè tota. Quamobrẽ literas scribit presbyteris,diaconis,& toti plebi Alexãdriam habitantibus, congratulatus primũ eis de reditu Athanasij, & quemadmodum è tot tantisq; persecutionibus,ut aurum examinatus euaserit.Cuius laudes nec ipse se tanti putat,ut illas explicare ualeret,quẽ omnium clarissimũ & admiratur & obseruat.Tandem Christum precatur,ut hoc eius gaudium pręseruet in æternum.

Athanasius igitur iter permittitur ire securus,sed Imperator prius ab impijs consiliarijs admonitus,hęc ad Athanasium loquitur: Non est,inquit,magnũ Athanasi, quod episcopi de te poscunt, ut unam ex multis, quæ sunt apud Alexandriam ecclesijs, concedas populis eorum qui tibi cõmunicare nolunt.Tum ille,Deo ei suggerente,paratũ in tẽpore consilium reperit.Et quid est (inquit) Imperator quod poscenti tibi liceat denegari,qui potestatẽ habes omnibus iubendi? Sed unũ est quod oro, uti meam petitiunculam libenter admittas. Cũq; se omnia quæ uellet,etiam si essent difficillima,promitteret præstaturũ,si unum eis cõcedere uellet. Ait Athanasius:Hoc est quod rogo,ut quia etiam hic(nam apud Antiochiam res agebatur) sunt nostri populi qui istis cõmunicare nolunt,unã eis tenere concedatur ecclesiam. Æquissimũ sibi uideri,& ualde præstandum, lętus respondit Imperator. Sed cũ rem detulisset ad eos quorũ consilijs utebatur,neque ibi se uelle accipere ecclesiam,neq; hic dare respondent,ita Imperator admiratus eius prudentiam, properare ocyus ad suscipiendam suam ecclesiam iubet, literasq; in eius fauorem in hunc modum descripsit.

Constantius Victor Augustus,episcopis Ægypti,presbyteris,& populo Alexandrino. Ecclesiæ catholicæ reuerendissimus episcopus Athanasius Dei fauente gratia minime est derelictus.Nam licet ad breue tempus humanis fuerit casibus agitatus,diuina tamen prouidentia non abiectus,iterum patriæ sediq; suæ atq; tranquillitati restitutũ est. Cui nostrã adesse pietatẽ opportunũ uidetur,ut omnia quæ contra eum, aut contra communicantes ei gesta fuerint, nostræ mansuetudinis decreto omnino aboleantur. Sancimus liberũ esse de cętero episcopis quibuscunque atq; clericis,pariter & cleris & laicis,cum eo pro libito conuenire,& tanti uiri (ut melius nouerint)participatione gaudere,ut illius orationibus suffulti potestatẽ uobis ad cœlestia firmissimã fabricare possitis.Et ne tumultus, aut seditiones quoquo modo apud uos oriãtur, præsidi & iudicibus apud uos degentibus, literis nostrę mansuetudinis iniungimus & mandamus, quatenus omnia hæc summa uigilantia & cura fieri ꝓhibeant, omnesq; seditiosos sine respectu aliquo,legitime tradant uindictę. Vos ergo præ-

fatum uirum omni reuerentia & honore colite, atq; orationes cũ eo pro nobis ipsis tum pro nostra clementia omnipotenti Deo offerte.

Tum beatus Athanasius per Syriam iter aggressus, & exinde per Palestinã transiens, Hierosolymã ad Maximũ eius urbis episcopum uenit, illiq; indicans gesta concilij Sardicensis. Et quemadmodũ eorum decreto Constantius Imperator assenserat, persuadere facillime ualuit, ut ex episcopis omnibus Syriæ & Palęstinæ, Maximus 31 Concilium congregaret, atque in eo Sardicensis concilij gesta confirmauit, communionemq; Athanasio restituit. De quibus omnibus episcopis Ægypti & Libyę epistolam, clericisq; & plebi ea Synodus scripsit: Quæ, ut noluerunt Vrsatius & Valens, qui ex ducibus Arrianę perfidię extiterant, facto libello pœnitentiæ, & Romam ad Iulium profecti, ueniam promeruere, atque Athanasio per literas se cõmunicare omnibus professi sunt.

31 *Nõ fuit generale hoc Concilium sed prouinciale, nam illud Maximus non potuisset indicere.*

Athanasius uerò è Hierosolymis discedens, per Pelusium iter ad Alexandriam ducens, & diuersas intrans ciuitates, populos quoscunque consubstantialitatis fidem arripere magno Dei feruore edocebat. Et cum catholici non adessent episcopi, ordinationes aliquas celebrasse describitur, quod occasionẽ maleuolis contra eũ malignandi præbuisse in sequẽtibus enarrabitur. Veniens igitur Athanasius in Ægyptũ, & intrans Alexandriam undecimo Constantij anno, tanta lætitia, imo uerò gestienti exultatione a catholico populo receptus est, ut ab eius ingressu ob ingentem lætitiam plures dies festos, solennesq; agerent.

At beatus Athanasius curã episcopalem gerens, primũ episcoporum Ægyptiorꝫ synodum congregauit, in qua apud Sardicam gesta & apud Hierosolymã confirmauit, ipsi etiam confirmarunt, & abinde lęta pace discesserunt. Post hoc quos nouit per Ægyptũ Arrij sectatores, episcopis a sede depositis, consecrauit catholicos, & Niceni concilij fidem omnino custodiri mãdauit. Ipse uerò prædicationibus publicis incumbens, cũ rectam fidem explanabat, tum Arrianorum hæresim fortissime destruebat. Quamobrẽ catholica crescebat ecclesia, & catholicus populus diebus singulis religiosa lætitia exultabat. Deinde per diuersa loca ecclesias suæ prouinciæ solenniter circumiens, plebẽ salutari doctrina, & uera Christi fide instruere satagebat. Et cũ ad locũ Thebanensium semel nauigio perueniret, idq; Pachumius miræ sanctitatis monachus cognouisset, qui regula ab angelo suscepta, in ea loca monasteria summæ religionis instituerat, statim se cũ uniuersis monachis eius præparauit occursum, omnesq; gaudentes & exultantes, cum 32 psalmis & hymnis magnũ suscepere pontificem. Et erat ingens multitudo fratrũ, qui omnes de aduentu eius lætabantur in domino, quanquã Pachumius se Athanasio nõ propalauerit, cũ sciret Teuthyriorꝫ episcopũ apud 33 Athanasium institisse, ut se ad presbyteratus honorẽ ordinaret. Quamobrẽ inter monachorꝫ agmina delitescens, quousq; præteriret episcopus, se absentauit, quem intime Pachumius uenerabatur, ut nullum præstantiorẽ ipsis tẽporibus hominem

32 *Nota, Cum psalmis & hymnis magnum suscepere pontificem.*

33 *Quæro o hæretice, cur hic episcopus non instit apud Magistratũ & plebem, sed apud*

nem diceret. Cōpererat enim ſanctam uitam eius,& perſecutiones innumeras,quas ab Arrianis pro uera Chriſti confeſsione pertulerat.Charitatem quoque quā erga uniuerſos,& maxime monachos exhibebat,intento mirabatur animo,eumq; toto cordis uenerabatur affectu,atque hęreticos 34 omnes penitus exhorrebat.

Per idem ferè tēpus adhuc uiuens Antonius, mirabilis monachus, de quo ſupra meminimus,& in longo iam ſenio conſtitutus, dū circa ſe ſedentibus fratribus ipſe etiam ſuis manibus operaretur,intente oculos defixit in cœlum,gemens atq; ſuſpirans, & poſt aliquantulum ſpatium reuelationis incœptę nimio dolore contremuit,& ſtatim 35 genibus flexis ante Dei uultum prouolutus orat,ut ſua clementia futurū auerteret ſcelus. Succedunt orationi lachrymę,metus ingens inuadit,pręſentes obſecrant,ut tantę calamitatis exponeret uiſionē.Singultus occupant uocē, lingua fletibus præpeditur,& in medio conatu ſermo gemitu interrumpitur,uix cū uociferatione luctuoſa ait: Melius erat,o filioli,impendens piaculum cita morte lucrari,ſic incipiens, rurſum lachrymis uincitur, & inter ægra ſuſpiria,tandē pectori accōmodans uocem; Magnum,inquit, quoddā & uniuerſis ſeculis inauditum nimium nefas,magno fides catholica turbine ſubuertetur,& homines iumentis ſimiles, Chriſti ſacra diripient. Vidi enim altare domini mulorꝝ circundatū multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia diſsipabant.Hęc eſt cauſa gemituū meorum, quos audiſtis.Et facta eſt uox domini ad eū,dicens: Abominabitur altare meū.Nec mora (ut ſequitur Athanaſius referens hæc in uita beati Antonij) uiſionis ſequitur effectus.Nam poſt annos duos ſæua Arrianorꝝ erupit inſania. Tunc 36 eccleſiæ,tunc diuino uaſa, tunc pollutis iniquorū manibus ſacra polluta ſunt myſteria. Et alia plura abominanda enarrat Athanaſius quę in ſequentibus(per eius quā ad orthodoxos de his rebus ſcripſit epiſtolam) diffuſius innoteſcent.

Athanaſium tantum, ut Pachumius presbyter ordinaretur, niſi quia ordinationes pſbyterorū & reliquorum inferiorum gradũm ſemper ad Epiſcopos & non ad alios pertinuerunt?

34 Semper ſancti uiri hæreticos omnes auerſati ſunt.

35 Genibus flexis ante Dei uultum prouolutus orat.

36 Vide hæreticorum nota indicia.

Nam poſt duos annos,cū Magnentij tyranni ſcelere,Imperator Conſtans haud longe ab Hiſpania in caſtro cui Helenæ nomen eſt, regno ſimul & uita fuiſſet exēptus,anno ætatis ſuæ.xxx.& Imperij.xij.rurſum in Athanaſium ueteres illi falſorum criminū incentores, principis odia ſuſcitare cęperunt.Nam ſuggerebant Imperatori omnē per eū Ægyptū & Lybiam ſubuerſas fuiſſe, eumq; cōtra eccleſiaſticos canones in alienis dioceſibus ordinationes celebraſſe. Et ut in odium illius Imperatorē magis ac magis impellerent, ad memoriam reuocare non deſiſtebant, quaſi ille idē fuiſſet,qui fratrē ſibi inimicū fecerit,ac penè ad bella cōtra ipſum impulerit. Quibus leuis Imperator facile cōmotus,& omniū quæ prius ſibi placuerant oblitus,nedum expelli Athanaſium a ſede ſua, ſed interfici penitus imperat. Tunc Euſebius,Theogonius,Narciſſus,Cylex,Patrophilus,& complices apud Antiochiam numero triginta congregati, Georgium quendā Cappadocē Alexandrinorꝝ ordinauere epiſcopum. Et cū eo Sebaſtianū quendam Manichæum præfectum militum iuſſu

principis mittunt, qui cum pluribus quàm quinque milibus armatis Alexandriam uenientes, Philagrium adeunt Ægypti præfectum, uirum quidē pessimum, & qui Eusebij partibus fauere consueuerat.

Is principis Constantij præceptis, & episcoporum decreto suscepto, honorifice Georgium excipiens, omnes eius uoluntates se executurum alacriter pollicetur, nec id minus opere impleuit. Nam quanta strage in Dei ecclesias, & fidelem populum unà cum Georgio debacchatus fuerit, horret animus scribere & ea referre, quæ diligētissime Athanasius in præfata epistola ad Orthodoxos copiosissime atque eloquentissime enarrauit. Quam nos infra totam ferè (ut apud Græcos iacet) in Latinum stylum uertentes subijciemus, uerumq; modum, quo de inimicorum manibus euaserit Athanasius, ipse idem latius in eo libro, quem de satisfactione suæ fugæ conscripsit, enarrat. Non pigebit eius rei seriem per eiusmet uerba subijcere.

Nam cū in Christi populos diebus singulis Arrianus Georgius grassaretur, quærebat opportunitatem & modum, quo Athanasium comprehendere posset. Contigit id post parasceuem domini. Ad quandam ecclesiam fidelem solitus erat habitare, atque nunc una adorat, & magno cum populo uigilias celebrat, sequēti scilicet die collectam celebraturus. Quod cū innotuit Georgio & Philagrio præfecto, continuo affuit dux cum militibus excedentibus numerū quinq; millium, quos armatos statuens in circuitu ecclesiæ cum gladijs enudatis, arcubusq; & sagittis, atq; diuersorum generum telis, ita illos sibi cohærentes disposuit, ut nemo egredientium ab ecclesia eorum manus posset euadere. Et ut ipse de seipso loquens prosequitur: Ego quidem (inquit) irrationabile iudicans populū derelinquere, & non potius ante illum sufferre pericula, residens in sede, iussi diaconum psalmū legere, atq; populum respondere, quoniam in seculum misericordia eius. Et sic per unam portarū ecclesiæ exeuntes, omnes in domū suam absq; aliqua reluctatione abierunt. Verū ingrediente duce cū aliquibus militibus ut nos caperet, quidā clerici, & qui ibi adhuc remanserant populi clamitabant, poscebantq;, ut nos unà cum populis discederemus. Ego autem magis contra affirmabam, non uideri conueniens, nisi prius omnes sigillatim exissent, nos à loco discedere, ne propter nos in populū aliqua fieret irruptio, affirmans me melius esse periculis subiacere, quàm aliquam uel minimā propter me læsionē pati. Igitur egredientibus plurimis & reliquis subsequentibus, clerici quidam ad nos accedentes de sede traxerunt. Et testis est ipse deus, (qui nobis hoc sua pietate donauit) quod militibus sacrarium circundantibus, & alijs per ecclesiam discurrentibus, per ipsos medios nos fugā tenentes, pericula euitauimus, deum in omnibus glorificantes, qui populum ab impiorum strage liberare, & nos de persequentium manibus eripere dignatus est.

Fugiens igitur Athanasius, apud aliam quandā ecclesiam in Alexandria delituit. Nec aliud iā ualens in agro Christi operari, diuinis lectioni-

bus & orationibus incumbens, ſcribebat frequenter ad Orthodoxos omnes, & potiſsimum epiſcopos, quos ad tolerantiam perſecutionum pro recta Chriſti fide, exhortando ne frangi uelint, aut commiſſas ſibi oues pro uiribus à lupis dilacerari, deuorariq; permittant, totis uiribus prædicabat. Inter quas præfata eſt illa Epiſtola magna atque pulcherrima, quam ad omnes ubique orthodoxos diligenti cura direxit, in qua Arrianorum perſecutiones, quas apud Alexandriam ipſe ſimul cum tota perpeſſus fuerat eccleſia enarrans, illius calamitates miſerabiliter deflet, quæ talis eſt.

Omnibus ubiq; orthodoxis Athanaſius epiſcopus ſalutē in Chriſto. Ea quidē quæ perpeſſi ſumus grauia ſunt & intolerabilia, & quæ digne non queant explicari. Vt autem celerius & facilius eorum acerbitas atq; immanitas poſſit agnoſci, hiſtoriam de ſcripturis opportune recenſendam arbitratus ſum. Quidam leuita aliquando ob uxorem nefaria iniuria oppreſſam, uiolatus, eamq; contumeliam indigne ferens (Hebræa enim erat mulier, atque ex tribu Iuda) commotus magnitudine ſceleris in ſe admiſſi, ſicut ſacra iudicum teſtatur hiſtoria, conciſam infruſta mulierem, miſit per ſingulas Iſraeliticas tribus, ne in ſe ſolum, uerum & in omnes huiuſmodi nequitia admiſſa uideretur, ut ſiquidem eos moueret indignitas rei, ulciſci in reos pergerent, ſui uero negligerent, ac ſi ſcelus ipſi admiſiſſent, erubeſcerent. Et hi quidem, qui miſſi fuerant, cunctis rei geſtæ ſeriem annunciabant. Illi uero audientes, flagitijq; iudicia cernentes, dicebant nihil unquam tale contigiſſe, ex qua die aſcenderant ex Ægypto filij Iſrael. Denique commotæ ſunt omnes tribus filiorū Iſrael, omneſq; non ſecus ac ſi uiolati eſſent, contra ſceleris authores conuenere tandemq; uiolatores illi expugnati ſunt, & apud omnes anathema facti. Non enim qui aduerſus eos conuenerant, quod eſſent cognati intuebantur, ſed ſolam iniquitatis magnitudinem aſpiciebant.

Noſtis hiſtoriam fratres, & quæ de hac re ſcriptura ſignificet, non ignoratis. Non itaque ſcientibus plura ingerenda ſunt, cum ea quæ nobis modo contigerunt, illis profecto duriora ueſtræ unanimitati potius inſinuanda ſint. Idcirco enim huius hiſtoriæ meminimus, ut illa quæ tunc geſta ſunt, cladibus noſtris conferentes, & noſtra illorum atrocitatem ſuperare cernentes, amplius uos modo, quam illi tunc aduerſus iniquitatis authores indignemini. Nempe enim & perſecutionis acerbitas in nos graſſata, omnem excedit immanitatis modum. Et quæ tunc contigere Leuitis eis comparata, quæ modo eccleſia perpeſſa, nulla ſunt magiſque iſta nunquam audita ſunt in toto orbe contigiſſe, tantaſque clades nemo unquam expertus memoratur. Tunc enim mulier una uiolata eſt, unuſque Leuites affectus contumelia: Nunc autem omnis uiolata eſt eccleſia, totumque ſimul ſacerdotium contumelijs affectum eſt. Et quod maius eſt, pietatem inſectatur impietas. Ac tum quidem mulieris unius quælibet tribus aſpiciens partem, dolore commota eſt:

Nunc autem cernitis totius ecclesiæ membra diuisa, partimq; ad uos, & partim ad alios mitti, qui nuncient iniuriam & contumeliam quam pertulerunt. Moueat ergo & uos obsecro cōmunis cladis miseratio, ac si uos ipsi eadem nobiscum pertuleritis, singuliq; ueluti passionis socij, ferre opem, ne sensim ecclesiastici 37 canones atque ecclesiæ fides uioletur. Nam periclitatur utrunque, nisi per uos deus errata corrigat, & ultra ne patiatur ecclesia. Non enim 38 nuper regulæ fidei ac formę sunt ecclesijs datę, sed à patribus nostris optimę atque firmissimę traditę. Neque modo cœpit fides, uerum à domino per discipulos ad nos usque emanauit. Nec igitur quę ab initio in ecclesijs ad nos usque seruata sunt, diebus nostris conuellantur, & quę nobis credita sunt, requirantur à nobis. Mouemini fratres, tanquam dispensatores optimi mysteriorum Dei, neque ab alijs quę uobis credita sunt, rapi patiamini. Audituri quidē estis à tabellarijs, ac nuncijs plurima, breuiter tamen ea uobis à me indicanda putaui, ut reuera possitis aduertere contra ecclesiam talia nunquam contigisse, ex qua die Saluator assumptus, discipulis mandauit, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quę igitur aduersum nos, aduersumq; ecclesiam impie admissa sunt, ita accipite fratres.

37 *Ecce quantam Ecclesiasticis Canonibus habet reuerentiam, quos quidam nunc tantopere despiciunt.*

38 *Hic habes quæ fides sit nobis tenēda, nempe quæ à domino nostro Iesu Christo prædicata est, & quæ per discipulos eius eorūq; successores ad nos usque dimanauit, et nō quæ à paucis de nouo introducitur. Et ne unam quidem syllabā de diuinis dogmatibus corrumpi pati debemus.*

Cum de more pacatis rebus, quiete & cum disciplina domini conueniremus, lętantibus populis, ac proficientibus in fide, & in 39 operibus bonis, sacerdotesq; ac ministri domini per Ægyptum, Thebaidem, ac Libyam pacem inter se ac uobiscum haberent, mutuaq; charitate adstricti teneremur, repente prefectus Ægypti literas in morem edicti proposuit, publice Georgium quendam ex Cappadocia ex pręcepto ingredi, qui mihi succederet, significātes. Hęc primum fama perturbauit omnes. Erat quippe id nouum, & nunc primum auditum. At uerò populi studiosius ad ecclesias conueniebant, cū pręsertim animaduerterent, neque seipsos, neq; episcopum aliquē, neq; presbyterum, neq; omnino aliquē aduersum nos unq̄ aliquid proposuisse, solosq; cum illo Arrianos aspicerent, ac ipsum Arrianum scirent Arrianis ab Eusebio episcopū missum, non autem ignorantes fratres Eusebium, atque illius complices, duces ac præceptores esse Arrianæ impietatis, qui nobis semper insidiati sunt, nostræq; in Galliam peregrinationis authores fuerunt. Propterea enim & populi meritò indignabantur ac recidiuabant, iudicesq; alios testes citabant, ac totam simul ciuitatem conturbabant, nulla unq̄ ab ecclesiasticis querimonia proposita, solisq; Arrianis hæreticis ista contra nos concionantibus, huiusmodi nouitates & iniquitates aduersus ecclesiā fieri. Sed & si qua in nos querimonia inualuisset, opportuisset non Arrianum hominem de nobis ferre sententiam, sed iuxta 40 ecclesiasticos canones, ac secundū Pauli monita, congregatis populis & spiritu sancto dictante, cum uirtute domini nostri Iesu Christi omnia canonice examinari atq; disponi, præsentibus ac postulantibus populis & clericis, non extrinsece

39 *Vides quomodo profectui fidei adiungit etiam bonorum operum profectum, nēpe quid alterū sine altero non sufficit ad salutem.*

40 *Quoties Ecclesiasticorum canonum mentionē facit? Scis quare? Quia hi recte obseruati, totam Ecclesiam in officio continent ac regulari disciplina.*

ab

ab Arrianis sceleratis nundinis mercantibus episcopi nomen, ad eos qui non postularent, neque uellent, neq; omnino cuperent, sed scirent ipsum exteriorum iudicum potestate ac iuribus fretũ, improbe nimis inijcere. Solui ex hoc ecclesiasticos canones gentesq; ad blasphemandum impelli atque ad dicendum non diuinis legibus, neq; secundum iura maiorum, sed execrabilibus nundinis, ac per uim ecclesiæ præsules statui. Hæc fuit nefaria Georgij promotio, atque huiusmodi initium habuit.

Cæterum ipsius in Alexandriam ingressus, quę scelera effecerit, quantarumq; cladium causa fuerit, poteritis partim ex his quæ scribimus, partim ex his qui proficiscuntur ad eos interrogando perdiscere. Indignantibus populis ac moleste ferentibus, atq; ad ecclesias idcirco confluentibus, ne per huiuscemodi nouitatē Arriana perfidia fidei ecclesiæ misceretur, Philagrius, qui & dudũ ecclesiam eiusdem uirginis temerare præsumpserat, & nunc Ægypti præfectus erat præuaricator impius, Georgij sodalis, omni pollutus scelere, præceptore utens Eusebio, atq; ideo contra ecclesiam studens, inducit Gentiles atque Iudæos, & indisciplinatos quosque, ac pollicitationibus illectos. Quos etiam postea reddidit, ut unà cum Arrianis, ut & ipsi Arriani crederentur, ad ecclesias pergant. Similiter & armatos gladijs ac fustibus repente in ecclesias fidelibus populis plenas immittit. Quid ex eo contigerit, non iam dici facile potest. Neq; enim digne illud exprimi fas est, nec absq; singultibus, & lachrymis ex his uel pauca perstringere possumus. Quæ enim apud ueteres lecta est hanc nostram exæquasse calamitas, aut quid tale unquam in bello & persecutione patratum est? Ecclesia enim, sanctumq; baptisterium, iniectis ignibus uritur. 41 Eiulatibus & lamentationibus ac luctibus continuo ciuitas resonat, indignantibus & ciuibus in his quæ fiebant, & reclamantibus, uimq; testantibus. Nam sacræ & immaculatæ uirgines, nudatæ uestibus, ea patiebantur, quæ nefas est dici, reluctantes, iniuriæ periclitabantur, cõculcati monachi moriebantur. Ex plebe uero alij patebant prędæ, alij ferro ac fustibus perimebantur, alij uulnera, cędes alij referebant. At uero supra sacrosanctum altare, quid impietatis, quid sceleris admissum sit, hæreret animus dicere. Aues enim & nucleos quosq; immolabant, simulacra laudantes sua, & in ipsis ecclesijs dominum nostrũ Iesum Christum blasphemantes sempiterni patris filium. Sacræ autem scripturæ libros, quos in ecclesia inuenerunt, incenderunt. Locum uero sancti baptisterij (me miserum) Iudæi domini interfectores ac Gentiles impij, passim absque ulla reuerentia ingressi, adeo obscęna gerebant & loquebantur, nudos se ingerentes, ut ea uel dicere erubescamus. Pleriq; autem ex impiorum numero immanitatem persecutionis imitati, uirgines & continentes comprehensos pertrahebant, & contumelijs affectos blasphemare cogebant, & negare dominũ nostrũ renuentes, concidebant uerberibus, & conculcabant. Hic admirabilis atq; p̃clarus fuerat Arriani Georgij ingressus, inter quæ merito gloriari ac tantis malis gratulari poterat.

41 *Lege omnia scelera quæ hic in Dei Ecclesias et eius ministros perpetrata sunt: & uidebis hæreticos si non Gentiles omnes impietate superare, saltē illis similes per omnia esse, quæ utinam etiam nostro tēpore i Germaniæ partibus nõ contigissent.*

Verum huiusmodi tam sceleratæ uictoriæ, ueluti præmium ac mercedem Iudæis atque Gentilibus, & cæteris nostræ cladis authoribus prębens, ecclesiam in prædam dedit. Hac uero illis licentia nequissime permissa, perturbatis omnibus, atrociora hostibus ac latronibus moliebantur. Alij enim obuia quæq; rapiebant, alij depositum quorunlibet sibi diuidebant, uinumq; quod permultum erat, aut exhauriebant, aut bibebant, aut asportabant, repositumque oleum diripiebant, postes atque cancellos, ueluti stercora, prout cuique libitum erat, deferebant. Candelabra parieti affixa, & ecclesiæ cæreos incendebant idolis, ac per omnem ecclesiam cędes prorsus ac rapinæ feruebant. Neque his contenti quæ faciebant Arriani impij, deteriora his atque atrociora addunt. Presbyteri nanque & Laici concidebantur, uirgines nudatæ ad tribunal pręsidis abducebantur, atq; in custodiam mittebantur. Alij publice uirgis cęsi sunt, ministrorumq; Dei ac uirginum consueta annona subducta. Hæc autem ipsis sacræ quadragesimæ diebus circa 42 paschalem solennitatē contigerunt, quando ieiunantibus fratribus, præclarus Georgius Caiaphæ in morē cū Pilato præside contra Christi famulos debacchabatur.

42 *Ecce paschalem solennitatem, ecce Quadragesimale ieiuniū.*

Ingressus denique unà cum pręside atque Gentilibus in unam ecclesiam 43 die Sancto Parasceue, ubi uidit populos uiolentum ingressum ipsius auersari, impulit crudelissimum præsidem una hora quadraginta & quatuor uirgines coniugatas, & ingenuos uiros publice flagellis cędere, & in carcerem mittere. Inter cæteras notam uirginem quandam, obsistere liberius audentem, psalteriumq; adhuc tenentem manibus cędi publice iussit, direptoq; à carnificibus libro, uirgo ipsa carceri inclusa est. Neque his contenti quieuerunt, uerum & in alia ecclesia, in qua illis maxime diebus habitabam, eadem facere intendebant, studentes & illa in ecclesiam uesaniæ suæ fręna laxare, ut me perimerent, quod & factum esset, nisi Christi pręuenisset gratia, ut uel sic effugiens, pauca ex his annuntiare possim. Ego enim cum eos cernerem summa rabie ferri, reputans ne ecclesia per me læderetur, ne uirgines in illa paterentur, cędesq; denuo fierent, ac secundo populi uiolarentur, meipsum caute subduxi, memor domini dicentis: Si uos persecuti fuerint ex una ciuitate, fugite in aliam*. Conijciebam enim illos ex his quæ in alia ecclesia patrauerant sceleribus, nihil in ea quoque immanitatis omissuros. Quandoquidem ne ipsam quidem dominicam sanctamq; solennitatem reueriti fuerant, cum ipsius quoque ecclesię homines in uincula coniecerant, in 44 qua dominus omnes à nexibus mortis absoluit. Cum uero Georgius & qui cum ipso erant, ac si contra dominum Saluatorem pugnarent, potestate præsidis freti, libertatis diem, seruis Christi lugubrem fecerunt. Nam Gentiles quidem illum diem in lætitia agebant. Georgius uero Eusebij fortassis obtemperans monitis, Christianos constrictos uinculis, lugere cogebat. Hoc igitur modo pręses per uim ecclesias rapuit, raptasq; Georgio tradidit Arrianorum principi.

43 *Die sancto parasceue.*

44 *Vide beneficium collatum in die passionis dominicæ.*

Et hi quidem qui abiecti à nobis fuerant, impietatis merito ecclesiarum rapinis gloriantur. Dei autem populus, & ecclesiæ catholicæ clerus, aut hęreticorum impietate, & communione inquinari coguntur, aut ingredi non permittuntur ecclesias. Nam & 45 nauium gubernatoribus ac reliquis mare nauigantibus, non minimam uim ac necessitatem imponit Georgius, præsidis authoritate alios crucians, alios carceri mancipans, uti ne quid ipsius iniquitati contraire audeant, sed & literas ab eo percipiant. Nec his quidem contentus (ut nostro cruore satietur) fecit sęuissimum suæ iniquitatis ministrum præfectum qui decretum quasi ex persona populi contra me scribentis pijssimo Constantio Augusto, machinatus est, inuidiosis plenum uerbis. Ex quo non modo non euadere, uerum & mille mortes expectare possumus. At is quidem, qui decretũ conscripsit, transgressor est, & ex Christiano Gentilis impudens simulacra colit. Qui uero subscripsere, Gentiles & templorum ęditui, & unà cum ipsis Arriani.

45 *Conspicis ex his omnibus bone lector, quales sint Episcopi hæreticorum.*

Et (ne sim in scribendo prolixior) persecutio hic uiget, & talis persecutio, qualis antea nunquam in ecclesia fuit. Nam in præterita quidem persecutione, uel fugiens quispiam, orare poterat, occulteq; baptizari. Quæ uero modo grassatur sæua tempestas, Babylonicam impietatem imitatur. Sicut enim illi tunc aduersus Danielem, ita & modo mirabilis Georgius intra domos orantes, apud pręfectum insimulat, ministrosq; Dei contumeliose obseruat, adeo ut hac obseruatione uiolenta pleriq; sine baptismate periclitentur, multi item absque uisitationis obsequio infirmentur & doleant, morbo duriorem eam calamitatem arbitrantes. Cum enim ecclesiæ ministri persecutionem patiantur, populi impietatem Arrianorum execrantes, malunt ita morbis contabescere ac periclitari, quam Arrianorum manus suis capitibus imponi. Arrianus itaque Georgius est, atque ab Arrianis missus. Nullus enim præter ipsos illum ordinari expetijt, atque ideo quasi mercenarius atque alienus catholicæ ecclesiæ populos, ut qui sui non sunt, diris & grauissimis incõmodis præsidis ope subnixus afficit. Quia enim Gregorium, quem Eusebius Arrianus episcopum constituerat, acceptis literis de illo nostris, uos omnes catholicæ ecclesiæ episcopi, scitis quam iuste ob impietatem anathemati subiectum abiecistis. Idcirco eisdem Arrianis nuper Georgium misit, ac ne secundo etiam confunderetur, si rursus contra illum scriberemus, ideo exterius contra nos usus est iuribus, ut ecclesiarum potiti Arrianæ hæreseos opinionem uiderentur effugere. Verum & in hoc sua illos fefellit opinio, quoniam soli illi communicant hæretici, & iustis ex causis eiecti, & quinque alij per necessitatem præsidis simulant. Est autem hæc Eusebij factio.

Ista dudum quidem Eusebius, & qui cum eo sunt, meditabantur atque concinnabant. Nunc autem & in opus proferre potuerunt ca-

luminiarum causas, quibus nos insimularent apud regem, nec sic quidem quiescunt. Verum quoniam quoque nos occidere quærunt, uestris necessarijs terribiles imminent, adeo ut omnes effugerint, mortemq; ab illis quotidie expectent. Sed non ideo uos illorum improbitas perterrere debet, uerum magis & ulcisci conuenit, & indignari in huiusmodi iniquitatis authores. Si enim dum unum membrum patitur, compatiuntur & omnia membra, & iuxta beatum Apostolum, oportet flere cum flentibus, pro affecta huiusmodi iniurijs ecclesia, & talia tantaq; patiente, unusquisque ac si ipse patiatur, uindex esse pro uiribus studeat. Communis nanque Saluator est qui blasphematur ab ipsis, communesq; omnium 46 canones, qui ab ipsis conculcantur. Quocirca indignari nos conuenit, & grauiter ferre, ne si ista negligitis, sensim in singulas ecclesias huiusmodi clades excurrat, iamq; uenalis fiat antistitis dignitas. Non ignoratis dilectissimi Arrianorum perfidiam, quippe quorum impietatem priuatim ac publice omnes crebro dãnastis. Nostis item Eusebium eiusq; complices, eiusdem, ut prædixi, hæresis æmulos, cuius gratia nobis etiam pridem insidiati sunt.

46 *Ecce iterum conculcatorum canonũ deploratio.*

Quæ uero propter eos atque ab eis gesta sunt, bellis omnibus immaniora indicaui omnibus, ut iuxta eam, quam uobis proposuimus historiam, assumpto zelo optimo, auersatiq; malum, tollatis de medio eos, qui contra ecclesiam tam nefaria scelera tanta improbitate perpetrarunt. Si enim propterea hi qui Romæ sunt fratres, cũ ista necdum contigissent, priorum tantum causa synodum fieri mandarunt, ut illa quoque uindicarentur, eamq; ueritus Eusebius ac socij ecclesiam perturbare aggressi sunt, & nos punire instituerunt, uti iam licito quæ uellent agerent, neminem habentes qui se argueret impietatis, quanto magis huiusmodi sceleribus indignari uos debetis, eaq; uestra damnare sententia, quę prioribus illi addiderunt? Nolite oro negligere, neque permittatis famosissimam Alexandrinam ecclesiam calcari ab hæreticis atque pessundari. Idcirco nanq; merito, & populus & clerus seorsum sunt, præfecti quidem metu reticentes, cæterum Arrianorũ impietatem execrantes. Si igitur ad uos Georgius scripserit, uel alius pro eo quispiam, nolite fratres ipsius suscipere literas, sed scindite, atque huiusmodi tabellarios, ut impios iniquitatisq; ministros, auersemini. Quód si etiam pacifice præsumpserit scribere, ne sic quidem illas suscipite. Metu enim præsidis, qui eas accipiunt, perferunt. Quoniam uero & Eusebium de eo uobis scripturum præsumimus, ideo uos præmonere curaui, ut & in hoc Deum imitantes, qui personas nõ suscipit, huiusmodi omnino nuntios abijciatis. Hi enim sunt qui nuper persecutiones & uiolationes uirginum, ac neces rapinasq; ecclesiarum & incendia atque blasphemias, Arrianorum gratia â gentilibus ac Iudæis fieri curarunt. Neq; uero impius insanusq; Georgius Arrianum sese denegabit. Arguetur enim ex subscriptione literarum suarum, eas quippe subscribit, Amen.

Dum

Dum quidem a beato Alexandro prędecessore meo, multorū criminum, impietatisq; hortatur, abiectus de ecclesia est. Nobis igitur omnino rescribite, ipsiq; hos execremini & insectemini literis, ut & qui modo supersunt ministri populiq; fideles, fidei uestrę syncerītatem, zelumq; iustitiæ cernentes, gratulentur uestrę fidei unanimitati. Qui uero talia contra ecclesiam, & tam iniqua præsumpsere, uestris literis coerceantur, nec ut sero poenitentiam agere ualeant uel resipiscere. Salutare fratres qui uobiscum sunt. Vos omnes mecum fratres, omni officio salutant incolumes, ac nostri memores dominus noster omnipotens tueatur domini desideratissimi.

Verum dum huiusmodi epistolę per Athanasium ad diuersos diriguntur, rursus contra eum principis edicta consurgunt, præmiaq; & honores reuelantibus, per omnem locum ponuntur, sic rursus uitam illam in latebris ducere cogebatur. At ipse constanti & inuincibili animo omnia perferens, lectionibus plurimum & orationibus coram domino pro Christiano populo diebus singulis instabat. Nec multo ante Athanasij expulsionē, Paulus Constantinopolitanus episcopus, in exiliū deportari iussus, apud Cucusum Armenię oppidū, crudelitate Philippi præfecti, & Arrianorum factione strangulatus fuerat. Simili modo Marcellus de ecclesia Ancyræ deiectus, sedē rursus Arriano Basileo occupandam reliquit. Lucius etiam apud Adrianopolim ferro uinctus, in carceribus miserabiliter diem obijt. Interea Constantius contra Magnentium exercitum mittens, belli euentum apud Syrinium expectabat. Nec minus ipse contra ueros Christi cultores bellum aliud præparabat. Nam iubet ibidē eo pręsente, episcoporum concilium congregari. Ad quod artificijs quibusdam Osius Cordubensis inuitus attractatus, & ui cōpulsus, diffinitioni eius concilij non sine infamia se subscripsit. Sed interim interfecto Magnentio tyranno, & sic uindicta necis fraternę peracta, Constantius cum iam regni parte solus potiretur, ad occidentis partes deueniens, aggreditur occidentales episcopos fatigare, atque per præceptionem illos ad consensum Arrianæ hæreseos cogere.

Et primū condemnationē Athanasij, ut uelut obicis ualidissimę obiectione sublata facillime progrediatur ad reliqua, omni diligentia fieri parabat. Interim Iulius cū quindecim annis Romanā rexisset ecclesiam, ad meliora trāslatus, decessit, & episcopalem sedē Liberius ei succedens adeptus est. Quo tēpore Constantius apud Mediolanū concilium aliud congregari iubet, ad quod ex orientalibus non multi conuenire potuerunt, alijs ob senectutē, seu itineris longitudinē se excusantibus. Ex occidentalibus uerò plusquā trecenti mandato principis confluxerunt. 47 Concilio igitur congregato, orientalium episcoporum decretum, in Athanasij condemnationē latum, primū proponitur, ut eo per occidentales episcopos confirmato, aditus ad Alexandriam ei penitus concludatur. Cui ex occidentalibus plures se subscribentes, decepti sunt. Sed Dionysius Me-

47 *Concilium hoc uiolentum fuit & per imperialem potestatem arctatum, unde simile cū Ariminensi perpetua infamiæ nota pulsum, ut ex historijs habes.*

diolanensis episcopus, & Eusebius Vercellensis, Paulinus Galliarum metropolitanus, & Lucifer Caralitanus insularū Sardiniæ metropolitanus, dolum esse in negocio alta uoce proclamātes, quia asserebant subscriptionē in Athanasium, non aliam ob causam, quā destruendæ fidei moliri, in exilium trusi sunt. Quibus similiter additur Pancratius presbyter, & Hilarius diaconus Liberij & apostolicę sedis legati, cæteris uel ignorantibus uel non credentibus fraudem, deceptis.

Sed ob delendam ueram fidem dolo & fraude id fuisse gestum rei exitus docuit. Nam illis de medio sublatis, continuo magna synodus apud Arrianū octingentorꝝ ferè episcoporꝝ, præcepto Constantij cōgregatur. Vt ibi secundū ea quæ Orientales episcopi apud Seleuciam Isauriæ, paulo ante non ualentes ad Occidentales partes conuenire, iussu Imperatoris congregati cōposuerant, ipsi Occidentales episcopi confirment, quos simplices & imperitos, hac calliditate & uersutia circumuenerunt: Hoc modo proponendo eis, quē magis colere & adorare uellent, homousion, an Christū. Illi uero uirtutē uerbi quid homousion significaret ignorantes, uelut in fastidium quoddā & execrationē deducti, Christo se credere, & non homousion confirmarunt. Sic multorū animi decepti, contra ea quę patres apud Nicæā conscripserant uenientes, homousion quasi ignotum, & ab scripturis alienum sermonē, auferri de fidei expositione decernunt, & cōmunionē suam cū hæreticorꝝ societate cōmaculant. Ob quod facies ecclesiæ fęda admodū & turpis erat, nec iam ab extraneis, sed a proprijs uastabatur. Ara nusquā nec īmolatio munda, sed pręuaricatio erat, & lapsus ac ruina multorꝝ. Nam per idē tēpus Liberius Romanus Pontifex habita solenni disputatione cum Constantio, nec eius 48 uoluntati assentire acquiescens, in exilium traditur. In cuius locum Felix diaconus suus ab hæreticis surrogatur, & non tam sectę diuersitate, q̄ cōmunionis & ordinationis cōuenientia maculatur. Hierosolymis uero Cyrillus post Maximū confusa ordinatione, sacerdotio suscepto aliquando in fide, & sępe in cōmunione uariauerat. Apud Alexandriam uerò Georgius procaciter episcopatū gerens, magis consulum fasces, quā sacerdotium administrare uidebatur. Similiter apud Antiochiam multa admodū confuse gesta sunt. Nam defuncto Eudoxio, cū multi diuersarū urbium episcopi ad illam sedē ambitione niterentur, ad ultimū Melecium Sebastiæ urbis Armenię episcopū, illuc contra decreta conciliorum hæretici traxerunt episcopū. Nec multo post, cū non Arrij, sed nostrā contra eorū opinionē cępit fidē prædicare, ab ipsis in exilium deportatur. Hoc etiam tempore Hilarius episcopus Pictauiensis, uir summi ingenij & magnę sanctitatis, factione Saturnini Arelatensis episcopi, reliquorumq; qui cum eo erant Arrianorū, in Phrygiam pulsus, libros de nostra religione conscripsit.

48 *Vides hic Liberium Ro. Pontificē, uirum constantem & Christianum?*

Interim cū plures ab Imperatore Alexandriam mitterentur, q Athanasium inuestigarent, & eū uel caperent uel occiderent, tandē cōpertum fuit tū in ecclesia, quæ uocabatur Theone celari. Tunc ab his qui ad hęc

missi fuerant, conuocato pręfecto Libycę regionis, cũ armatis inopinate in ecclesiam irruitur, & fractis ianuis, omnia collustrantes, eũ minime reperire ualuerunt. Nam diuino nutu pericula plura effugerat, & hoc pręcedenti nocte pręuidens, atq; ad domũ uirginis cuiusdã sanctissimæ confugiens, per sex ferè annos usq; ad mortẽ Constantij, nemine alio quicq; penitus cognoscente, delituit. Quę ꝑ omne id tẽpus necessaria illi omnia subministrans, codices etiam sacros, & quos aliàs optauerat, illi parabat. Quo in tẽpore illum libros plures pro nostra religionė, & contra perfidos Arrianos, & alios de satisfactione suę fugę se compilasse scribit.

Post hęc Constantius Imperator, dum contra Iulianũ quẽ Cæsarem apud Gallias reliquerat, & dignitatẽ Augusti sibi sponte pręsumentem, armis ire obuiam parat, uicesimo quarto Imperij sui anno, & ætatis quadragesimo quinto, apud Mopsocrenẽ oppidum, inter Ciliciam & Cappadociam moritur, & principatũ Iulianus execrabilis tyrãnus, solus quem prius pręsumpserat, ut legitimum obtinet. Qui uelut gesta Constantij arguens, episcopos iubet de exilio relaxari. Sed Liberius Romanus Pontifex, Constantio iubente, regressus fuerat. 49 An uerò hic quidem acquieuerit uoluntati suę ad scribendũ, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens Constantius fuerat exoratus, indulserit, pro certo a scriptoribus non firmatur. Similiter Hilarius anno ante mortem Constantij, cum apud Constantinopolim librũ pro se, Imperatori porrexisset, ad Gallias redijt.

49 Non audet iste asserere Liberium consensisse Constantio, sed D. Hieronymus in uita Fortunatiani Aquilegiensis Ep̃i, aperte dicit ab eo Liberium solicitatum & cõpulsum Arrianæ hæresi subscribere. E contra beatus Ambrosius appellat eũ sanctæ memoriæ uirum.

Interea cum Georgius apud Alexandriam gentilibus effectus fuisset infestus, & princeps Constantij authoritate, eos indies oppresisset, principatu Iuliani seditione exorta capitur & occiditur. Quos Iulianus per literas ad Alexandrinos missas culpare non destitit. Verũ eis ob reuerentiam Serapis, Dei magni ciuitatẽ protegentis, & Macedonis Alexandri eius urbis conditoris, atq; Iuliani auunculi sui ibidem habitantis, uiri in Deos religiosi, nec non ob odium in Galilęos (sic enim Christianos uocabat) culpã se remittere dicit. Nam licet Christianos se abominari, & odio habere fateretur, persecutionẽ tamen publico edicto contra eos suscitare non audebat, sciens ex anterioribus persecutionibus, uictoriosiores gloriosioresq; semper euasisse. Et insimulans se clementẽ, etiam iurgia ab episcopis sibi inferri passus est. Nam de Nare episcopo Calcedonense scribitur, quod cũ impium eũ atq; apostatam uocitasset, nihil aliud respondit, quã neq; Galilæus Deus tuus te curare potuit. Nam hic Nares caligantes ob senectutẽ oculos habens, ductu alterius ducebatur. Ad quẽ episcopus: Ego inquit pro cæcitate gratias Deo meo ingentes refero, qui ob hoc potissimũ me luminibus priuauit, ne te Imperatorem impium conspicere possem. Cui nihil respondens Imperator abscesit.

Hoc tẽpore Athanasius seipsum manifestans, ab Alexandrinorũ populo mira lętitia exceptus est. Similiter Lucifer Caralitanus episcopus, & Eusebius Vercellensis ab exilio reuocati, cogitabant quemadmndum

eccleſiaſticũ ſtatum penitus deturbatũ reſtaurare poſſent. Nam a Iuliano ultra fines Thebaidos uicinos Ægypto relegati fuerant. Et Lucifer cũ exoraretur ab Euſebio, ut ad uidendum Athanaſium Alexandriam pergerent, & ibidẽ cõmuni tractatu cũ his ſacerdotibus qui ſuperfuerant de ſtatu eccleſię decernerent, per ſeipſum ire abnegauit, ſed diaconũ ſuum pro ſe accedere iuſsit, atq; ipſe intento animo Antiochiam pergit, ibiq; diſsidentibus adhuc partibus, non modo cũ Arrianis, ſed & inter ſe propter ſequaces Meletij, cui tanquã catholico prçſuli adhęrentes, a conſortibus nolentibus illi ex eo cõmunicare, quia ab Arrianis ibidem ordinatus fuerat epiſcopus, ſeceſſerant. Sed in unũ illos reuocari poſſe ſperabatur, ſi talis eligeretur epiſcopus, erga quẽ non una plebs, ſed utraq; gaudio afficeretur. Verũ Lucifer catholicũ & ſanctũ uirum Paulinũ, qui presbyter fuerat Euſtachij, olim eius urbis epiſcopi, & qui ſe nunquã hęreticorum cõmunione polluerat, ut ſcribit Hieronymus, ac per omnia dignũ epiſcopum collocauit, ſed tamen in quem acquieſcere plebs utraq; non poſſet. Pergit interea Euſebius Alexandriam, ibi confeſſorũ concilio congregato, non quidẽ multi numero, ſed fide integri, & meritis pręualentes, quo pacto fides uiolata ſeruetur, & poſt hęreticorũ procellas, & perfidię turbines, tranquillitas reuocaretur eccleſię, omni cura & deliberatione diſcutiunt. Et primum Niceni concilij inſtituta corroborant, deinde quod in quęſtionẽ per diuerſos hæreticos deductũ fuerat, ſpiritũ ſanctũ patri & filio conſubſtantialem eſſe diffiniunt, & aperte trinitatẽ nominantes profitentur, quæſtionemq; de ſubſtantia & ſubſiſtentia, quæ turbabat eccleſias, determinant, & ſubſtantia ipſam rei naturã rationemq; qua conſtat, deſignari, ſubſiſtentia uero uniuſcuiuſq; perſonę hoc ipſum quod extat & ſubſiſtit oſtendi. Ideoq; propter Sabellij hęreſim tres eſſe ſubſiſtentias confitendas. Non tamen tres ſubſtantias, ſed unã. Determinant etiam dei uerbũ, uero homini, hoc eſt, ex anima & corpore unitũ fuiſſe. Et hæc de uera fide. Quæ omnia poſtea Athanaſium in eo ſymbolo famoſiſsimo, cuius initiũ eſt, Quicunq; uult ſaluus eſſe, cõplexũ fuiſſe deprehẽditur.

Poſt hęc cũ aliquibus fidei calore feruentibus, in ea ſynodo uiſum fuerit, nullum ultra in ſacerdotium debere recipi, qui ſe utcunq; hęreticæ cõmunionis contagione maculaſſet, placuit hoc etiam diſcutere. Nam alij (quorũ ſententia obtinuit, Chriſtũ imitantes, qui cũ eſſet omnium uita, pro ſalute cunctorum humilians ſe deſcendit in mortẽ, quo ſcilicet inueniri poſſet, & in mortuis uita) dicebant melius eſſe humiliare ſe paululũ propter deiectos, & inclinari propter eliſos, ut eos rurſus erigerẽt, nec ſibimet ſolis puritatis merito cœlorũ regna defenderent, ſed eſſe glorioſius ſi cũ pluribus illud 50 mererentur intrare. Et ideo rectũ ſibi uideri, ut tantum perfidię authoribus amputatis, reliquis ſacerdotibus daretur optio, ſi forte uelint abiurato errore perfidiæ, ad patrũ fidem ſtatutaq; conuerti, nec negare aditũ redeuntibus, ſed potius de eorũ conuerſione gaudere. Et euangelicus ille iunior filius, paternę depopulator ſubſtantiæ, in ſemet

50 *Vides introitũ regni cœlorum dari propter merita?*

ipſum reuerſus, non ſolum ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis cõplexibus deputatur, & annulum fidei recipit, ſtolaq; circundatur, per quã nil aliud quã ſacerdotij declarantur inſignia. Nec probabilis extitit apud patrem ſenior filius, quod inuidit recepto, nec tantũ meriti habuit nõ delinquendo, quantũ notę contraxit non indulgendo germano. Quas ſententias ex euãgelica authoritate prolatas, ordo ille ſacerdotalis & apoſtolicus approbauit. Atq; ex concilij decreto Aſterio, & cęteris qui cũ ipſis erant Orientis epiſcopis, huiuſmodi iniungitur procuratio, Occidentis uero Euſebio decernitur. Et Ruffiniano epiſcopo de his Athanaſium ſciſcitãti, in hæc uerba reſpondit, ut ex epiſtolis Athanaſij traduximus.

Domino filio ac deſideratiſsimo conſacerdoti Ruffiniano Athanaſius in domino æternã ſalutẽ. Tu quidem quæ filio chariſsimo congruunt ad patrẽ ſcribis. Ego uero per literas appropinquantẽ toto affectu te amplexatus ſum, amantiſsime omnium Ruffiniane. Cumq; tanquam filio ſcribere poſſem, in ipſis initijs & medio ac fine continui me, ne ex literis cõmendatio, teſtimoniumq; de te meum agnoſcatur. Tu mihi es epiſtola iuxta quod ſcriptũ eſt, quæ in corde cognoſcitis & recitatis. Sic igitur affectus uelim credas, Saluto te ac ſcribere hortor. Magna nanq; lætitia nos afficis id faciens. Quoniam uero ſtudioſe & eccleſiaſtice, hoc enim rurſumq; decet religioſum inſtitutũ tuũ, de his interrogaſti, qui neceſsitate adacti ceſſere quidem, non tamen rectę fidei corruptionẽ admiſerunt, idq; poſt illa quæ de his in ſynodis decreta ſunt. Scito mi domine amãtiſsime, quia initio quidem cũ ceſſaſſet improba hæreticorũ uis, facta eſt ſynodus prę ſentibus remotiorũ partium epiſcopis. Facta eſt itẽ & apud illos qui Gręciam inhabitant, fratres & coepiſcopos noſtros, in Hiſpania quoque itidẽ & Gallia unaq; fuit & concors omniũ ubique ſententia, lapſis ſcilicet, atque impietatis ducibus effectis, ignoſcendum quidẽ pœnitentibus, cleri tamẽ illis gradum non permittendũ. Eis uero qui ceſsiſſent quidẽ ui ac neceſſitate cõpulſi, nõ tamen fuiſſent pręſules impietatis, præter indulgentiã, cleri quoque locũ non denegandum, pręſertim cũ excuſatione rationabili niti uideantur, feceruntq; id cauta quodãmodo diſpenſatione. Aſſerunt enim nunquam ſe impietati conſenſiſſe, cęterũ ne peſsimi quique illorũ uice conſtituti, eccleſias dogmatũ falſitate corrũperent, elegiſſe magis tẽpori cedere ac ſubire onus, quã plebes amittere. Iſta dicẽtes, uera proſequi nobis uiſi ſunt, cũ in primis obtenderent, Aaron Moyſi fratrẽ in deſerto plebis pręuaricationi conſenſiſſe, excuſationemq; habuiſſe, ne populus reuerſus in Ægyptũ in idololatriæ errore perſiſteret, ueriſimileq; putaretur, ſi manerent in eremo, poſſe ab impietate quieſcere, ſin uero in Ægyptum reuertiſſent, impietati ſubiecturos. Huius ergo rei gratia, facile illis uenia, clerusq; conceditur, qui uel ſeducti ſunt, uel uim perpeſsi.

Hæc autẽ deuotioni tuæ inſinuanda putaui, confidens a tua ueneratione ſuſcipienda, ſtatutaq; patrũ, qui idcirco conuenere, cõprobanda. Ea uero tam clero quã populo qui ſub te eſt, legere dignare, ut ipſi quoque ad-

moniti, te circa huiusmodi ita affectum, in ius uocare non audeant. Indecens enim esset, si illis ipse scriberem, cū posſit religio tua, nostrum circa huiusmodi lapsos affectū, eis nunciare, & ea supplere quę desunt. Gratias domino qui te impleuit omni uerbo & omni scientia. Qui ergo pœnitentiam agunt, aperte anathematizent, & nominatim Eudoxij & Eutoi perfidiam. Ipsi enim cū Dei filium creaturā esse blasphement, Arrianæ hęresis propugnatores seipsos euidenter ostendunt. Confiteantur autem confessam a sanctis patribus Nicenę synodi fidem, nullamq; aliam synodum hinc se preferre permittant. Saluta fratres qui tecū sunt. Te qui mecum sunt omnes in domino salutant. Insuper & librū a se olim de satisfactione suę fugę conscriptum in eadem ipsa synodo corā omnibus episcopis ipse Athanasius legit.

Post hęc Eusebius Vercellensis, pergens Antiochiam, cū ibidē inuenisset a Lucifero contra pollicitationē ordinatū episcopū, pudore simul & indignatione cōpulsus, abscesit, neutri parti cōmunionē suā relaxans, quoniam digrediens ab eo promiserat se acturū in concilio, ut eis ordinaretur episcopus, a quo pars neutra desisteret. At Luciferus ad Sardiniæ partes reuersus, uita hac cito discesit. Eusebius uero circūueniens Orientem atq; Italiam, medici pariter & sacerdotis fungebatur officio, & singulas quasq; ecclesias infidelitate abiurata, ad sanitatē rectę fidei reuocabat, & Hilarium in Italia tunc degentē, hoc idē moliri reperit. Qui cum uir esset natura lenis & placidus simulq; eruditissimus, & ad persuadendum cōmodissimus, rem diligentius & apertius procurabat, atque libros de fide nostra nobiliter conscriptos ædidit. Quibus & hereticorū uersutias, & nostrorū deceptiones, & male credulam simplicitatē ita diligenter exposuit, ut & pręsentes & longe positos, quibus ipse per se differere uiua uoce nō poterat, perfectissima instructione corrigeret, ita duo isti uiri uelut magnifica mundi lumina Illyricū, Italiam, & Gallias suo splendore radiarunt. Interea audiens Iulianus prędicationibus Athanasij, plures ex Paganis ad Christi fidem conuerti, atq; ex idolorū sacerdotibus non nullas uxores habere Christianas, filiosq; & seruos, infremuit ira. Nec fictę tēperantiæ imaginē continere potuit, indicantibus maxime ipsis magis, nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium uelut horum omnium obstaculum sustulisset. Ob quod iterum mittitur exercitus, iterum duces, iterum oppugnatur ecclesia.

Verum cū mœsti & flentes populi circūstarent, prophetico apud eos usus sermone prohibet. Nolite inquit, o filij ꝑturbari, quia nubecula est, & cito pertrāsibit. Et cū discesisset, ut refert etiam Ruffinus, & naui per Nylum fluuiū iter ageret, comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instanter eū insequi cœpit. Et cū forte Athanasij nauicula ad locū quendā applicuisset, cōperit a prætereuntibus post tergū esse persecutorē suū, & iam iam nisi prospiceret, imminere. Conterriti omnes qui simul aderant socij, eremū suadebant ad fugę pręsidiū petendā. Quibus

ille, Nolite, inquit, o filij deterreri. Eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat quia longe maior est qui nos defendit, quã qui persequitur. Et cõuersa nauicula iter agere obuiam ei qui se insectabatur aggressus est. Ille qui nullo pacto suspicari poterat in occursum sibi uenire quẽ quæreret, tanquã quosdam prætereuntes interrogari iubet, ubi uidissent esse Athanasium. Et cũ respondissent se uidisse eũ a longe euntẽ, tota celeritate pertransiens, in uanũ festinans, capere properabat, quẽ ante oculos positũ uidere nõ poterat. Ille uero Dei uirtute munitus, Alexãdriam redijt, ibiq; tutò in latebris, usq; quo persecutio cessaret, exegit.

Interim secũdo anno imperij sui Iulianus in Persas profectus, nostrũ post uictoriam, Dijs sanguinẽ uouerat, ut scribit Hieronymus: Sed incon sultius cum a suorum erraret agminibus forte ab obuio hostium equite, ilia perfossus interijt, anno ætatis suæ trigesimo secũdo. At Calistus, qui inter familiares Imperatoris tunc militabat, heroico uersu, eius uitã Græca lingua describens ait, eũ a dæmone uulneratũ occubuisse. Cuius laudes Libanius rhetor, magnæ etiam nunc famæ apud Græcos, conscripsit. Qui & illi in gloriam tribuit, lectitasse nocte libros, ut enixius contra asserentes Palęstinũ hominẽ Deum Deiq; filium, præliaretur. Post eius igitur mortem sequenti die Iouinianus ex primicerio domesticorum, Imperator ab exercitu factus est. Qui cõposita pace cũ Barbaris, prout tẽpora deposcebant, ad Romanũ regressus solium rem publicã totam post nimias quasi procellas, omni ratione reparare aggreditur, atq; ecclesiarũ curam, & ueram religionẽ in primis habere. Nec id incaute, ut Cõstantius egerat, sed ipsius lapsu admonitus, Athanasium, quẽ constantissimũ & omniũ prudentissimũ senserat, honorificis & officiosissimis literis requirit; ut ab ipso formã fidei, & ecclesiarũ reponendarũ normã suscipiat. Cui ab aliquibus creditũ est illi Symbolum illud pulcherrimũ destinasse, Quicunque uult saluus esse. Alij uerò, ut Theodoricus affirmat, Athanasium illi simplicem Niceni concilij fidem misisse. Ad quẽ apud Antiochiam degentem, Athanasium deuenisse scribitur, & magno illi amore deuinctũ suasisse, ut legẽ ferret, Ne quis, nõ dicam rapere, sed attentare sacratas Virgines in 51 matrimonium de cętero auderet. Et hoc ideo, quia Iuliani tẽporibus quidã apud Alexãdriam atq; alia diuersa loca huiusmodi sacras rapuerunt uirgines, & matrimonio sibi coniunxerũt. Post hęc remittens Athanasium Alexandriam, curã disponendarũ ecclesiarũ atq; omnium populorum Ægypti ei cõmisisse Sozomenus scripsit. Sed hæc tã pia tamq; læta principia, mors ĩmatura corrupit. Post octo enim mẽses imperij sui, & ætatis anno quadragesimo quarto apud Ciliciam diem obijt.

51 *Ecce quomodo & imperialis lex prohibet Deo sacratas Virgines nedum rapere, sed etiam in matrimonio habere.*

Post quẽ Valentinianus imperium suscepit, qui (ut Rufinus scribit) pro fide nostra a Iuliano militia fuerat expulsus. Sed cõpleuit in illo dominus quod promisit, plus etiam quã centuplum in præsenti seculo restituens ei, ut qui militiam pro Christo reliquerat, recepit Imperium. Qui ut scribit Theodoricus, non modo fortitudine, sed prudentia, tẽperantia,

iustitia, & uera religione, atque corporis magnitudine & pulchritudine præfulgebat, regius pariter & urbanus. Qui cũ exercitus ei consortẽ imperij sociare tentasset, respondisse fertur: Vestrum, inquit, fuit o milites Imperatore non existente, mihi imperium tradere. Verũ ubi hoc suscepi, meum iam, non uestrum est, de rebus cogitare cõmunibus. Cuius prudentiam admirati milites, omnẽ eius prosecuti sunt uoluntatem. Verum quod non debuit, in consortium regni Valentem fratrẽ assumpsit, & sibi quidẽ Occidentis partes delegit, illi autẽ Orientales reliquit.

Valentinianus igitur Italiam pergens, omnia pie & religiose disponebat: Cuius imperij anno primo Auxentio Arriano episcopo, apud Mediolanũ defuncto, Ambrosius ad episcopatũ assumitur, & omnes ad fidẽ rectam in Italia conuertit. Et sequenti anno mortuo Liberio, Romanæ ecclesiæ gubernacula suscepit Damasus. Quo anno Valentinianus legẽ statuit de uerę fidei & sanctę trinitatis obseruatione, quã & suo & Valentis fratris nomine, atque filij gratia, quẽ Imperatorẽ similiter fecerat, promulgauit. Et Valens cũ in initio imperij recta fide incederet, ab uxore, more Adam seductus, quæ prius ipsa ab Eudoxio Constantinopolitano episcopo Arrij perfidia imbuta fuerat, in eius impietatem prolapsus est. Nam & Valens cũ contra Gothos qui Istrum pertransierant & Thraciam, peragrans proficisci intenderat, ne sine baptismate pergeret, ab Eudoxio baptizari uoluit, a quo iuramento adstrictus fuit, ne dogmatis Arriani impietatẽ quoad uiueret abnegaret, atque omnes contra sentientes undique insequeretur. Quamobrẽ fauendo hæreticis, omnẽ Orientis perturbauit ecclesiam, & episcopos catholicos presbyterosq; atq; diaconos, & monachos plures in exiliũ exegit. Verũ cũ in cęteros principis persecutio debaccharetur, ab Alexandria & tota Ægypto ob Athanasij reuerentiam, uelut quadam diuina uirtute prohibitus, abstinuit.

At beatissimus Athanasius longo iam tempore in ecclesia sua & tota Ægypto pacem cernens, quadragesimo & sexto anno sacerdotij sui post multos agones, multasq; patientiæ coronas, ad uerã uitam translatus, requieuit in domino, anno quarto imperij Valentiniani. A tempore uerò quo assumptus fuerat Alexander ad episcopatũ Alexandrinũ, cõputari posse uidentur anni ferè sexaginta. Quo anno sanctus episcopus uiderat Athanasium gerentẽ ludum ecclesiasticũ, qui uerisimiliter octo & nouẽ & decẽ ætatis suę annos gerere poterat. Ex quo ætas eius usque ad septuagesimũ annũ, uel circa extendi potuisse uidetur. Verũ sciscitatus Athanasius de successore, Petrũ archidiaconũ Alexandrinũ, tribulationũ suarũ participẽ & socium delegit. Sed Lucius ab Arrianæ partis episcopis, ad eandẽ sedẽ episcopus similiter ordinatus, ueluti lupus rapax Alexãdriam aduolat, & potentia regia Petrũ de sede expellit. At ille nauem conscendens, 52 Romã ad Damasum Pontificem maximũ profugit. Qui sua uirtute & sapientia pacẽ ecclesijs reddi procurauit, donante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat in secula seculorum. Amen.

52 *Vides Ro. Ecclesiam omnium oppressorum Eporum tutissimum semp fuisse refugiũ.*

VITA

VITA SANCTI EVTROPII EPISCOPI & Martyris per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Posita est in libro eiusdem in gloriam plurimorum martyrum ædito.

EVtropius quoque Sanctonicæ Vrbis Episcopus à beato Clemente episcopo fertur directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia consecratus, impleto huius officij ordine, peractaq; incredulis prædicatione, insurgentibus paganis, quos author inuidiæ credere non permisit, illiso capite uictor occubuit.

Sed quia eo tempore instante persecutione, neque à Christianis debito honore ueneratus, neque digno loco sepultus est, ualde datus obliuioni Martyr ille fuit. Qui hoc ordine traditur reuelatus. Post multa annorũ spatia in eius honore 1 basilica ędificata est. Expletoq; opere Palladius qui tunc sacerdotalis ordinis cathedram regebat, conuocatis Abbatibus 2 sacros cineres in loco, quem præparauerat, transferri studuit.

1 Ecce quòd & antiquitus in honorẽ sanctorum Martyrũ basilicæ ædificabantur.

2 Sacros cineres appellat, & non uiles aut emortuos, ut faciunt noui & ueteres hæretici.

Quod cum factum fuisset, duo ex Abbatibus, reserato opertorio, sanctum corpus aspiciunt, contemplanturq; cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat securis acumen. Sed ne præsens uisio duceretur in irritum, etiam spiritalis hæc doctrina communiuit. Scilicet cum sequenti nocte strauissent sacerdotes membra quieti, apparuit per uisum his duobus, dicens, cicatricem, quam contemplati estis in capite, scitote me per eam martyrium consumasse. Et ex hoc quòd Martyr esset, innotuit populis, quia non aderat historia passionis.

VITA SANCTI IOANNIS PAPÆ ET Martyris per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetũr in libro eiusdem in gloriam plurimorum martyrum ædito. Cap. 40.

MVlti quidem sancti Martyres apud Vrbem Romanam sunt, quorum historiæ passionum nobis sunt delatæ. De Ioanne tamen episcopo, quoniam agon eius ad nos usque nõ accessit scriptus, quæ à fidelibus comperi, tacere nequiui.

Hic cum ad Episcopatum uenisset, summo studio hæreticos execrans, Ecclesias eorum in catholicas 1 dedicauit. Quod cum Theodoricus Rex comperisset, furore succensus, quia esset sectæ Arrianæ deditus, iussit gladiatores per Italiam dirigi, qui uniuersum, quotquot inuenissent, catholicum populum iugularent.

1 Vide antiquissimũm usum dedicationis Ecclesiarũ.

Hæc audiens beatus Ioannes ad Regem, ne hæc fierent, deprecaturus accessit, à quo cum dolo susceptus fuisset, alligauit eum, & posuit in carcerem dicens, Ego te faciam, ne audeas contra sectam nostram amplius insusitare. Positus uerò sanctus Dei in carcere, tantis attritus est iniurijs, ut non post multum tempus spiritum exalaret, obijtq; in carcere cum gloria apud Vrbem Rauennam.

Domini autem miſericordia ſtatim ultionem ſuper Regem improbum irrogauit. Nam ſubito à Deo percuſſus, plagis magnis exinanitus interijt, ſuſcepitq; protinus perpetuũ gehennæ flãmantis incendium.

Habetur in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 43.

VITA SANCTI CASSIANI MARTYRIS PER D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

CAſſianus martyr Italiæ, puerorum magnificus doctor, adueniente perſecutione, ipſe puerili ac tenero gregi perſecutorum iudicio traditur. At illi magiſtri ſanguinẽ ſitientes, ceratas capiti illidunt tabellas, ſecantesq; latitudinibus ſtilorum, punctisq; minutis transuerberantes membra magiſtri, dignum Deo martyrem effecerunt. In cuius honore hodie quoque tantus timor habetur, ut nullus penitus de eius rebus aliquid ſit auſus attingere. Quod ſi fecerit, aut arripitur à dęmonio, aut morte repentina conſumitur, & nunquam ĩmunis ab ultione recedit.

Poſita eſt in libro eiuſdem in gloriã plurimorum martyrum edito. Cap. 49.

VITA SANCTORVM QVADRAGINTA & octo Martyrum, per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

QVadraginta uerò octo martyrum nomina, qui apud Lugdunũ paſſi dicuntur, hæc ſunt, Vectius Pagatus, Zacharias, Macharius, Alcibiades, Syluius, Primus, Alpius, Vitalis, Comminius, October, Philominius, Cenimus, Iulia, Albina, Grata, Emilia, Poſthumiana, Pompeia, Rhodane, Biblis, Quarta, Materna, Elpeniſſa, Stamas. Hi autem beſtijs traditi ſunt. Sanctus, & Maturus, Alexander, Ponticus, Blandina. Hi ſunt qui in carcere ſpiritũ reddiderunt. Areus, Photinus, Cornelius, Totmus, Titus, Toticus, Iulius, Emilia, Carnute, Pompeia, Aluína, Mamilia, Iuſta, Triſime, Antonia, & beatus Photinus epiſcopus. Quorum ſancta corpora iudex iniquus igni tradi præcepit, exuſtasq; in Rhodanum pulueres iuſſit ſpargi.

1 Vides ſanctorum reliquias beatas dici, & audes tu eas, cineres emortuos appellare?

2 Ecce quomodo ſancti non rectè uocari poſſunt mortui, ſed magis trãslati ad æternã requiem.

3 Colligẽtes ſacros cineres.

4 Etiã antiquitus ſplendida templa in honorem ſanctorum Martyrũ ædificabantur.

5 Miracula quæ poſt ſanctorum obitum ad eorũ ſepulchra ſiunt, & ſplendorem uitæ illorum, & eos cum deo habitare aperte confitentur.

Sed poſtquã hæc geſta ſunt, cum Chriſtiani mœrorẽ maximũ haberent, quaſi deperiſſent 1 beatę reliquię, nocte apparuerunt uiris fidelibus in eo loco, quo igni traditi ſunt, ſtantes, integri, ac illæſi. Et conuerſi ad uiros dixerunt eis, Reliquiæ noſtræ ab hoc colligantur loco, quia nullus 2 perijt ex nobis, Ex hoc enim tranſlati ſumus ad requiem, quam nobis promiſit Rex cœlorum Chriſtus, pro cuius nomine paſſi ſumus.

Hęc renunciantes uiri illi reliquis Chriſtianis, gratias egerunt Deo, & confortati ſunt in fide, 3 colligentesq; ſacros cineres, ędificauerunt baſilicam 4 miræ magnitudinis in eorum honore. Et ſepelierunt beata pignora ſub ſancto altari, ubi ſe ſemper 5 uirtutibus manifeſtis cum Deo habitare declararunt. Locus autem ille, in quo paſſi ſunt, athanacum uocatur; ideoq; & ipſi martyres à quibuſdam uocantur athanacenſes.

VITA SANCTORVM HIRENEI, EPIPODII, & Alexandri martyrum per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 51.

MArtyrio conſumatus glorioſus Photinus epiſcopus, qui Lugdunenſi præfuit urbi ſacerdos, per certaminis nobilis 1 meritum inuectus eſt cœlo. Cui & merito, & ſanctitate condignus Hireneus ſucceſſit Epiſcopus, per martyrium & ipſe finitus.

1 Vides ſãctos per Martyrium mereri cœlũ? Quid ergo latras cõtra ſanctorũ merita?

Hic in cripta Baſilicæ beati Ioannis ſub altari eſt ſepultus. Et ab uno quidem latere Epipodius, ab alio uerò Alexander martyr eſt tumulatus. De quorum 2 monumentis ſi puluis cum fide colligitur, ex templo medetur infirmis. Magna enim claritas in cripta continetur, quæ ut credo meritum martyrum ſignat.

2 Virtutes hæ quæ è ſanctorum monumentis proueniunt, indicio ſunt eos cum deo habitare, & uitas illorum ſplendidas extitiſſe.

VITA DIVI AMARANTI MARTYRIS PER D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 57.

A[illegible]Marantus martyr apud Albigẽſem urbem, exacto agonis fidelis [illegible] ſepultus 1 uiuit in gloria. Cuius (ut hiſtoria paſſionis de[illegible] ſepulchrum diu uepribus ſepibusq; contectum latuit, ſed [illegible] Chriſtianis populis reuelatũ eſt; & cripta, in qua quieſcebat, patefacta [illegible]. Sed cum hoſtilitate impellente, locus ab habitatoribus fuiſſet [illegible], à longinquo uenĩetes incolæ honorẽ beato martyri, quaſi cuſtodi proprio nitebantur impendere. Igitur cum cereos frequenter deuotio Chriſtiana deferret, quodam die contigit, ut quidam prę longinquitate itineris incrementũ ignis, quo accenderetur cereus, nõ exhiberet; arreptamq; ſilicẽ ferro uerberat, quaſi ignẽ eliciturus. Quod dum ageret, & crebris ictibus lapidẽ quatiens nihil foci poſſet excutere, 2 cœleſti lampade cereus, qui iam beato ſepulchro affixus erat illuminatur. Sicq; factum eſt, ut quę humanæ nõ expleuerant induſtriæ, peragerentur diuini numinis maieſtate. Ceſſante humano ſtudio, cœleſtia officia miniſtrantur, luminisq; noui fulgore cereus clarificatur accẽſus. Qd' cũ populis manifeſtũ fuiſſet, incrementum foci ulterius ad accendendũ lumen nullus exhibere præſumpſit. Poſtq̃ uerò locus ille inhabitari ab hoĩbus cœpit, atq; ibi domus, in quibus ignis accenderetur, adeſſent, hoc miraculũ nõ eſt ita præſtitũ plebi, cũ aliis miraculis frequentius illuſtret.

1 Vides ſanctoram animas poſt agones conſumatos recipi in cœlo, & uiuere in gloria?

2 Ecce quomodo accendere luminaria ante ſanctorũ tumulos antiquus Eccleſiæ mos fuit, qui ſi ſuperſtitioſus eſſet & deo diſpliceret ut garriunt nõnulli, nequaquam hoc in loco cereus diuina uirtute fuiſſet accenſus.

VITA EVTHYMII ARCHIEPISCOPI CONſtantinopolitani per Aretham Archiepiſcopum Cæſareæ eius, quę eſt in Cappadocia, deſcripta, Viro docto Interprete.

Eſt Oratio eiuſdem habita ad ſepulchrũ illius, modo tantum Latinis cognita.

QVid hoc eſt, ſacer cõuentus, hęreditas ſanctificata, populus Deo afflate? Quis nouus ueſter iſte concurſus, & inuſitatum ſolẽne?

Vtpote ubi nulla lætitiæ signa, nulla amplioris dignitatis appareant, contraq́; potius, ubi nihil non triste, ac mœstum, nihil non lamentabile, ac flebile, nihil non eorum, quæ in maximis calamitatibus acerbitati, ac mœrori esse hominibus consueuerunt, sese copiosissimè effundit, ut à cunctis propemodū, uelut ab uno funebris haberi oratio uideatur? Quæ ista igitur adeo uehemens est plaga? Quis'ue iste, qui præter morem uestrum omnium animos occupauit dolor? ut ne oculos quidem à lachrymarum tristitia uacuos tollendi liberam uobis facultatem permittat? Nimirum Euthymius magnus ille Dei Pontifex lamentationis uobis istius causa fuit, innocens iniuriose tractatus, à sede sua procul exturbatus, ab impia sceleratorū manu damnatus, morte nunc denique mulctatus, atq; in id postremo, quod hic ante oculos positum est, sepulchrum illatus.

Et quid horum, quæso, magnum adeo uobis excitare fletum debuit? Immo uerò quid est, in quo non summa esse lætitia, summaq́; iucunditas debeat? Quid'ue eiusmodi, quo non qui'uis, qui à seculo Deo sit consecratus, uelut honestatus glorietur? Siquidem memoria iusti cum laudationibus, at qui laudatio hilari gratiarum & laudum actione, non tristi lamentatione ac luctu, quibus uos turbati nunc estis, contineri solita est. Non sunt, mihi credite, ista hominum, qui esse moderati uelint, aliena sunt à grege nostro, quæ à uobis nunc fiunt. Surrexit ad eum, cuius desiderio tenebatur, egregius amator, peregrè ad munerarium profectus est cursor, ad eum, unde legitimè ipsi dandum præmium erat, abijt illustris Pancratiasta, sudore etiam nunc ex uehementi à se adhibita in certando contentione madens, atq; ex labore cursurę grauiter anhelans, seseq́; uix prę lassitudine, ac uirium animi imbecillitate, sustentans, ad paratam sibi in altera uita requiem peruenit, cuius à molestijs omnibus uacuæ iam factus est particeps. In ea pulchritudines ipsas, quarum causa in certamina illa descenderat, iam contemplatur, 1 laborum suorum pręmia de rerū omniū potente accipit dextera, æternaq́; potitur beatitudine. Quocirca gaudio exilire, lætitiaq́; efferri oportebat, q̄ cœlestibus ille potitur præmijs, quòd lachrymarum suarum semētis, quam flens sparsit in terram, nunc gaudens manipulos colligit, ac beatus triumphat.

1 *Ecce quomodo locat in cœlo sancti uiri animam, ubi si recipit laborum suorum præmium, indicium est quod & habuit merita.*

Tu uerò, quibus ex rebus summam capere lætitiam debes, ob eas dolendum tibi, & lamentandum putas? Atqui neque Deo grata sunt ista, neque Euthymio conueniunt. Tametsi enim uisus est oculis insipientiū mori (ut est in sacris literis) & existimata est afflictio exitus eius, & discessus à nobis, contritio, nihilominus tamen nunc est in pace, quoniam Deus illum suscepit, tentauit illum, & inuenit dignum se, tanq̄ aurum in fornace probauit illum, & quasi holocaustum hostiæ accepit illum; atq; ob eam causam in tempore etiam uisitationis splendebit, quando uidelicet omnes iusti fulgebunt ut sol, clarissimæ luci illi coniunctus, tenebrisq́; ac caligine pars ad sinistram posita circunfundetur; stabitq́; iustus aduersus eos, qui se angustiauerint, siquid diuino credendum est prophe-

tæ,

tæ, qui supplicia, quibus postea plectendi pro meritis iniuriosi homines fuerint, describit.

Verum enim quid est horũ huiusmodi, quod lamentis prosequamur? Quæ istius, quæ uos occupauit, tristitiæ causa, unde'ue tantus iste, qui uestros animos affligit mœror? potiusq́;, quid quod non sanctissimæ huius uiri animæ conueniat? quodq́; nõ laudabili totius eius uitę curriculo usq; ab incunabulis respondeat? Quippe enim seleuciam ille habuit matrem quę generis necessitudine Gregorium diuinum uirum illum attingeret, quem alterum Thaumaturgum magno suo bono ętas ea tulit, quę hanc nostram paulo ante præcessit, ortũ ipsum quoque ex Decapoli Isauriæ: uerumq́; esse dictum illud docuit ac confirmauit, Generatio rectorum benedicetur. Exceptus uerò mox est ab Olympo, præclarissimo Christianæ philosophiæ domicilio. Vnde post in monasterium est traditus, quod est ad sinum Astacenum, ubi similiter quoque egregiê certando præclara eius uirtus enituit.

Cæterùm quę sibi ille trophęa singillatim aduersus cõmunem omniũ nostrum aduersarium erexerit, quæq́; exijs, in quibus excellenter admodum se gessit, certaminibus præclara uictoriæ insignia reportarit, eorũ omnium cõmemorationem illis sum relicturus, qui ipsi inuicti uiri huius certaminibus interfuere. Siquidem ij eorum, quæ oculis ipsi uiderint suis, testes esse poterunt locupletissimi, ueluti summæ famis, ac sitis tollerantiæ, 2 summæq́; nuditatis, quippe cum unica tantum ueste intolerabilem uim illam frigoris sustineret, uncinorum pręterea, hamorum'ue è sublimi pendentium, quibus ueluti necessitate quadam somnum ille ab oculis arcebat suis, ꝙ exemplo Dauid habitaculum inuenire, locumq́; ubi quiesceret, uehemẽter optaret, ubi nimirũ nulla ex curis uitæ huius fluctuatio, nulla est animorũ tempestas, nulla grauior à scelestis spiritibus inuecta procella. Horũ, inq̃, omnium cõmemorationẽ, ac de cõmemoratione gloriam integram illis, qui ea ipsi præsentes uidere, sum relicturus, eaq́; ipse persecuturus tantũmodo, quę ab eo gesta sunt postea.

2 *Vide in sancto uiro summã abstinẽtiam, uide & uestitus somniq; parcitatem.*

Habebat ex eo tempore penes se celeberrima & regia hęc ciuitas illustrem nostrũ hunc pugilem, qui cum benignè à priuatis hospitio reciperetur, mercedẽ eam collati in se ab ipsis officij omnibus rependebat, quã assequi illos decebat, qui uirum uirtutibus adeò excellentẽ, comiter, humaniterq́; tractarent. Quando mulier etiam illa sareptana meriti, quod in Heliam illum Thesbitem contulerat, debita mercede fraudata non fuit; siquidẽ propterea quod amicè illum hospitio susceperat, ampliora ei diuinitus ad uitam degendam uicissim tributa fuere pręsidia. Celebris iam quoquo uersum nominis eius fama peruagabatur: Neque enim (ut Dominus ait) abscondi supra montem posita ciuitas potest. Hinc in Regis notitiam peruenit, miratur uirtutis eius egregiam indolẽ, amicũ sibi illum adiungit, ac Patriarchę, qui erat eo tempore, contubernalem facit.

Haud ita multo post uehemens ecclesiam tempestas inuasit, quã eius,

in cuius tum manu gubernacula erant, temeraria arrogantia excitarat: in quo quidē tumultu cum autor eius ille qui fuerat, animū despondisset eoq; sacri sui honoris repudij libellum ecclesiæ dedisset, malus malè abijt. Aderat unus is tum idoneus, qui desertum id ab eo munus susciperet. Quis enim eo, qui apud omnes erat in gratia, magis qui ei muneri præficeretur aptus, magisque dignus poterat iudicari? Ex quo sanè factum est, ut quod alijs multis usu non uenit, suffragio uniuersæ, quæ sub cœlo est, ecclesiæ delectus sit, qui Constantinopolitanam hanc regendam susciperet. Animaduertis qualis iste & quantus sit uir, & cuiusmodi præmijs ob uirtutis eius præstantiam afficitur? Sed qui ea persequi potero, quæ sunt deinceps sequuta? Nefariorum hominum inuidiam, cędem ab impijs factam, crudele, ac uiolentum iudicium, iudicibus ijs (ò iustitiam diuinam, ò incorruptum Dei tribunal) quibus nulla fuit cura sacrorū, sed toti in unum tantum erant quæstum intenti. Cuius causa ipsi ab uniuersa & sana ecclesiæ parte abscisi, ad sanitatem redire non potuerunt, & arrepta, quam summè optarant, occasione, à nullo se (modo possent) quantumuis nefario flagitiorum, ac facinorum genere temperarunt, ne si parietes quidem perfodi, aut erumenas desecari opus fuisset, quippe cum domos iniquitatum replere festinarent tenebrosi terræ. Hinc incredibilis eorum rabies exarsit, quoniam nulla iam ijs iuris species restabat, quā facinorū suorū audaciam prætexerēt: Et totius sacri ordinis sequuta uenditio est, quæ palàm iam, proiecta omni uerecundia fiebat.

Hinc præter cæteros in hunc quoque uirum sanctitate plenissimum superbæ contumeliosæq; silentio prætereundæ illę nunc à nobis iniuriæ, nefas namque mihi arbitror esse, si recensenda denuo earum turpitudine linguam inquinem meam, cum eas etiam barbarorū oculi meritò auersari, abhorrereque debuissent; quandoquidem aderant etiam legationis causa saraceni, & totius illius maioris quam Scenicæ, aut Tragicæ ullius, fœditatis participes fuere, actorum similes spectatores, quādo nefas erat alioqui, ut hæc impiorum theatro spectarentur, quæ tam sceleratè ab impijs agebantur. Huiusmodi porrò præclara initio munera illa mox etiam sequebantur, mulcta exilij, notorum ab eo omnium propter īminentes formidines, in rebus asperis fuga, coactis maleuolis eum uidere quem odio prosequebantur, his uero etiam longè disiunctis, siue quòd assidens eos militaris duritas custodiaque summoueret, siue quòd ex innata in animis multorum leuitate, in ipsa eorū usus indigentia peruersè inutiles existerent, & cuius ante illud tempus mirificè fuerant studiosi, ei nunc, mutatis in contrarium uoluntatibus, impensè obtrectarent; quando natura ita comparatum est, ut rebus secundis aduersæ semper insidiari solitæ sint: quo nihil sit quicquam in rebus humanis, quod à rei sibi contrariæ labe purum intactumque sit, cuique, licet præclarissimum sit, quasdam quasi sordes hominum nequam inuidiæ liuor non alinat.

Ad hæc etiam positum hic in conspectu sepulchrũ, in quo hic asseruatur, superantibus humanitate sua pijs Regibus immanitatem feritatemq; superstitis adhuc Tyranni, cuius opera potissimũ in eas ille fuerat calamitates coniectus, atque is etiam, qui nefariè fuerat damnatus, suis saltem post obitum restitutus, ut haberet etiam denuo sacra promissionis terra dilecti ossa Ioseph, quibus per lectissimos quosque ex sacro ordine uiros iusta soluerentur. Cõmodum enim edictum Reges promulgarant, atque undique ex templo, uelut ex composito (quamobrem enim hæc magna adeò cum celebritate non fierent) ingensq; confluxit multitudo, maxima quadam pompa uictorẽ illum ab exilio redeuntem cępit
3 comitari, innumerabilibus facibus, quarum bonam partem Regia pietas suppeditabat, mare totũ collustrans, suauissimisq; incensis odoribus molestam illam maris nauseam discutiens, & perpetua hymnorũ modulatione Pontificem mirè concelebrans. Cæterũ simul ut ad uirgam (littoralis tractus id est nomen) appulerunt, sublatum est de regio lembo sacrosanctum illud tabernaculum, atque in Diui Æmiliani ędem illatum, ibiq; similiter appositis hymnis, decantatus est Dei seruus, & laudatione cuiusdam de Pontificum numero honestatus.

3 *Habes hic Christianam traditionem sepeliendi fideles, nẽpe cũ multitudine comitantium, cùm accensione luminarium, cũ suauitate odoramentorum cum hymnorũ & psalmorum decantatione, ac depositione apud sanctorum oratoria. Quid dicere possunt hic Hæretici?*

His ita peractis, cum sublatum inde sacrum gestaretur pheretrum, atque in honestissimum hunc'ce locum inferretur, sustolli undique ab omnibus cœptus est clamor, magistratibus, priuatis, locupletibus, tenuibus, uiris, fœminis, paruis, puberibus, impubibus, quorum partim eum secundum Deum parentem uocabant, partim pastorẽ requirebant, alij propugnatorem desiderabant: nam & nutritorẽ illum suũ egeni appellabant, mulierculæ suum, cum à Deo discessissent, defensorem primariũ, pueri disciplinæ suæ moderatorem uociferabantur, omnes denique, pro se quisque eum, in quo opportunum sibi subleuandis indigentijs suis positum esset perfugium. Itaque dum huiusmodi cum laudatione funus celebratur, in hoc religiosissimũ templum ab omnibus conuenitur, ubi peractis reliquis, quæ ad persoluenda funeri iusta deerant, cum iam periculum esset, ne quod superfuerat sanctissimi uiri tabernaculum, propter eorum, qui eò confluxerant, fidẽ discerperetur, uiolenter de raptorũ manibus extortum excussumq; est, atq; hoc modo in sacrosancto hoc, quẽ uidemus, 4 loculo sacrosanctũ uerè Dei hominẽ collocauimus.

4 *Vides quoties sacrosanctum appellat loculũ, tabernaculum & sepulchrum sacrosancti etiam hominis dei?*

An mediocris hæc tibi uidentur momenti ad declarandam uiri huius uirtutẽ? Deiq; erga seruos suos, dum adhuc etiam in hac uita sunt, curã rebus secundis similiter atque aduersis indicandã? Nemo sit, opinor, qui aduersetur, nisi si quis eiusmodi sit, qui uirtutis præmium in eo tantummodo positũ putet, si continenti rerũ bonarũ cursu perpetuo in hac uita quis nulla cũ offensione utatur, contraq; difficiliorẽ in eius uia progressum pœnas quasdam esse arbitretur, quibus assidue pro meritis diuinitus hominũ malefacta puniantur, opinione, cum ipsi perniciosa, tum à Dei

æqui rerum omnium moderatoris ſapientia admodum aliena.

Verum enim quoniam dicendo ad hanc orationis partem peruenimus, conferamus ſi placet, ea, quæ ſancto huic uiro euenere, uiciſſimq; quæ Alexandro antea accidere, uideamusq; quemadmodum Dei iuſtitia 5 præmijs unicuique ex merito tribuendis rectiſſimè omnia moderetur. Ille enim cum & Rex eſſet, & Regio genere ortus, miſeramq; in ipſa Imperij dignitate animulam infeliciter exhalaſſet, quibus uita functus laudibus eſt affectus? Quin, repetita paulo altius oratione, ea quæ in utroque fuere, diligenter conſideremus. Hic, quem hoc in loco ſepultum habemus, eo modo, quo diximus, altus educatusq; poſt tot aduerſa, quibus fuerat conflictatus, totque præclara, quæ uirtutis ſuæ ædiderat, documenta, talem, qualem ſupra memorauimus, uitæ exitum habuit, eamq; nactus eſt ſepulturam, quam uos nimirum uidetis, 6 magnificam nempe, atque glorioſam, eiuſmodiq; quam uiros Deo dicatos conſequi par eſt, id quod magis etiamnum mirum debet uideri, quòd Draconis caput, à quo inſanabili ille morſu fuerat ictus, reliqua adhuc ſui corporis parte palpitabat, magnaque cum audacia ruens ferebatur, metuens ſcilicet, ne quid ſe propterea melius oſtenderet, tametſi incaſſum q̃s ipſi conatus illi erant caſuri, cum id egiſſet terrena poteſtas, ut ſoluti in ſpumam eius fluctus abirent. Atq; hic quidẽ hoc modo.

5 *Ecce quomodo diuina iuſtitia rectiſsime omnia moderatur, tribuendo præmia unicuique ſecundum merita.*

6 *Vides par eſſe ut uiri dei dicati magnificã & glorioſam ſepulturam habeant?*

Contra uero Alexander. Is enim quicquid in terris haberi uoluptatis ac delitiarum poteſt, id omne ab ipſis incunabulis largè ſemper habuerat, atque à fratre fuerat educatus uiro commodo, ſummaq; & ſanctitate prædito & innocentia, maioreq; apud eum digno certe appellatione, q̃ fratris. Is enim, tametſi, quòd multa aduerſus ipſum noua erat molitus, proptereaq; ab ipſo eſſet comprehenſus, nullas tamen concepti in fratrẽ ſceleris pœnas grauiores dedit (cuiuſmodi multi multis ante id tempus fuerant affecti) q̃ ut in cuſtodiam tantum daretur, prohibereturq;, ne quæ impiè in fratrem facere cogitarat, ea ad exitum perduceret; à quo tametſi eo modo inſidijs petito, Regno incolumis (quod utinam nunq̃ feciſſet) ſeruabatur, q͏ æquum putabat, ut quem ſibi fors Regni ſocium dediſſet, ei pacatum, incolumeq; illud traderet. Verùm cum humaniſſimus, idemq; ſuauiſſimus Rex Leo ex hac uita in pace eſſet dimiſſus, ſummaq; rerum omnium poteſtas ab eo ad hunc deueniſſet, confeſtim hic ipſo initio cuiuſmodi eſſet declarauit, quamque nihil ſibi profuiſſet uitæ conſuetudo, quæ ipſi cum fratre fuiſſet, quodque ab eo clementer habitus eſſet, uerumq; eſſe prouerbium docuit, Virũ poteſtatẽ habentẽ in peius proficere: repente nanque ut ſceleſtiſſimus, ac maximè nefarius, flagitijsq; ac facinoribus opertiſſimus quiſq; ad eum ſe contuliſſet, eiusq; aſſecla eſſe cœpiſſet, ita ſũma apud illũ erat in gratia, in conſiliariorumq; numerũ admittebaſ, ac pars ei aliqua adminiſtrationis Imperij cõmittebatur. Ex quo quidẽ, ſi quid antea eoꝝ, quę occultè in fratrẽ moliebatur,

uulgò

uulgò uſque in id tẽpus fuerat ignotũ, id tum palàm iam aperteq; detegebatur, impudenterq; iactabatur. Nã & clementiſſimi in ipſum fratris teſtamentũ reſcindi cęptum, ueteres eius amici ſuperbè contumelioſeq; tractari, reijciq;, innocens pręterea thorus ipſe regius iniuria affici, atque è regia ſubmoueri: Et niſi terris Dominus Regię ſtirpis ſemen reliquiſſet, ipſum hunc etiam, quem nunc feliciter imperium obtinentem uidemus, Conſtantinum exectum ſummouiſſet, & adoleſcentulo ſclaueno facie turpi, moribus etiam turpiori, traditum eſſet gubernandum Imperium Romanum.

Ab hac iniquiſſima nouitate iniuriæ etiam illæ prodiere, quibus affectus fuit ſanctus hic uir. Nanque conſiliarijs uſus ijs, quos Leo ſępe uitę ſuę inſidias fuiſſe molitos manifeſtè conuicerat, ac propterea etiã ab eccleſijs repulerat, uel ipſi potius, metu ne deprehenderentur, ſua ſe ſponte remouerant, ut quos eiuſdem ſecum ſententię eſſe putabat, uiris ĩmanibus ac feris, quique uni tantum quęſtui inhiabant, ea ſęuitię exempla in illum edidit, quę in eum edi par eſt, qui in huiuſmodi ſceleratorum manus traditus ſit. Ac cętera quidem uideor mihi miſſa facturus, quęcunque contumelioſius ille in ſanctos uiros effecit, eaq; commemorabo tantummodo, unde pulcherrimè uniuerſam exiſtimo me morum eius peruerſitatem declaraturum.

Mos eſt Regibus Chriſtianorũ, qui idem illis cõmunis eſt etiam cum omnibus Chriſtianis, ut 7 quotieſcunque Dei baſilicas ingrediuntur, aperto eas capite ingrediantur. Quem quidẽ Paulus ipſe Apoſtolus primus induxit, atq; omnibus in Chriſtiana Republica obſeruandum mandauit. Hunc morem cũ ſapientiſsimi uidelicet illi atq; optimi uiri ſuſtuliſſent, perſuaſerunt homini craſſę cutis, ac de ſuillo genere, & tantum nõ grũnienti (cui enim, quęſo, ęquius cõparari ille poterat, q̃ ſui Bœoticæ) ut cooperto capite in loca ſacroſancta ingrederetur. Quã quidẽ ille diſciplinã cũ admiſiſſet, atq; ad maiora etiamnum multo perdiſcẽda facinora ſe paratũ pręberet, nimirum pulchrè ille quoque conſequutus eſt caſus. Etenim ubi hominem ſic perſuaſum illi introduxere, ac uiolacei coloris amiculo tectum ſacrę menſę admouere, magno cũ ſuo, tum illius futuro dedecore, (quando, opinor, pœna hęc illatę uiro ſancto necis erat futura) Confeſtim ille poſt facinus illud tam audax, mente captus eſt, neque ex ea die in poteſtate ſua amplius fuit. Nam & audaciſsimũ, nõ tamẽ omni ex parte reprehendendum facinus, maiore mox ac pernicioſiore alio cumulauit. Cũ enim ſtatuis ijs, quę in Hippodromo ſunt, ſolitũ Baccho fieri ſacrificium feciſſet, ſanè meritã eius rei mercedẽ illicò reportauit; ſiquidem ijs nondum peractis, miſerabiliter ſublimis intra cubiculum ſuũ eſt importatus. Caſu nihilo mitiore, q̃ fuit ille Herodis, qui cũ Iacobũ Tebedęi filium in gratiam eorũ, qui Chriſtum occiderant, interemiſſet, ac Petrũ ipſum Apoſtolorũ Principẽ ſimili modo fuiſſet adortus, meritũ ipſe quoque facinoris ſui pręmium eſt conſequutus; quippe qui in maxima,

7 *Ecce Chriſtianis omnibus etiam regibus antiqua obſeruatio indita, ut quoties Dei baſilicas ingrediuntur, aperto eas capite ingrediantur.*

quæ ad diem solennẽ conuenerat, mortalium frequentia, regio satellitum comitatu subnixus, summo cruciatu, scatentibus undiq; ex eius corpore uermibus, de uita decesserit.

Quomodo autẽ hic noster? Nostis profectò, quemadmodũ miserrimè ille fuit elatus, quantaq; in eius funere faciendo adhibita festinatio, sella Regia, qua eius corpus portabatur, confracta, perinde quasi ægrè tulisset sceleratissima se illa sarcina pressam fuisse. Meminisse potestis præterea, q̃ grauiter fœdeq; infelix illud corpus fœteret, quantusq; ac q̃ teter esset odor ille, quẽ occurrentium sibi naribus afflaret, eiusmodi uidelicet qui aromatũ, quæ incenderentur, omnium odorẽ confunderet. Intumuerat præterea mirandũ in modũ. Atq; hæc quidẽ diuinæ prouidentiæ etiã nunc in rebus humanis uitæ huius indicia fuere; nam & colliquescente iam in putrorẽ corpore, eius adhuc spirantis tabidas carnes ex inferioribus aiunt partibus effluxisse: quo quidem factũ est, ut uix ad destinatum sepulchrum delatum turpiter fuerit, ignominiosæq; proiectum.

Conferantur nunc nostris, si placet, ea, quæ huic euenerunt, ostendaturq; quid religiosus & pius uir, quid item contra Dei contẽptor & impius, quomodoq; uiri pij exitum honor solitus sit comitari, contraq; scelesti, derisio, contemptioq;. Nam ad ea, quæ diximus, illud etiam accessit, 8 q̃ ne solita quidẽ 8 uiris pijs post mortẽ adhiberi, exequiarũ iusta ei per soluta fuere, neque regia adhibita à magistratibus pompa, præter paucissimos quosdã, eosdemq; contẽptissimos, qui cuilibet etiam de uulgo solitum officiũ præstaturi fuissent. Atqui multos tamen ille sui studiosos habebat, neq; impedita erat cuiq; ad eum confluendi potestas: nisi sicubi aliqui etiam præsto fuere, quos utpote authoratos sine mora Imperatoribus apparere oporteret. Sed nimirũ oportebat, ut huiusmodi sepulturã nancisceretur uir omnium importunissimus, quæ debita rebus ab eo scelerate gestis alterius ei uitæ supplicia repręsentaret. Cæterũ hic quidem hoc modo meritas scelerum suorum pœnas pependit.

Nota uiris pijs post mortem adhiberi solere exequiarũ iusta.

Quid uero eius consilij primarij authores, maximeq; illa circum nefarium caput palpitans cauda? Aliorũ nimirũ iam exitum uidimus, quorũ memoria cũ sonitu perijt, alijs etiam ex propinquo iam imminere uidemus, neq; enim gemitus pauperũ peribit in finem, canetq; chorus iuuencularũ, nostri, incq; seculi ecclesiarũ, Victoriæ carmẽ, nouo & importuno Pharaone unà cũ curribus, uectoribusq; demerso. Siquidem huiusmodi exitum expectat morũ asperitas, duritas, implacabilitasq;. Sed hęc missa faciamus, eaq; q̃ initio nobis proposita erant prosequamur, orationemq; hoc modo terminemus.

9 O potestatem 9 Pontificum Dei, quæ unà cũ ijs, qui uirtutis causa perpessi iniurias sunt, lętitia exultas, unà cũ Abel inuidię obnoxia es, unà cũ antiquo illo Iacob ab æmulis assidue uexaris, unà cũ Zacharia iugularis, unà cũ Iacobo in gratiam Iudæorũ mactaris, unà cũ Diuo Athanasio è sedibus tuis exturbaris, unà cũ Paulo exilij pedicis, quemadmodũ hic,

Vide quantũ hic extollat sanctus uir Episcopalem dignitatem.

confeſsionis,honeſtaris,unà cũ Nicephoro ac Photio uiris clariſsimis,fugis,ac mortibus decoraris. Te ſepulchrũ non operuit, ſed omnibus, quæ ſub cœlo ſunt,terris aperuit. Te non terra contexit,ſed omnibus, q̃ ubiq; ſunt,partibus eius oſtendit,dignũ Pontificem eo, qui te creauerat, Deo, idoneum præconẽ rebus illius magnificè geſtis,ſimilem etiam eorꝫ,quos ipſe tulerat,laborꝫ exitũ conſequutũ. Veruntamen qui laborꝫ iam tuorũ
10 præmia percepiſti, unaq́; es cũ duce magiſtroq; Chriſto, eũ iſthinc nobis concilia,ut ſiſtat procellam,tempeſtatẽ cohibeat,maris tumultum ſedet,ijs,qui itidem ut nos iniurijs affecti fuere, merita pręmia perſoluat, ſiue ut iudicium conuertatur in iuſtitiam, ſiue ut iniuriarum authores agnoſcant ſe deliquiſſe, & idoneam, contra quàm hactenus ab his factũ eſt, cantilenam auſpicentur.

10 *Habes hic ſanctorum inuocationem, habes & eorũ animas eſſe cum Chriſto in cœlo.*

ITEM DE EODEM PER EUNDEM ARETHAM Archiepiſcopũ, eodem quo ſupra Interprete.

Eſt alia eiuſdem Oratio habita p̃ſente Euſtathio primo Papa nouæ Eccleſiæ, ideſt Cõſtantinopolitanæ, ſimpliciter et appoſitè ad ingenium ipſius Euſtathij.

EVthymio patri ac Patriarchæ ſanctiſsimo orationis noſtrę primitias dedicaturus, cõmodè uideor mihi poſſe clamans in uocẽ illam erumpere, Verè mirabilem fecit Dominus ſanctũ ſuũ. Quę enim ille diſcipulis ſuis euentura prædixerat,quibusq́; uiam,quæ ad uitam ferret,oſtendit; hæc ſiquis conſideret,in huius uitã abundè confluxiſſe omnia animaduertet,ab ijsq́; diuinã ueluti eius ſtatuã egregiè ad pulchritudinẽ expolitam fuiſſe:nã & grauiſsimè ipſe quoq; preſſus eſt in mundo, & per anguſtam & arctam uiam in æternas illas perennis uitæ mãſiones penetrauit,unde unà cũ gemitu dolor aufugit,miſerabiles uerè huius ſeculi notæ,ubi uox gaudentium de rebus à ſe rectè geſtis atq; præclarè, & ſonus feſtiuè acclamantiũ,ꝙ confractus ſit laqueus, ꝙ ſicut paſſer erepti ſint de laqueo uenantium,ꝙ eorꝫ quibus obtigerat,ut ſanguinẽ innocentem condemnarent,ſupremi Dei ope iudicium euaſerint; ut uerè Salomonis illud queat uſurpari, Iuſti in ſeculum uiuent, futurum uidelicet. Quid eſt enim,quæſo,quamobrẽ uita hæc,in qua nunc ſumus, uita meritò debeat appellari,quæ ab nulla non ſui parte ad interitũ properat?

Hanc unã iſte optabat, huius unius cupiditati totus deditus erat, quã qui tenent,felices ſunt in Domino,de quo uno ſpes ſuas aptas eſſe omnes uoluerunt,cuiq́;,ut hic ipſe,cuius nunc laudes perſequimur,uitam ſuam omnẽ dedicarunt. Quo quidẽ fit,ut 11 meritis hinc etiam pręmijs afficiatur,quippe cũ eius gloria iam cũ laudibus celebretur,atque ex ea, quã hic apud nos habet, famę celebritate, perpetuò permanſurę illius ſigna initiaq; oſtendat,& ſpes illorꝫ apud altiſsimum,euge rata perpetuo ſpes, expectatioq; certiſsima,ſiquidem in eo ſtabilita eſt,qui uerè eſt.

11 *Fuit ut meritis etiam præmijs officiatur.*

Cæterũ quis alius,ſic quemadmodũ hic,ad iuſſa Dei exequẽda expeditus,Deoq́; penitus deditus uir in Dominũ ſperauit? Qui hac in re ne ipſo quidẽ illo Enos longo interuallo inferior fuit,qui mirãdę huius ipſe

uirtutis primus author extitit:quippe aſsiduè omni in re inuictam ſpem ueluti ſolidiſsimũ quoddam ſcutũ præſeferre ſolitus erat. Quamobrem etiam cũ rebus undiq; aſperis premeretur,auxilijs omnibus humanis cõ temptis,omniq́; mortali ſpreto patrocinio,in ſolo Deo ſpem ſuã colloca uit,à quo uerè etiam fuit adiutus,& protulit caro eius patientiæ germen ſanctum, cũ qua confecta præſenti uita fidens ad Deum migrauit, gaudio de parta uictoria triumphans. Exin etiam,iuxta ea,quæ de ſacro eloquio ſequuntur, accepit 12 Regnũ decoris, & diadema pulchritudinis de manu Domini,quoniã ipſe Dominus ait, Dignus eſt operarius mercede ſua. Quid eſt auditores,quod ſana mente aliquis maiore ſtudio uelit adipiſci,quàm hæc?Si enim quibus feliciter contegit,ut breui uitę huius regno potirentur, ij, tametſi plerunq; id ſine animi angoribus tenere non poſſunt,ſciuntq́;,ſuperiorũ exẽplo,in eo ad multũ tẽpus ſe non permanſuros, nihilominus tamen tanquã magnũ aliquod adepti, magna lætitia geſtiunt,quanto tandẽ æquius eſt illos gaudere, qui Regnũ periculis uacuũ,æternumq́; ſunt conſequuti ? Cur porrò non illud magis omni ſtudio quærendum,amplexandumq́; eſt,in quod etſi ingreſsio non niſi per 13 multas tribulationes datur,ubi tamẽ ingreſſus ſis,omnium, quos pro eo adipiſcendo ſuſceperis,laborum obliuiſcare?cũ eiuſmodi ea ſit,quę ibi habetur beatitudo, ut maiorẽ in modum, quàm quis dicendo aſſequi poſſet, eam,quæ fuerit in illo parando,difficultatem exuperet.

12 *Vide ſi regnum cœlorum detur bene operantibus tanquã competens merces.*

13 *Si nõ datur ingreſſus ad regnum cœlorum niſi per multas tribulationes,cur noſtri tẽporis noui Magiſtri nullas pati uolunt tribulationes, nec crucẽ ſuam tollere, & poſt Saluatorem ire , ſed tantum fide ſua illa inani in eũ credere?*

Verũ enim quoniam hæc ita ſe habent, atq; in his omnibus tu, qui es Athleta fortiſsimus,aſsiduè à teneris (ut ita dicam) unguiculis uerſatus, teipſum exercuiſti,uſq; dum beatũ iſtum tumulum ſubijſti, uoluntarijs partim,partim ijs etiam,in quæ inſcrutabilis te illa mens certaminũ præſes coniecit,forti animo obeundis,& quemadmodũ ſanè decretũ diuinitus erat,ita & fortiter in ijs te geſsiſti,nihiloq́; minore fortitudine, quàm celeberrimus Iob ille Auſites,cũ quo etiam unà uictor prædicaris,gloriamq́; tuam longè lateq́; per uniuerſum terrarũ orbẽ propagas,Verè beatus es, longeq́; beatiſsimus cũ ob eam,qua hic uſus es, patientiam, tum ob eam etiam,quã ibi adeptus es hæreditatem:quemadmodum cõtra miſeri,longeq́; miſerrimi illi, qui latam & ſpatioſam ingreſsi uiam, cum innumerabilibus te ærumnis oppreſſerint, ſimile uiæ ſibi imprudentes diuerſorium parauere.

Te igitur quis non admiretur,quem Dominus in terris mirabilem fecit?Quis non mortalibus omnibus amabilem deſiderabit,ob uitę rectitudinem, ob morũ ſimplicitatẽ,resq́; rectiſsimè geſtas? Quis non te pleno ore laudibus in cœlum extulerit? uirũ optimũ,atque affabilitate pleniſsimum,quiq́; omnia factus es omnibus,ut quemadmodũ Paulus ait,prorſus aliquẽ inuenires ex ijs,qui fierent ſalui. Multa me habentẽ horũ ſimilia,quæ memorarẽ de rebus abs te geſtis præclarè, ſanè laudatorum ingens quidã me numerus circũſiſtit,quorum alij aliunde me urgent, ut aliquid ipſis quoque ad te laudandum ſpatij uelim relinquere; ſiquidẽ ſoliti ſunt

omnes, in quibus aliqua ineſt dicendi facultas, in eo gloriari, ſi dicendo aliquas uobis laudes tribuerint, ac ſacroſancto Dei uelut altari de labijs ſuis uobis fructum attulerint.

Equidem ego quantũ uiribus cõſequi potui, uel potius quantum orationibus ueſtris inſpiratus ſum, ut dicerẽ, poſteaq̃ debitum deſiderio meo iam officium perſolui, finem faciam dicendi, ipſisq; ut ſuo itidẽ fungantur, concedam, illorumq; in uobis laudandis laudes, meas ipſe ſum exiſtimaturus.

VITA SANCTORVM CHRISTI MARTYRVM Guriæ, Samonæ, & Abibi, per Aretham Archiepiſcopum Cæſarienſem ſcripta, Viro docto Interprete.

Eſt oratio eiuſdem in eorũ laudem habita, nunc primum latinis reddita.

QVomodo ueſter uobis ſe animus habet, ſacer grex? qui diem feſtum hunc ſplendidius Chriſti confeſſoribus agitis, quãdo externa etiam multa uos uti uideo lautitia, ſummaq; cũ hilaritate ſacrum hunc locũ occupare. Nunquid fortaſſe, quæ in uobis Imperium obtinet mens, ſenſim à rebus deflexa ſuis per ſenſus effunditur, & in ea etiam, quæ oculorũ ſubiecta ſunt ſenſibus, diſsipatur? An uerò cũ paululum hæc, blandientis cuiuſdã catelli more, ſenſui adulari permiſerit, ipſa in ſua gaudens altitudine, pulcherrimis ſibiq; proprijs ſpectandis rebus mouetur, afficiturq;, & reijciendis uoluptatibus corporis, propriũ Chriſti martyribus uerè natalem celebrat diem? Si hęc ita ſe habent, & uictoribus his honorẽ iſtum habendum cenſuiſtis, atque ita diem feſtum celebrare contenditis, Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, qui pridem etiam ſeruos ſuos uelut paſſerculum quendam de laqueo uenantium eripuerit, & nunc in ipſa anni conuerſione, optato gaudio nobis allato, ſacris eorũ certaminibus quodam hilari ueluti conuiuio, ſtudioſius nos excipere uoluerit.

1 *Dies feſtus Martyrũ Guriæ, Samonæ & Abibi antiquitus celebrabatur.*

Et quid hoc eſt? Id nempe, quodcunq; animi uires confirmat, & ſpreta laudabiliter multitudine imperita, ad illas alterius uitæ manſiones erigit, erigiturq;, alis ueluti quibuſdã omnium prudentiſsimè in altum euectum; talis eſt enim martyrũ feſtus dies, tale uictorũ noſtrorũ theatrum, talia ſunt ea, quæ abs ſe allata nobis illi conuiuis ſuis apponere ſtatuerunt: Quando non hoc modo epulari, lætitiæq; indulgere, ſed uni uentri turpiter deſeruire, qui, quicquid in eũ quis ſtudij contulerit, in ſeceſſum emittit, & ueſtium mutatione alios uiciſsim alios ſuperare contendere, nõ ſolum res generoſa non eſt, eiuſmodiq; quæ moribus, diſciplinæq; noſtræ conueniat, ſed ab ipſo etiam eſt conuiuatorũ ſenſu, menteq; alieniſsima. Hæc igitur cũ ita ſint, cumq; nos quo pacto diem feſtum oporteat celebrari, antea iam denunciarimus, nec ſine ſpe fore, ut iactis in terrã bonã, animarũ uidelicet ueſtrarum cogitationes, orationis ſeminibus, multiplices ſimus ſpicas meſſuri; agè dum agè inquam, præclaro facto iam hoc

orationis initio, ea uobis deinceps proponamus, quæ diei festo celebrando conueniant.

At enim desideratis, uideo, ut fortissimorũ horum uirorũ certamina tanq̃ in tabellis quibusdã à nobis depicta, omnibus spectanda proponantur, ꝙ ad diei festi celebrationẽ his accõmodatius esse nihil uideatur. Hoc igitur & faciamus. Tametsi ad pingendum nobile adeò hoc argumentũ idonea sine dubio pigmenta nobis non suppetunt, ut ex inuicta martyrũ constantia diuinus in animos nostros fructus perueniat; quo eorũ uidelicet æmulatione excitati, oppugnato pro uiribus impotenti animi uitiorum dominatu, perennem uobis ex maxime diuina ista certatione gloriam pariatis. Sed agè dum apponamus iam uobis quæ habemus, idque quatenus facultates nostræ patiuntur. Cæterũ qualiacunq; sint ea, collata cũ studio, prorsus placitura non dubito, præsertim qui sciam non solere â legitimis, & æquis rerũ æstimatoribus filijs repudiari parentum facultates, sed propterea ijs charas esse, ꝙ sint paternę. Simili modo etiam pauperi non sit qui uitio uertat, siqui cõmessandi causa ad illum accesserint, de ea, quę sibi prę sto fuerit, copia ipsis largiatur.

Sanè quidem Gurias, Samonas, & Abibus, & nati sunt Edessę, & educati. Porrò Edessę huius, quæ quidẽ urbs est in Mesopotamia, nomen cũ paucis admodũ ante hos martyres cognitũ esset, ab ijs ita celebre factum,

Vides ex sanctorum memoria ciuitates illustres reddi ę

2 illustratumq; est, ut unà cũ eorũ fama per uniuersum se orbẽ terrarũ diffuderit: neq; uerò ijs intra urbẽ domicilium fuit, sed in agro extra, ubi uidelicet tranquilliorem à uitæ huius negotijs uitã essent acturi, procul à ciuilibus turbis remoti, quę certũ animi in religione propositũ perturbare solent, atq; peruertere, neq; spatium dare, ut pulchritudinẽ suam uelut in speculo ualeat contemplari; ac si quid sit quod ei officiat, & ignoretur, id peruidere posit atq; corrigere. Iccirco igitur grata his ualde uita fuit agrestis; in qua etiam asidui unà cũ propheta illud ; solitarij donec transeamus; omnium pulcherrimè tenuerunt.

Sed enim Gurię pręcipuũ in uita studium, meditatio & continentia fuit, quę diuturna consuetudine, familiares illi, ac peculiares factę, fecere, ut cognomento Continens appellaretur: neq; enim tu eũ aliter indicasses, nisi dum eum nominares, nomini etiam continentẽ addidisses. At Samonas uigentibus maximè & animi & corporis uiribus, ijsq; præditus, quæ qui habent eos libenter spiritus sanctus suis solitus est choris aggregare, quippe cũ iuuenes hortetur, ut se senioribus adiungant, ut Victorię unà carmen concelebrent. His, inquã, ille præstans animi & corporis uiribus, ad Guriam se contulit, eius uitæ studia propius imitaturus, ac si posset etiam superaturus. Cæterũ qui absolutã illis choream conficiebat spiritus sanctus, tertium etiam præterea quærebat, qui cũ numeri paritate eam similitudinẽ, quæ sibi cũ patre & filio est, perfectè in choro ipsorum exprimeret, tum etiam numero firmitatẽ concordiæ stabiliret. Itaque, ò felicitatẽ, etiam inuenit Abibum, qui tametsi utroq; natu minor erat, ta-

men quod ætati deerat, supplebat non eo solum, quod peruestigatis utriusque ipsorũ uitæ institutis, in animũ induxit, ut in eodẽ se unà cũ ijs curriculo exerceret, sed eo etiam quod sacro diaconatus ordine insignitus, magnum ijs quibus se socium adiungere festinaret, ornamentũ afferret. Mediũ enim his se cũ inseruisset, unaq; cũ ijs apud Dominũ, cui ministrabat, fidenter egisset, pijs quietem à persecutoribus conciliauit: Siquidẽ post illud tẽpus nostra sanguine martyrũ rubescere desijt terra, pulso nimirum è Regno Licynio, Constantinoq; in eius locũ substituto. Quo quidẽ Imperatore Romana res florere, amplificariq; cœpit, quiq; primus è regibus omnibus impietatem auersatus, pietatem palam est, libereq; professus.

Huiusmodi præditi uirtutis insignibus Gurias, & Samonas, non iam Edessæ tantũ, atque eius finibus cogniti erant, sed in exteras etiam terras longè lateq; se eorum fama propagabat, erantq; hinc Christianis lætitia ac decus, illinc Græcis tristitia, & dolor uehemens, ac quicquid denique mali creare solet inuidia. Quamobrẽ non ferunt illi illustrium gloriam uirorum per uniuersam Syriam diffusam. Diocletianus erat eo tẽpore Romanorum Imperator, qui cũ non satis magnam se adeptum ex subactis Imperio cunctis gentibus gloriam existimaret, illud longè sibi præclarius futurum putauit, si Christianos eorum uoluntate ad sententiam suam traduxisset, aut recusantes funditus deleuisset, ut sublatis qui Deum intelligerent, sublatis etiam qui incruento sacrificio bonitatẽ facerent, liberũ dæmonibus suis sacrificiũ posset offerri. Hinc ex Regijs literis, quæ quoquouersum per uniuersam Romanorũ ditionem mittebantur, & pijs pernicies parabatur, & ignominia; contraq; impijs, qui muta & manu facta simulachra uenerarentur, honor & salus spondebatur.

Ad hæc iudicum iniustorũ, & cædem spirantium aliæ post alias procellæ, quibus illud unũ erat propositũ, quemadmodũ omnibus in rebus ijs morem gererent, qui se misissent. Parati erant præcones, aperta subsellia, editiora extruebantur tribunalia, omni circumquaq; tormentorũ genere uallata. Interdictum erat Christianis, ne tam cõmunibus se, quàm sacris conuentibus ĩmiscerent; in forũ nõ admittebantur; omni cõmerciorum iure excludebantur; quæcunq; ante illud tẽpus omnibus promiscuè patuerant, tam publicè, quàm priuatim, contrahere eis cũ nemine licebat; magna in urbibus Christianorum erat solitudo; in earũ locũ remotiores ab ijs recessus succedebant, quos multitudo eorũ qui exagitabantur complebat. Nulla in persecutoribus aduersus natu maiores reuerentia; nulla paruorũ, ac propterea malorũ sensus expertium misericordia, ne ijs quidem quibus tribuit ipsa natura, ut propter uirium imbecillitatem, huiusmodi affectu plurimum mouerentur. Ferè immites omnes aduersus Christianos, unaq; in re tantũ humani, quod quorũ in animis piam de religione fidẽ concusserant, ijs, simul ut eos ad simulachrorũ aras adduxerant liberam male uiuendi potestatẽ permittebant. Quo quidẽ nihil pijs poterat esse perniciosius. Grauis oppressam creaturã tenebat tempestas, quæ nullam

prorsus securutæ tranquillitatis significationẽ daret, nullam'ue melioris status miseris affulgere spem sineret ex his, quæ sunt consecuta?

Nec ipsa Edessa cõmunium tẽporis illius calamitatum immunis fuit. Gliscebant in pios quotidie ærumnæ; & impietatis procella, quæ ciuitatẽ inuaserat, effecerat, ut omnes iam de uita penitus desperarent. Domus singulæ suos scrutatores habebant, tam quæ in illustri positæ ciuitatis loco, q̃ quę ꝙ in obscuro esse uiderentur, tutum antea latere uolentibus ꝓfugium præstare solitæ erant. Neq; ipsi etiam agri huius erant tẽpestatis expertes: siquidẽ nihilo tolerabilior in his, q̃ in oppidis miseriarũ erat fluctuatio, similibusq; hic atque illic periculis pietas ueluti tempestate quadam iactabatur.

Eo tempore ipsi quoq; Gurias & Samonas, hic fortitudinis, ille continentiæ laude insignis cõprehensi sunt, unaq; cũ ijs ingens Christianorũ multitudo carceri addicta, cũ non esset qui redimeret, neq; qui saluũ faceret. Ac cæteri quidẽ, quibus aut nominis obscuritas, aut fidei negligentia causa erat ut contemnerentur, sine mora ẽ custodia educebantur, quippe cũ nihil aduersus se impugnantes præseferrent, quod esset ad expugnandum difficillimũ. Verũ Guriæ & Samonæ ingens, quę eos comitabatur, solidæ pietatis gloria, causa fuit, ut diutius in custodia asseruarentur. Ex quo quidẽ uidentur mihi meritò confessorũ etiam cognomentũ adepti, quod præmij loco ijs deferri solitũ est, qui Christi causa hoc modo citra necem male habiti sunt. Siquidẽ in ea tandiu feruntur permansisse, quoad uita functo priore principe, alter in eius locum succeſsit.

Vide qui dicantur in Ecclesia Confessores.

Verũ enim afflictatio his oblectamenti loco erat, & incõmodorũ perpeſsio philosophiam in eorũ animis augebat, quæ quidẽ grauiorum, quę mox pro Christo essent excepturi, tormentorũ quoddã erat uelut pręludium: Quę alios etiam exẽplo suo excitabant, quippe cũ docerent eam, quã quis uerè profiteretur, fidẽ, neq; rebus asperis, quę Christi causa maximè intentarentur, frangi, neq; malorũ perpeſsione ulla debilitari; neq; enim permissurũ iustum certaminũ arbitrum ac moderatorẽ, ut ea aut semper durarent, aut maiora essent, q̃ ut ijs ferendis quis esse par posset; prętertim si Paulo habenda sit fides, qui ipse rerũ arcanarũ, & inspector fuit & prędicator: Et si labor est multus, at nondum tamẽ est tantus, imo longiſsimo interuallo minor, q̃ ut cũ eo, qui in nos postea reuelandus est splendor, ulla ex parte merito queat cõparari. Atq; hęc quidem illis hoc modo. Verũ enim uero quoniam oportebat, ut perfectioribus multo laboribus se darent, & ad nobilitandam etiamnum magis ipsorũ gloriam, reipsa superioris suę exercitationis perspicuũ oĩbus ederent documentũ.

Furebat rabie incitatus aduersum Christianos is, qui pauloante missus prouincię regendę fuerat pręses. Porrò rabies illa id unum spectabat, quemadmodum ei, à quo missus fuerat, omnibus in rebus gratificaretur. Itaque nihil prorsus omittebat eorũ, quę eos pręstare par est, qui furoris sui socijs omnibus in rebus inseruiunt. Ad tribunal rapti altę indolis uiri

ſiſtuntur, pietatis ſuę pœnas daturi. Cęterũ quę magna cũ animorũ elatione, magnoq; cum ſpiritu, aduerſus hunc dicta tunc fortiter à martyribus ſunt, ex quibus & pręſentis fortunę inconſtantia derideretur, & eorum, quę in poſterũ parata ſunt, bonorũ gloria magnificè pręd icaretur (tametſi margaritarũ nobilitas ante ſuilli generis homines proijciebať) aut quemadmodum ipſe etiam iudex, dum eos tentat, qui tentationibus uinci non poſſunt, inuictam eorũ animi conſtantiam aſtutè ſubuertere conabatur, longum utiq; eſſet perſequi oratione; nihilominus tamen ut quantum ad intelligendum ſit ſatis, quales illi fuerint, doceamus, ne egregię martyrũ paleſtrę prorſus ſimus expertes, neue eius rei, quã ex omnibus pulcherrimam ſperauimus, iacturam faciamus, tales erant, aut his ſimilitudine, q̃ proximi.

Blandè agebat cũ uiris ſanctis is, cui iudicãdi poteſtas obtigerat, ſeſeq; modo ut qui nocere eis nollet, ad lenitatem dabat, modo ſupplicia differebat, ne animi ſęuitia ea ĳs accelerare uideretur, qui ad quęuis perpetienda ipſi erant paratiſsimi, nullaq; re magis, q̃ ſupplicij mora offendebantur, uerũ apparebat facta dictis eſſe contraria, quippe cũ non humanitatis ea eſſent, quę ab eo fierent, ſed immanitatis, animi nõ benefici, ſed malefici, ſiquidẽ ex morę huiuſmodi interpoſitione apparebat, eum eorũ animi firmitatẽ, roburq; ſenſim uelle labefactare, & ardorẽ pręſtinguere, quò uidelicet poſtq̃ ex huiuſmodi ampliationibus recens alacritas illa ueluti deferbuiſſet, conſopitaq; eſſet, uiam ad id, quod ſibi propoſuerat, occultè muniret; Quin & nugamenta aduerſus illos uerborũ quædam contexit, ſic propemodum aſtutè ipſos aggrediens.

Nolite, inquit, putare uos, me animo eſſe pręduro, eiuſmodiq;, qui crudelitate, & humano ſanguine delectetur: Naturam reuereor, miſeret me cognationis, quæ mihi eſt uobiſcũ, & quamuis contrariam nobis religionis uiam ſitis ingreſſi, idq; fortaſſe ueritatis inſcitia ducti, ac propterea in animũ uobis induxiſtis, ut extrema omnia ferre libenti animo ſupplicia ſitis parati, nihilominus ego quidẽ de hoc uobis ignoſco, idq; conſilij ueſtri imbecillitati tribuo, ſiquidẽ ſcio mortalium adhuc neminẽ extitiſſe, qui quidem in conſilio ſibi capiendo nuſquã errarit, quiq; cũ in alijs optimè ſenſerit, in ĳs quæ præcipua ipſi erant, non aliquando offenderit, atq; ibi maxime, ubi maximè ſe præſtare confideret. Quocirca licet innumerabilia urgeant me Regũ iuſſa, nihilominus tamen malim, quoad fieri poſſit, cum manifeſtè periculoſa res ſit, quiduis ſupplicij ipſe ſubire potius, q̃ aſperũ in uos quicquã efficere, uſq; dũ fortaſſe duritia ueſtra mea patientia deuicta, lenioribus uos uerbis ab obſtinatione iſta deductos in meã ſententiam adduxero, cui ferociter nunc repugnatis.

Quem enim ſacra ueſtra non moueat canicies, Guria, quæ in uobis undiq; apparet, quamq; continentia conſpicuam facit, cum in iſta, quæ uobis extrema reliqua eſt, uitæ parte, eam iactari animaduertat? Quis porrò non Samonæ integras animi, & corporis uires ſummè admiretur,

perpetuoq; laborũ sibi eum habere omnium socium desideret? Valeant iudiciaria subsellia, diuitiæ, honores: quãuis enim hęc illecebris suis blandè ad se animos omniũ alliciant, permagnumq; ad bene beateq; uiuendum habere momentum uideantur, nihilominus tamen, quãdo uos ista morum probitate, modestiaq; uiri ita faciendum censetis, placeat mihi quoque omnia ex fortunæ temeritate pendere, qua cõmutata, ea quoq; cõmutari necesse sit. Videte qualem me aduersus uos geram, donate hoc mihi, ut meliora de uobis possim sperare. Tu, Guria, adhibita tibi in consilium ea, qua pollere solitus es, prudentia, summaq; eademq; spectata omnibus ista animi tui magnitudine, grauitateq;, Tu uerò, Samona, solido à te isto ac uiuido corporis robore tuo ad Regis culturam translato (id quod etiam futurum, hesterna diæ diuinæ mihi Sibyllæ confirmarunt) nolite, quæso, ita crudeliter duriterq; uestris, quibus uos natura largiter auxit, bonis abuti; Nam à me quidẽ misericordiam aduersum uos aufertis, uos uerò in turpissimam necem compingitis, ac maleficos homines imitamini, qui misere uolentes ipsi sibi mortem consciscunt. Atque huiusmodi quidem astuti iudicis & ratio, & oratio fuit.

Quid uerò uiri fortissimi, imperterritiq;? Easdem ĳ nimirũ ad eum capiendum artes adhibuere, quibus fretus ille eos se dolo capturum sperabat. Nam quid est, inquiunt, quod tantopere à sententia nostra nos ualeat dimouere? Nunquid uehemens fortasse instabilis uitæ huius cupiditas? Sed quidnã est, quęso, ex omnibus, quę in ea habentur iucunda, quo animus noster queat permoueri? An non animaduertis nos optimos uos testes habere, cuiusmodi hoc sit, quo sum circumamictus corpusculum, q̃ paucissimis ad se in uita tuendum contentũ, & expedito Christi militi per quã simile, qui ad omnia Tribuni iussa exequẽda sit q̃ paratissimus, quiq; uelut super tenuissima rate uitę huius pelagus transmittat, ne qua re grauante impedita illa necessariò cursum tardius conficiat? Vnde igitur à sententia me mea poteris reuocare? quibus'ue capere blandimentis? ut me res uitę huius permoueant, qui maximę illius iam parti mortuus sum? quippe qui uoluptatibus contẽnendis ipse in uoluntariam me mortem tradiderim, atq; hoc ipsum, quod nunc uiuo, eo uiuã, q̃ eius iniussu, qui me in uitã induxit, nolim exire de uita. Siquidẽ eum iubemur expectare, dum uinculum soluat, à quo nimirũ in eam fuimus illigati. Et quid obsecro, nonne hoc summæ esset dementiæ, quibus iuuenis nuntium remisissem, his denuo cupiditatẽ uelle irritare, atq; ea, quę iampridem omnibus, qui ea uellent, libens dimisissem, gratiæ loco nunc cupidius appetere? presertim cum illud esset incertũ, an diu simul ac ea essem adeptus, eis mihi securè per otium frui liceret. Sed ut adempta prorsus sit omnis de hac re dubitatio, haud dubiè is degeneri, illiberariq; se esse animo ostẽdat, qui rebus æternis caducas anteponat, stabilibusq; ac permanentibus ea quæ citius diffluunt, q̃ consistere potuerint. Et quod quidẽ ad me attinet, hoc modo. Quo pacto uerò etiã Samonã hunc (pro eo enim loquor,

quod is & animi sensuū, & præclarę huius peregrinationis mihi socius est) à sano suo animi proposito poteris auocare?

Dices fortasse, non conuenire adolescentē ætate integra, & uiribus corporis ualentissimis, uiuendi finē facere, & ante præstitutā sibi uitæ diem, de uita uelle decedere. Fateor, uiget ille quidē ætate, sed Deo uiget, unde & uigorē illum accepit; uiget itē uiribus, sed hoc quoq; inter res maximè laudabiles est, quę ætate sunt integra, & uiribus firmis, ea illi offerre, cui uetus etiam lex gratā uictimā offert, uitulum nouellū, & ætate florentē, cornibus nunc primulum se foras trudentibus, & ungulis decorū. Talis etiam Samonas tali etiam similiter īmoletur, florenti etiamnum ætate, & nitenti facie, non autē in senectutē iam uergente, ne fortasse rugis etiā insidiantium nobis annorū corruptus, uictimæ uitiet integritatē.

His auditis astutus ille, ac ueterator, confestim spem, quā conceperat, amisit. Quamobrē abiecta persona, aperta impudentia in necē sanctorū præceps ruit. Mirabili igitur incensus iracundia, ijs celeriter ad se accersitis, quorum munus est istiusmodi carnificinas exercere, mandat, ut fune altera manu religatos martyres diu ita sublimes teneant; quibus, præterq̃ q̃ totius corporis pondere grauati diuellebantur, ad maioris etiā pręterea sensum doloris, intolerandum pedibus aptari pondus iubet.

Norunt pleriq;, sed omnium maximè medicinæ artis periti, qui naturę arcana ipsi subtilius indagarunt, q̃ intolerabilis illius sit cruciatus dolor in quouis animāte, si extrema aliqua sui parte suspensum teneatur, atq; in eam unā uniuersum corporis totius pōdus recūbat: quippe cū ossium compages in eo sint, ut iam iam discludendę sint, neruiq; ipsi sint pręter modū distenti, & musculi distracti, & totus ipse corporis truncus suopte atque alieno etiam pondere diductus constringatur; deinde cū naturalis humor unà cū animali spiritu, quà quidē in exteriores partes coarctetur, quà uerò propter meatuū constipationē egredi prohibeatur, grauior in animante excitatur doloris uis, inter cætera omnia hoc etiam ipso, q̃ exitus in elisione pręcluditur, eoq; magis si distentio quæ fit, ex diametro existit, qui quidem longior excogitatus sit, q̃ sit quæuis rectarū partium media linea. Tali igitur tantoq; Satanę ministrorū solertia cōparato tormento, cū in eo per dimidiatę diei spatium, eoq; amplius illi constanter perseuerassent, ubi se nihil ꝓficere impius iudex animaduertit, à supplicio tandem relaxari, atque in obscurissimū carcerē trudi martyres iubet, ibiq; diuturna eos inedia macerari. Tum quæstio rursus, & tormēta longe omnibus ijs, quæ pręcesserant, grauiora, immanioraq;.

Cęterū Guriam ille utpote & senectute iam & inedia, & ijs, quos paulo ante pertulerat, cruciatibus penè confectum, statuit tormentis amplius non diuexare, ne si id fieret, animā ille inter tormenta priusquā uoluisset ipse, & lentis eum pœnis affecisset, expiraret, atque hoc modo spe ipsum maxima deturbaret. Siquidē existimabat se illum omnino aliquando tentatū in potestatē suam redacturū, quippe aut blanditijs emollitū, aut tor-

mentis fractum iri animos eius,aut deniq; fore,ut cũ uideret, quibus alij cruciatibus afficerentur,alieno periculo disceret,quemadmodũ eos ipse, mutanda sententia sua,declinaret. Verũ Samonã, ꝙ eum & iuuenẽ uideret,& robustũ,tormento denuo aggreditur atrociore longè,& supra quã dici,cogitariq; posit,maiore,q̃ antea.Nam ex altero pede capiteq; eũ sublimẽ statutũ,pondere alterũ ferri incredibili in diuersum distrahi iusit, quippe cui certũ esset,illum prorsus hoc modo quamprimũ uelle discerpere.Ex quo quidẽ factum est,ut laxata coxendicis iunctura claudus ille postea non sine causa remanserit.

Sed cum hæc quoq; uiri fortisimi pro nihilo habuissent,omnemq; ei penitus spem pręcidissent, fore ut ab eo unquã uinci,superariq; possent, denuo eos ille in custodiam cõpingit,ubi cũ aliquãdiu permansissent,postea nocte intẽpesta ijs caput amputari, ut hoc modo uitã relinquerent, iubet. Proh quantę sententia hęc lętitiæ martyribus fuit,non quidem ob eã causam, ꝙ uiderent hoc modo allatũ iri finẽ acerbitatibus, atq; ærumnis suis omnibus,seq; tanquã ex iactatione & fluctuatione quadã perẽni in portus tranquillos,pacatosq; peruenturos: sed quod iter illud inirent, unde mox essent 3 cũ Christo futuri,qui cũ etiam certisime se regnaturos sperabant, quemadmodũ illius etiã in aduersis ferẽdis uestigia fuerant imitati.Ac Gurię quidem,& Samonę certamen,uictoriaq; talia,ac tam insignia fuere.

3 Ecce quõ animæ sanctorum post huius uitæ cursum statim recipiuntur in cœlo,& cum Christo perpetuo regnant.

Quale uerò etiam Abibus stadium cucurrerit,tẽpus est,ut nunc exponamus. Hic cũ inter ministros Christi mysteriorũ unus haberetur,& pari cũ ijs rusticitate,qui ante ipsum consumati fuerant,ferretur,insimulari apud persecutores cœptus est,ꝙ multis,qui salui fierent,ea ministraret,quę ad ipsorũ salutẽ pertinerent. Quando Diocletiano meritò ex fatali necesitate uita iam functo, is, qui aduersum nos exercebatur, furor ad Licynium delapsus,ueluti diris deuota quędã hęreditas ab illo ad hũc miserabili Imperij specie impegisset.Cęterũ quoniam hominibus sensu carentibus tolerabile uideri non poterat, si in eodẽ cũ pietatis cultoribus grege numerarentur,ab ijs denuo ꝑsecutio excitatur: sed in unũ Abibũ tota periculi moles incumbebat,cuius expugnatio perinde futura impijs erat,ac si cunctos pariter funditus Christianos deleuissent.

Vbiq; uestigabatur Abibus per loca habitabilia, inhabitabiliaq;, nec tamen usquã reperire illum poterant homines uafri.Itaq; cũ perquirendo fesi spem iam prædę omnẽ abiecissent, ipse, quẽ insectabantur, ultrò se quęrentibus exhibet,atq; ad Iudicẽ introducitur,à quo,quoniam difficile uidebatur,eũ dicto aliquo facto ue ab certa sua de sana religione sententia dimoueri,per ignẽ ad eũ,cuius desiderio æstuabat, ignitus amator dimittitur;atque ita ijs,qui eũ antecesserant,martyribus datur,consorsq; sepulchri eorũ efficitur, quemadmodum etiam laborũ & gloriæ ante in mercatura socius fuerat.Quoniam etiam simili modo uicerunt principatus pestiferi dęmonis,superarunt potestates mũdi huius, coniuncti sunt

cum

cum Angelis, transierunt ad certaminis arbitrum Christū, sudore adhuc sanguineq; ob exhaustos in stadio labores, certaminaq; , madentes, porrigit eis dexteram egregius munerarius, suosq; athletas in æternis tabernaculis collocat.

Sed quæ sunt hęc? nempe ubi quod suum est cuique 4 præmium pro merito tribuitur, & cuiusmodi hoc, scire fortasse desideras. Eiusmodi nimirū, cui simile nullum tam ante legem, q̄ in lege quis possit ostendere. Qui hoc? nempe quod his eorum nemo par fuit, ꝙ ex ijs quilibet longo ab his interuallo superaretur. Siquidem institutis uiuendi ueteris legis præstabiliora sunt ea, quæ sunt secundū Christum, ex ijs autem qui post Christum fuere, nulli uideri possint secundi, quippe qui inter martyres martyres sunt, inter monachos monachi, inter sacerdotali dignitate præditos sacerdotalis dignitatis participes. Nam & certarunt, & ante susceptum certamen strenuè se in pietatis cultura gessere, & sacri ordinis propterea ꝙ Abibus diaconus esset, omnes fuere consortes. Siquidem in societate quæ eorum quisque habet, ea cōmunicat alteri, & mutuis officijs singuli eius rei participes fiunt, in qua alter excellit. Quinimmo (sed fortasse alicui nimius uidebor) si cum ijs quę secundū Christū sunt conferantur, animaduertere facile poterimus quibusdam in rebus eos superiores existere, martyribus quidem uita ante martyrium monachali, monachis uerò martyrio, martyribus rursum, qui in militaribus, aut ciuilibus se muneribus occuparent, eo, qui ex sacerdotali dignitate splendor effulget. Talis beatis uiris cursus fuit, tantus labor, huiusmodi in terris periculum, huiusmodi præmia celeberrimorū horū laborum.

4 *Suum unicuique pro merito præmium in cœlo tribuitur.*

Inter quæ illud quoque nullo modo silentio prætereundū, de puella, quod propter rei admirabilitatem omnē propemodū fidem exuperat. Viuens nanque hæc cum ab sceleratis hominibus in sepulchrum recens cadaueribus plenū esset deiecta, in regione barbara, atque à patria ipsius longè remotissima, ubi sanctorū martyrū fidem 5 precibus implorauit quorū etiam ope freta longā adeò peregrinationē susceperat, certissimè quod expectarat consecuta est. Vespere enim cū in summa posita esset desperatione, & fletu, bene mane patriæ, matri, tumulo sanctorū cum lætitia restituta est, mirabiliter educta de sepulchro, utpote quæ à circunsedentibus illud custodibus uideri nequiuerit, admiranda quadam celeritate ab ijs inde asportata. Siquidē albis illi uecti equis (ò miram sanctorū in ferenda ope promptitudinem, atque celeritatem) cum puellam appellassent, atque in equos sustulissent, eam intra delubrum suum intulere, unde etiam scelestum pauloante uirum assectabantur, uadibus ijs ab eo acceptis, qui dati sanctissimè, religiosissimeq; datā fidē seruarunt, & huic salutē, & illi qui fidem uiolauerat, meritū paulopost exitium attulerunt. Ò 6 seruatores celeres, expeditiq; : Ò fidē uestrā implorantium adiutores strenui, inuictiq; : Ò ad ea, quę spopondistis persoluēda sine mora, promptissimi, & in tribuendo quod cuiq; conuenit, minimè lenti.

5 *Vide quomodo sancti implorati suū statim præstent auxilium. Non ergo malum est sanctos inuocare.*

6 *Aduertis quantam sancti potestatem habeant post mortem?*

Prorsus iam, ó sacer conuentus, ac Deo dicata concio, mihi quidem persoluta sunt, quæ uobis eram pollicitus, & orationis cœna parata est, & quæ ad repręsentanda martyrum certamina pertinebant, ueluti in albo aurium uestrarum pro uiribus delineata à nobis sunt. Vos uerò quid? qui ad diem festum conuenistis, qui conuiuæ estis, qui auditores, qui oues ratione preditæ; quid, inquam, confessoribus hisce martyribus, quid item contra, nobis reponetis? Nimirum illos quidem 7 hymnis, laudibusq; prosequimini, & quæ bona sunt, summa ope magis ac magis in dies sectari studebitis. Siquidem gratum martyribus est, si hoc modo festi eorũ dies celebrentur. Hoc modo strenuos Christi pugiles honorare laudabile est, tali studio, talibus fructibus; nobis uerò obedientiam præstabitis, mansuetudinem, pacem, atque concordiam, & pręterea etiam 8 sanctitatẽ, quam aliunde nusquam adipisci quis queat, quàm membris, quæ sunt super terram, mortificandis. Quo quidẽ nomine arbitror ego uitam eam appellari, quæ turbulentis animi motibus obnoxia est. Illi uerò sanctificare uos dedicareq; summo studio debetis, qui ijs, qui cor à materialibus sordibus expurgarunt, pręmium illud largitur, ut se clarè peruideant, & cęlesti illa gloria indidem impleantur, ut Moyses.

7 *Cernis quomodo celebrandæ sint sanctorũ festiuitates?*

8 *Sanctitas uitæ nullo alio modo acquiri potest quam mortificatione membrorũ. Audis hoc hæreticæ?*

Sic quidem ego pater uester, uos uerò filij charissimum, & amabilissimum nomen inueniemus fortasse, cum ad hæreditatem illam æternam translati erimus, ut uiuere unà possimus, simulq; lætari: quando uidelicet etiam corona gloriationis de uobis honestatus, ad cõmunem Dominum exclamabo, Ecce ego, & pueri, quos dedisti mihi, Domine. Ipsi gloria, & Imperium in secula seculorum. Amen.

Posita est in libro eiusdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap 58.

VITA SANCTI EVGENII SACERDOTIS & Martyris per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

SCriptæ Amaranti Martyris sociatur & ille Honorificetianæ persecutionis Martyr Eugenius, sacerdotalis infulę maximũ decus; quẽ in hac urbe detrusũ exilio, uel ipsius, uel sociorũ eius passio narrat. Hic cum magnis in seculo polleret uirtutibus, & iam uictor de tormentis martyrialibus exilisset, tempus uocationis suæ, quo accerseretur ad gloriam, Domino reuelante, cognouit, illud pręcipuè, quod populis occultabatur, manifestum noscens, se martyri Amaranto socium esse futurum. Ad eius sepulchrum 1 dirigitur, prostratusq; solo diutissimè orationem fudit ad Dominum. Dehinc expansis per pauimentum brachijs, spiritum cœlo direxit, qui à Christianis collectus, in ipsa, qua diximus, cripta sepulturæ mandatus est.

1 *Vides quod etiã antiquitus uiri sancti ad sanctorum sepulchra confugiebant ibique orationes suas domino fundebant?*

Ad cuius 2 festiuitatẽ tempore quodam cum innumeri populi conuenirent, negocia multa in atrio protulerunt. Puella uerò una ex habitatoribus loci stationẽ adit, quasi aliquid coemptura, speciemq; sibi aptam

2 *Vetustus mos fuit in diebus festis sanctorũ solennes conuentus apud illos agere, celebres panagyres exercere, & corpore ac spiritu gaudere, quod apertius tibi ex D. Ioanne Chrysostomo constare potest.*

aſpiciens, à negociatore ſuſcepit. Et ſtatim, dicto citius porrectā alteri negat ſe accepiſſe. Negociator uerò intente aiebat, Mea eam tibi manu protuli, tuq; rimandā ſolicitè ſuſcepiſti. Illaq; negante ait negociator, ſi tibi tāta eſt pertinacia, auaritia ſtimulante negandi, iudicet illud beatus martyr Eugenius. Ad cuius ſepulchrum ſi cum ſacramenti interpoſitione dixeris te non accepiſſe, damni mihi nihil æſtimo quod amiſi.

At illa pollicita ſe poſſe ex hoc exui ſacramento, uadit ocius ad ſepulchrū, eleuatiſq; manibus ut iuraret, 3 extēplo mēbris diſſolutis irriguit planteq; eius affixe ſunt pauimēto, uox heſit in gutture, tantū os patulū à ſermone nudū hiabat. Quod negociator cū reliquo populo cernēs ait, Proſit tibi, uirgo, hec ſpecies, quã tuliſti mihi; ſufficit ultio data p martyrē. Et hec dicens à loco diſceſſit. Illa uerò in hoc tormēto diutiſſimè detēta, tandē martyre iubente locuta, palā confeſſa eſt, quod clam latere uoluerat.

3 Ecce quantā habent ſancti poteſtatē poſt mortem, cum beatus hic tā ſeuerus ultor fuerit puellæ quæ falſum iurare ad eius ſepulchrum temere præſumebat.

Quid agis ò infelix auaritia? cur petendarū rerum alienarū cupiditati ſuccumbis mens feminea, nō uirilis? Vt quid firmā loricā mentis modica tranſuerberas ſagitta cupiditatis? Quid cōgregas, ò homo, auri rubiginoſi talēta cū his arſurus in gehēna? Quid tibi proſunt peritura lucra, quæ eternæ uitæ pariunt detrimenta? iuxta illud Domini uerbū, Quid prodeſt homini, ſi totū mundum lucretur, animæ autē ſuæ detrimentū patiatur? Aut quam dabit homo cōmutationem pro anima ſua?

VITA SANCTORVM EMETHERII ET Chelidonij Martyrum per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 93.

CAlagurris urbs Hiſpaniæ Emetherium, Chelidoniumq; martyres geſtat, ſæpeq; ab eorum 1 uirtute miracula cernendo, diuerſarum ægritudinū medicamina capit. Hi etenim martyres à perſecutore comprehenſi, atque ad ſupplicium rapti, dum diuerſis pœnis afficerentur, ob diuini nominis confeſsionem, excepta ultimæ damnationis ſententia, deducuntur ad decollandum.

1 Ecce ſanctorum uirtus et poteſtas etiam poſt mortem.

Cumq; eorū capita lictor incideret, miraculum populis magnū apparuit. Nam unius annulus, orariumq; alterius, nube ſuſceptū eſt, & in celis euectū uiderunt. Hec oēs qui aderant, uſquequò acies oculorū intendere potuit, fulgorē ſcilicet auri, candorēq; lintei ſuſpectu ſequebant attoniti.

Præbet huius rei teſtimonium Aurelius clemens in libro coronarum his uerſibus, dicens, Illa laus occulta nō eſt, nec ſeneſcit tēpore. Miſſaq; ſurſum per auras euolarunt munera: Quæ uiā patriæ cœli præmicando oſtenderent. Illius fidē figurans nube fertur annulus. Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium. Quæ ſuperno rapta flatu lucis intrant intimū. Perpoli liquētis axem fulgor auri abſconditur. Ac diu uiſum ſequacem textilis candor fugit. Subuehuntur uſq; in aſtra, nec uidentur amplius.

VITA SANCTORVM SEPTEM GERMAnorum dormientium per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Posita est in libro eiusdem in gloriam plurimorũ martyrum edito. Cap. 95.

SEptem uerò germanorũ, qui apud urbẽ Ephesum requiescunt, hęc est historia. Tempore Decij Imperatoris, cum persecutio in Christianos ageretur, septẽ uiri apprehensi sunt, ductiq; corã Principe. Horum nomina hæc sunt, Maximianus, Malcus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Ioannes, Serapion. Qui diuersis uerbis tentati ut cederent, nequaquam acquieuerunt. Imperator uerò pro elegantia eorum, ne in momento perirent, spatium tractandi indulget. At illi in unam se speluncam condunt, ibiq; per multos dies habitauerunt. Egrediebatur tamen unus ex eis, & comparabat uictum, & quæ necessaria erant, exhibebat. Reuertente autem Imperatore in eandem ciuitatem, isti petierunt à Domino, ut eos ab hoc periculo dignaretur eruere. Factaq; oratione, prostrati solo obdormierunt.

Cumq; Imperator didicisset eos in hoc antro morari, nutu Dei, iussit es speluncæ magnis lapidibus oppilari dicẽs, Ibi intereant qui dijs nostris ĩmolare noluerunt. Quod dum ageretur, quidam Christianus in tabula plũbea numina & martyriũ eorũ scribens, clam in aditu cauernæ priusquam oppilaretur, inclusit. Post multorũ uerò annorũ curricula, cum, data ecclesijs pace, Theodosius Christianus obtinuisset Imperiũ, surrexit hæresis ĩmunda saduceorum, qui negant resurrectionem futuram.

Tunc quidam ciuis Ephesius dum caulas ouibus secus montẽ ipsum facere destinat, ac lapides diuoluit ad coaptanda earũ septa, ignarus quæ celarentur introrsum, patefecit ingressum speluncæ, nõ tamen cognouit arcanum, quod habebatur intrinsecus. Dominus autem ĩmisit septem uiris spiritum uitæ, & surrexerunt. Putantesq; quod una tantum nocte dormissent, miserunt puerum unum, qui cibos emeret. Cumq; ueniens supra [1] portam ciuitatis uidisset Crucis gloriosæ signaculum, audissetq; per Christi nomen iurare populum, obstupuit, prolatisq; nummis, quos à tẽpore Decij habebat, à mercatore comprehenditur, dicente sibi, Quia absconditos antiquitus thesauros reperisti. At ille negans deducitur ad episcopum ac iudicem ciuitatis. Cumq; ab his argueretur, compellente necessitate, absconditum mysterium reuelauit, deduxitq; eos ad speluncam, in qua uiri erant.

[1] Vide salutiferæ Crucis imaginem supra ciuitatum portas insculpi solitam.

Cumq; ingrederetur episcopus, inuenit tabulam plumbeã, in qua oĩa, quæ pertulerant, habebantur scripta, locutusq; est cũ eis. Nunciauerunt autẽ hæc cursu rapido Imperatori Theodosio. At ille ueniens adorauit eos pronus in terra. Qui tali colloquio cum eodẽ usi sunt principe.

Surrexit quędã pessima hęresis, quę populum Christianũ à Dei promissionibus conaretur auertere, ut dicat, non fieri resurrectionẽ mortuorum. Ergo ut scias, quia oẽs, iuxta Apostolũ Paulum, repręsentandi erimus ante tribunal dei, ideo iussit nos dominus suscitari, & tibi ista loqui.

Vide

Vide ergo ne ſeducaris, & excludaris à Regno Dei. Hæc audiens Theodoſius Imperator glorificauit Dominum, qui non permiſit perire populum ſuum.

Viri autem iterum proſtrati in terram obdormierunt. Quibus cum Theodoſius Imperator ſepulchra ex auro fabricare uellet, peruiſum prohibitus eſt, ne faceret. Viri autem uſque hodie palliolis ſericis, aut carpaſinis cooperti, in ipſo loco requieſcunt. Quod paſsio eorũ, quã Syro quodam interpretante, in latinum tranſtulimus, plenius pandit.

VITA SANCTORVM QVADRAGINTA Martyrum, per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in libro eiuſdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 96.

FErunt fuiſſe apud Armeniam Quadraginta uiros, qui in ipſis montibus Armenię, in quibus pręaltitudine nimia magno frigore aqua & terra reſtringitur, paſsi ſunt. Quorum montium celſitudinem non paruam eſſe legiſlator teſtatur, cũ ſuper eos Archam à Noe fabricatam requieuiſſe ait. Ibi effoſſa perſecutor terra, ciſternã magnã efficiens, aqua repleri iubet, nudatosq; uiros, ligatis poſt tergũ manibus, in lacum gelu concatenatum præcepit poni, & ſuccenſum è regione balneum, dicens, Eligite è duobus unum, Aut in iſto frigore Chriſtum ueſtrum confeſsi deficite, Aut negantes, oblato Dijs ſacrificio, ad balneum conuolate, ut poſsitis uiuere, & non malè propter crucifixum hominẽ mori.

Negantibus autem cunctis ſacrificare dæmonijs, uidet cuſtos eorum, coronas Quadraginta pretioſiſsimas è cœlo dilapſas deſcendere ſuper capita eorum, & unam quoque earum reuocari. Defecerat enim fides uiri unius; & protinus relictis socijs, uelociter ad balneum conuolauit, immolatisq; uictimis honoratus à præſide, in balneo tepenti ablutus eſt, excepturus in poſterum perpetui ignis ſupplicium.

Hæc cuſtos ille, ut diximus, cernens, uoce magna proclamat, ſe Chriſtianũ eſſe, dicens, cũ iiſdem mori deſidero. Nec mora diuerſis pœnis affectus, ſpoliatur ueſte, non fide, & in lacũ ponitur frigora cũ reliquis perpeſſurus, ſed adepturus gloriam, quã miſer ille perdiderat. Iam enim uirorum emortua erant frigore corpuſcula, & dentibus in ſe colliſis, ipſe quoq; uocis ſonitus clauditur, unũ tantũ murmur orationis cęlo ab archanis pectoris illabebatur, notum ſoli Deo, qui nouit occulta cordis.

Tremebant feſsi artus tam inedia, quàm pruina: Erat ſpes cœlo intenta, iam carne præmortua. Interea iudex iniquus, amotis lymphis, alueũ ſuccendi ſeptuplum iubet, ut ſcilicet quos algor non laxauerat, incendia ſæua diſſoluerent. Producuntur uiri è lacu, confeſsi Chriſtum mittuntur inter æſtuantes ignium uapores, ſed ſuſtinent patienter illata ſupplicia, ut maiorẽ accipiant palmã. Deniq; in his reliquentes corpora, animasq;

Christo tradentes, martyrium consumauerunt in pace.

Tunc Præses uictum se eorũ constantia cernens, putans uel mortuos posse uincere, qui uiuentes superare nequiuerat, iussit ipsa deinceps exuri corpuscula, & in flumen propinquũ iactari. Quod cũ factum fuisset, miraculi nouitas flentibus Christianis apparuit. Restitit igitur unda, nec ossa semiusta absorbuit, sed super se tanquam cõmendata sustinuit. Et sic collecta à Christianis gaudẽtibus cũ ᵃ honore dignissimo tumulata sũt.

ᵃ *Vidẽs quod etiã olim solennes exequiæ præcipue in honorem sanctorum Martyrum, fuerunt in usu?*

Posita est in libro eiusdem in gloriam plurimorũ martyrum edito. Cap. 104.

VITA SANCTI FELICIS NOLANI Martyris, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

DE Felice Nolano martyre quia historia passionis nõ est in promptu, iuxta id quod beatus Paulinus uersu conscripsit, pauca huic lectioni oblectat inserere. Hic enim à Maximo prędictæ Vrbis Pontifice presbyterĳ honore preditus, quantę fuerit sapientiæ, eruditionisq;, non modo Christianis, uerum etiam ipsis quoque Paganis occuli non potuit.

Cum autem Imperatorũ decreta Christianos insequi præcepissent, Maximus Pontifex iam senio pręgrauatus, putans se nõ posse ferre supplicia, syluarũ saltus adiuit, quos dum turbidus prę hac persecutione pererrat, affectus fame, gelu attritus, solo corruit semiuiuus. At Felix presbyter captus, cũ multa de Deorũ portentis quod nihil fuerint disputasset, post diuersorũ suppliciorũ genera, carceri dijudicatur, in quo nõ mediocribus uinculis tenebatur astrictus. Nocte autẽ media uenit ad eum Angelus Domini, scissaq; trabe, qua pedes eius conclusi erant, ait; surge, & sequere me.

Qui surgens egressus est cũ eo ianuam carceris, dixitq; ei Angelus Domini, conscendi ad montana, & require sacerdotem tuũ, inuentumq; ac refocillatũ reduc ad urbẽ, & in loco absconde secreto, ne inedia ac rigore depereat, donec desinat persecutio à Christianis. Accepto Felix mandato, pergit quò nesciebat, sed prouidente Deo, reperit sacerdotem solo prostratum, clausis oculis, strictisq; dentibus, in quo nihil aliud, q̃ tenuis anhelitus spirabat; interpellatusq; nullum sermonem potuit elicere, tangensq; sensit eius membra hyeme rigida, & absq; ullo uitali tepore præmortua. Anxius autẽ cũ nullum alimentũ esset, quod periclitanti porrigeret, neq; quo ignis accenderetur haberet, dum staret attonitus, quasi de æthereis sedibus dilapsum (quod ita erat) munus contẽplatur Angelicũ.

Ecce enim de sente, quæ erat proxima, uuam dependere admiratur, de qua granis in os confessoris expressis, paululum senior refocillatus erectus est, quẽ humeris impositũ tanta uelocitate detulit, ut putaretur magis ille ferri, quã ferre. Sic tugurio cuiusdã uiduæ cõmendatum deposuit,

illiq; alimentũ præbuit, donec insequutio Christiana discesit. Quo sacerdote migrante, Felix electus à populo, ut cathedræ Ecclesiasticæ superponeretur, noluit acquiescere. Quintus nomine presbyter, Episcopus ordinatur.

Orta igitur persequutione catholicorũ, cũ Felix presbyter in platea populum moneret, ne à recto itinere deuiaret, persecutor missu affuit, & ignotus Felici presbytero, solitus ipse cœpit esse quonam isset Felix. Ille autẽ dextera innuens ait, In hac parte abijt. Quo discedente, hic latebram petijt, seq; inter parietes dirutos per modicũ ingressus, aditũ occulere uoluit. Nec mora, Persequutor insequitur; sed Deus solicitudinẽ quęrentis elusit. Nam iussu diuinitatis araneæ per aditũ, quo martyr ingressus fuerat, telarũ prætendunt stamina. At illi per uestigium persequẽtes, dum locũ explorare nituntur, exordium telæ conspicientes, dixerunt ad semetipsos, Putas'ne per hæc fila homo transijt, quæ sæpius tenuitas muscarum erumpit? Et illusi prouidentia Dei discesserunt.

Beatus quoq; Felix data nocte, secesit ad alium locũ, in quo per tres menses à muliere quadam ciborum alimenta suscipiens, donec data pace Ecclesię suę populus Christianus restauraretur, nunq̃ tamẽ mulieris ministrantis faciem uidit, aut ab ea suspectus est, dũ in latibulo moraretur. Igitur in pace quiescens, sepultus est iuxta urbẽ, multis se declarans uirtutibus in populis, de quibus pauca perstringam.

Erat quidam pauper habens duos boues ad exercendam culturã suã, nec ei erat alia possesio, nisi quantum his potuisset tellurem scindens uomere laborare. Accidit autem ut die quadam lassus de hoc opere ueniens his dimisis, se hospitiolo reconderet. Nec mora, fur rapax affuit, qui eos clam capiens secũ abduxit: Egressusq́; pauper in crastino nihil inuenit. Deinde quærit per deuia, circuit per syluas, scandit montium ardua, sed nec uestigium quidem deprehendere potest. Redit ad propria, dat uoces in fletu, atq; cũ uxore ac liberis plangit dicens, Vę mihi quia iuuencis defectis hoc anno fame moriemur. Quid plura? Accedit lamentans ad sepulchrum beati Felicis martyris, dat cũ fletu gemitũ, exorat ut ei uirtus eius quæ perdiderat, reddi obtineret à Dño. Egresius autem à tẽplo, ante ipsam atrij ianuam I cognoscit boues suos, & ait; O magna uirtus martyris, quę mihi perditos boues tam uelociter restitui fecit. Ingressusq́; iterum prosternitur ad pauimentũ, & gratias agens cũ rebus regressus est suis. Oculumq́; hominis huius, quem cæcum habebat, martyris uirtus illuminauit.

I Vide q̃uo confugientes ad sanctorum sepulchra, adiuuentur eorum uirtute & potestate.

Ad huius quoq; cellulæ parietẽ, quo beatũ corpus tumulo conditum requiescit, adhæret appendens porticus, in qua dependens fune lichnus lumen loco consueuerat ministrare. Ille autẽ cuius erat officium contueri ad eius cõpositionem, accedens laxato fune discesit, quasi oleum petiturus. Cumq́; omnia tenebris nocturnalibus tenerentur operta, & funis

cũ uncinulis in medio portici submisſior dependeret, quidã de aſtantibus in uigilia ſancti, nebula cellulæ, quæ de exuſta ſurrexerat papiro, fatigatus foras egreditur. Cumq; per porticũ illam præteriret, unus de uncinulis funis faciem excepit hominis uenientis, illato acumine trãsfigens oculum eius. At ille dolorẽ ſentiens, extenſis celeriter palmis, uultus periclitantes cũ ipſis obtegit oculis, clamans non mediocri eiulatu, ac dicens, 2 Succurre deprecor ſancte ſacerdos, & proximũ te facito pereunti, qui loco proximus aſtas; emitte ſacras per occulta medicamina manus, & extrahe malum quod aduerſatur lumini, ne lumine uiduatus abſcedã qui lumen miraculorũ tuorũ uidere ueni. Ad huius lamentabilem uociferationẽ, exhibito qui aderant, lumine, aduertunt hominẽ transfixo oculo de fune pendere. Cumq; profluente ſanguine nullus manũ ad eruendũ auderet apponere, martyris uirtus affuit immenſa beati, quæ ſic uncum abſtraxit, ut nec oculum erueret, nec uiſum penetraret, & ſanguinis decurrentis euentũ ſtringeret. Sic eruto de oculo ferro, doloreq; palpebrarum ſedato, uirtus martyris ſancti declaratur in populo.

Tũ qui dicis inferri domino Ieſu Chriſto iniuriã, ſi ad ſanctos quis prius confugiat quã ad eum, quid hic dicis? Intulit ne hoc in loco iſte ſanctum inuocans iniuriam domino uel ne? Si dicis, intulit, qũo ergo ſtatim a ſancto ſanatus eſt qui tantũ facinus cõmiſerat? Quod ſi nõ intulit prout fateri cogeris, deſine pauper homo deſipere & maledicere.

Energuminos autẽ ad hanc ſacratã Athletę Chriſti ædem probatos, atque purgatos ſępius ſcripſit hic Author.

PROLOGVS FORTVNATI PRESBYTERI deinde Epiſcopi Pictaueñ in uitam ſancti Martini.

DOMINO SANCTO ATQVE APOSTOLICO, Pijſsimo in Chriſto & peculiari Patri Gregorio Papę Fortunatus.

CVm iuſſeris, ut opus illud Chriſto pręſtante interceſsionibus D. Martini quod de ſuis uirtutibus explicuiſti uerſibus debeat digeri, id agè ut ipſum mihi relatum iubeatis tranſmitti. Nam pietate Domini concedente, quod de uita eius uir diſertus Dominus Sulpitius ſub uno libello proſa deſcripſit, & reliquũ quod Dialogi more ſubnectit, primũ quidem opus duobus libellis, & Dialogũ ſubſequentẽ alijs duobus libellis cõplexus ſum breuiſsimè, & iuxta modulum paupertatis noſtrę in quatuor libellos redegi totũ illud opus uerſu, in hoc ter bimeſtre ſpatium, audax magis q̃ eloquens, aut efficax, utpote curſim & impolite inter friuolas occupationes, quos libellos domino meo pio domino Martino dicatos, ipſo cõmeatum concedente, in quaternionibus quos direxiſti, ipſi per uos oblaturus, confeſtim tranſcribendos curabo. Illud certe poſtulans, ut eius à nobis pietas impetrata pro 1 nobis humilibus, & ſuis peculiaribus intercedere non deſiſtat. Da pater dulcis ueniam, quia lituram tantam in meſſe ſcribenti pluuia ſuperlapſa ſuffudit. Ora pro me Domine ſancte, & mihi dulcis pater.

Ecce quomodo ſancti pro nobis orant.

Nauta rudis tumido cum uult dare uela profundo,
Atque procellosas nescius intrat aquas.
Raucisono latrante salo cum perstrepit æquor,
Et uaga terrifico murmurat unda freto,
Exiliens pelagus colles ubi uoluit aquosos,
Planaque dorsa maris mobile rupe timent.
Naufragij cumulos capiens per confraga pontus,
Qua crepitat rapidus monte natante liquor
Certatim implicita quatiunt uada cærula cymba,
Cum liquidi campi pensile transit iter.
Si fera crescat hyems ut spumis uerberet auras
Et mare cœruleum tollat ad astra chaos.
Fluctibus excussus per nubila nauita currit,
Intrat & aërias pendula prora uias.
Pars subit una ratis, pars altera uergit harenis,
Et natat in dubio lubrica libra freto.
Nunc sursum inspicitur pelagi furibunda ruina,
Pontus & iratas desuper armat aquas.
Nunc quoque prosiliens Zephyri pelagiq; repulsu
Fluctibus eximijs euolat acta ratis.
Afficitur tremulis temerarius arbiter undis,
Et stupet implicitas quas petat arte uias,
Attonitus, trepidus, hebetans, uagus, anxius, anceps,
Confuso ingenio mox ope nauta caret.
Tamq; gubernaculum amittens ratione gerendum
Pondere uictus aquæ nescius arte iacet.
Sic ego de modicis minimus uenerabilis agnis
Cum Radegunde sacra, quam colo sorte pia,
Tendere pollicitum quia cogor ad ardua gressum,
Imperijs tantis uiribus impar agor.
Fuctuat ingenium, cui non natat unda camœnæ,
Musarum cuius non rigat ora lacus.
Nam celsum meritis Martinum ad sydera notum
Cum sunt uota mihi non ualet arca loqui.
Poscendum est uobis ne naufraga prora laboret,
Flatibus ille suis, sed mea uela iuuet.
Credere tunc potero ad portum mea carbasa ferri
Aspirante fide si sua flabra fauent.
Ferte precanter opem, & de uerbo poscite uerba
Si fons ille rigat, riuulus iste meat.
Vos date quod uobis cum fœnore reddat alumnus,
Addam ut thesauris parua talenta suis.

ALtithronus postquam repedauit ad ęthera Christus,
Carne triumphali uictricia signa reportans,
Inclytus inferni spoliato carcere diues,
Tartarei reprimens feralia iura tyranni,
Et stygis omnipotens adamantina claustra reuellit,
Sede fera populi longa caligine tecti,
Captiuum retrahens portis bipatentibus a gmen,
Millibus ereptis ergo est ut redditus astris,
Et patris in solio sedit sua dextera dextræ,
Quæ conuersatus dedit hæc miracula terris,
Multa Euangelici reserante uolumine libri,
Hæbraicus cecinit stylus Atticus,atque Latinus,
Prosaico digesta situ commune rotatu.
Primus enim docili distinguens ordine carmen
Maiestatis opus metri canit arte Iuuencus.
Hinc quoque conspicui radiauit lingua seduli,
Paucaq; perstrinxit florente Orontius ore,
Martyribusq; pijs sacra hęc donaria mittens,
Prudens prudenter Prudentius immolat actus.
Stemmate,corde,fide,pollens Paulinus & arte,
Versibus explicuit Martini dogma magistri,
Sortis Apostolicæ quæ gesta uocantur,& actus,
Facundo eloquio uates sulcauit Arator.
Quo sacra explicuit serie genealogus olim
Alchimus egregio digessit acumine præsul.
Ast ego mentis inops Italæ quota portio linguæ,
Fece grauis,sermone leuis,ratione pigrescens,
Mente hebes,arte carens,usu rudis,ore nec expers,
Paruula Grammaticæ lambens refluamina guttæ,
Rethoricæ exiguum prolibans gurgitis haustum,
Cote ex iuridica,cui uix rubigo recessit,
Quæ prius addidici dediscens plurima,cuique
Artibus ex illis odor est in naribus istis.
Non prætexta mihi rutilat toga,penula nulla,
Fama'ue,nuda fames superest de paupere lingua.
Scilicet inter tot sanctorum culmina uatum,
Fulmina doctorum,& gemmantia prata loquentum,
Nullo flore uirens ego tendam texere sertum,
Irriguo melli hæc austera absinthia miscens?
Quod tamen ut facerem fieri res illa coëgit,
Quominus ipse reus pro crimine redderer amplo,

Conuenienter enim ratio quia plena popoſcit,
Huius Pontificis ſolui præconia uerbis.
Cuius cauſa fuit hac me regione uenire.

Quòd pauperi algenti in porta Ambianenſi chlamydis ſuæ dimidium tribuit.

Cum undas fortis hyems freno, glacieq; ligaſſet,
Et uaga libertas fluuiorum incluſa lateret,
Aſperiore gelu de ſe ſibi uincula nectens
Plus aqua frigidior tunica ueſtita rigoris.
Occurrenti igitur portæ Ambianenſis egeno,
Qui ſibi reſtiterat, chlamydis partitur amictum,
Et feruente fide membris algentibus offert.
Frigoris iſte capit, partem capit ille teporis.
Inter utroſque inopes partitur feruor, & algor,
Et noua mercandi fit nundina, frigus, & æſtus,
Vnaq; paupertas ſatis eſt diuiſa duobus.
Hac ſe ueſte tamen tectum obtulit ipſe creator,
Martiniq; chlamys texit uelamine Chriſtum.
Nulla Auguſtorum meruit hunc ueſtis honorem.
Militis alba chlamys plus eſt quàm purpura Regis.
Prima hæc uirtutum fuit arrha, & pignus amoris.

De hoſtibus fidei uirtute ſuperatis.

Poſt fera Barbaries peteret cum Gallica clauſtra,
Ac propè Vuangionum premeret loca feruidus hoſtis,
Militiæ ſanctus cuncta emolumenta recuſat.
Hinc ſibi Cæſareas fremuit Iulianus in iras,
Imperat ut clauſum teneat cuſtodia iuſtum,
Ac ueniente die primus properaret in agmen,
Quo tamen ante aciem ſacer ire fatetur inermis.
Venerat ergo dies belli. Pacem expetit hoſtis,
Atque orante uno, cecidit furor omnibus armis,
Innumeraſq; acies ſolus ſine ſanguine uicit.

Quòd in latrones incidit, & unum ex eis, cui ad cuſtodiendum traditus fuerat, conuertit.

Hinc loca latronum incedens, ratus ire per alpes,
Vinctis poſt tergum manibus deductus ab uno,
Tempore ſub mortis hoſtis compendia tractans,
Credit latro, Deum dum prædicat iſte colendum;
Et dare qui uoluit mortem, capit ore ſalutem.
Ducitur ille ferox à Religione ligatus,
Atque ſuus prædo Martini præda fit ultro.
Quàm bonus ille iſti, ſed plus pius hic fuit illi:

Seruantur simul, ille fide, asthic corpore uiuens,
Ambo ualent, dum nemo cadit, sic uicit uterque.

Quòd dum ad uisitandum Patriam, parentesq; proficisceretur, ei diabolus in humana specie apparuit, cõminans quod quocunq; tenderet, sibi aduersaretur.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Forte uiamq; terens per amœna uireta uiator,
Obuius occurrit uetus & temerarius hostis,
Mentitus speciem humanam sub imagine formæ,
Falsiloquax, pereunte fide, male doctus in arte,
Quo peteretur iter, quærit. Cui comminus ille,
Huc properare, refert, qua se Deus ire uocaret.
Cui ferus hostis ait, Quacunque accedere tentes
Tecum pergo nocens, uota in contraria currens.
Voce prophetali sanctus cui protinus insit,
Est meus adiutor Dominus, mala nulla uerebor,
Ne timeam timidum, timor est Deus arma timentum,
Tutus in aduersis gradior rectore superno,
Insidijs uia nulla patet sub tegmine diuo.
Hæc ait, & ualidi transfixus cuspide uerbi
Dęmon abest, sic umbra fugit, quã Christus obumbrat.

Quòd matrem ad fidem conuertit, & quòd ab Arrianis multis supplicijs est affectus.

Interea matrem gentili errore resoluens,
Illa istum mundo, hic illam generauit olympo,
Decrepitamq; senem sancto facit amne renasci,
Et meliore sinu uegetant sua uiscera matrem.
Dogmaq; sacrilego, quod fuderat Arrius ore,
Tempestate graui totum populauerat orbem,
Perq; mare Illyricum male naufraga lingua natabat.
Hinc quoq; cœperunt nasci noua prælia iusto,
Fortior ut fieret reparatis belliger armis,
Ad uirtutis opus per multa pericula crescens.
Vir pius ergo sagax, fideiq; fidelis athleta,
Sparsa uenena hęresis reprimens, dum dimicat hosti,
Supplicijs lacerus, flagris datus, urbe repulsus,
Nam patris ac geniti æqualem, uel flaminis almi
Vim, genus, & specimen, uirtutem, lumen, honorem,
Vnum uelle trium sua per tormenta fatetur.
Dulcia membra uiri per amara flagella cauantur,
Et Christi iuuenem ueterata piacula torquent:

Sed

Sed grauis hæc fit pœna leuis per nomen amantis.

Quòd Hilario Pictauen Episcopo ob defensionem fidei in exilium misso, ipse Mediolani sibi monasterium statuit; indeq; ab Auxentio Arrianorum principe expulsus est.

Et quia summus apex fidei, uirtutis, honoris,
Hilarius famæ radios iaculabat in orbem,
Ritè sacerdotis penetralia iura gubernans,
Buccina terribilis, tuba legis, præco tonantis,
Pulchrior electro, ter certò ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Vberior Nilo, generoso sparsior Histro:
Cordis inundantis docilis ructare fluenta,
Fontibus ingenij sitientia pectora rorans,
Mens Euangelij bis bini plena libelli,
Quatuor ore suo manans noua flumina mundo,
Ornatum Ecclesiæ pollens diadema coruscum,
In membris Christi capitis uelut infula fulgens,
Pectore belligerens, adamantinus arte topazos,
Ad uirtutis opus mens inconcussa palęstris,
Gemmifer eloquijs, radiantior ore lapillis,
Doctor apostolicus uacuans ratione sophistas,
Dogmate, luce, fide, informans uirtute sequaces.
Hostibus hic quoniam grauis insuperabilis esset,
Ducitur exilio qua longa silentia tendit,
Regis & auxilio petit hinc sua pręmia miles.
Cuius in abscessu errori uaga Gallia cedit,
Et regio titubat tanta se tęrre mouente.
At ubi perproperè hoc Martinus comperit, inde
Constituit cellam sub uertice Mediolani,
Expulit unde uirum tum Auxentius auctor iniquus.

Quòd expulsus à Mediolano in Insulam Gallinariam secessit, ubi uenenum in cibum sumptum ui orationis repulit.

Hinc prius exul adit, qua Gallinaria turget
Insula, frugis inops, pascens radicibus herbæ,
Ergo uenenatum elleborum mox sumpsit ab ore.
Incipit inde mori queis uiuere credidit escis,
Sed graue uirus agens 2 oratio sola fugauit,
Et uiuente uiro intra se sua mortua mors est.

2 Oratione fusa Martinus mortem à ueneno imminentem euasit.

Quòd Hilario ab exilio regresso, ad eum uenit, sibiq; propè Pictauos monasterium collocauit, ubi cathecumenum mortuum suscitat.

Rursus ut Hilario redeundi est facta facultas,
Excurrit properus sua post uestigia iustus.
Excipit hic cupidum cupiens, & amator amantem,
Fitque monasterium Pictaua comminus urbe,
Iungitur inde sacro cathecumenus ore docendus,
Atque absente uiro rapuit graue funus amicum.
En subito Martinus adest, qui defuit absens,
Ecce redit pietas, redit & simul arca salutis.
Ergo ubi conspexit gelidum de febre cadauer,
Flet, gemit, accurrit, dolet, eiulat, uritur, angit,
Concipiensq; fidem cella omnes iussit abire,
Exclusitq; foras foribus. Sine teste relictus
Tunc super algentis corpus prosternitur ardens
Iudicis exactor, reuomant ut tartara functum.
Interea geminis spacio remorante sub horis,
Ecce redit facies, saliunt per membra uapores,
Stat rubor inde genis, oculos pupilla repingit,
Rursus & insertus renouat specularia uisus,
Vena tumet riuis, animato fonte cruoris,
Paulatim assurgit fabrica titubante columna,
Erigiturque iacens pariter domus, & suus hospes,
Ipse iterum post se uiuens idem auctor & hæres;
Qui rediuiuus ait se iudicis ante tribunal
Ductum damnandum, Martino orante reductum.

De seruo Lupicini, qui se laqueo suspenderat, per eum suscitato.

Lupicini demum celerans dum præterit agrum,
Comperit heu famulum crudeli funere raptum,
Elidendo suum fera per suspendia collum.
Accessitq; ubi sic mala pendula præda iacebat
Expulit hinc cunctos solus solita arma requirens:
Incubuit super exanimis pallentia membra,
Et premit arca sacri, ne hunc deprimat arca sepulchri.
3 *Vide quãtæ uirtutis sit iusti oratio.* Mox tamen 3 ore precem ut uiuentis misit in aurem,
Mors pede uersa retrò prædam fugitiua reliquit,
Euomuitque uorax auida de fauce rapinam.
Protinus exilijt lento conamine functi,
Iam leuior se terra mouens animata calore,
Languida colla leuans, oculosque ex morte soporos,
Vix reserans grauido uigilantia lumina uisu,
Mortis odore, & adhuc remanente in naribus illis,
Sed præstante manu totos simul erigit artus,
Et stetit intrepidis membrorum machina plantis:

Viuificatus enim gressum meditando rediscens,
Reddidit obsequium uitæ pro munere sancto,
Vsque ad uestibulumque domi illum ducere tendens
Defunctum eripuit subito qui ex limine mortis,
Pro mercede manens hæc compensatio iusto,
Gloria Christe tibi, facis hæc qui mira per orbem.

Quòd ad episcopatum Turonicæ Vrbis assumptus est.

Accidit ut Turonum præsul peteretur ad urbem;
Nec tamen educi posset de limine cellæ.
Ruritius quidam simulata febre iugalis
Obtinet egressum sancti ad uestigia supplex.
Vrbibus ex reliquis noua conciliabula currunt,
Lætificata simul sanctam se ferre rapinam,
Ne tamen effugiat, iustum custodia uallat.
Interea paucis tunc obsistentibus, insons
Eligitur, trahitur, sacratur, & arce locatur.
Æmulus unus erat Defensor Episcopus obstans,
Ne Martinus oues pastor curaret alendas.
Nec mora iudicio Domini, lectore canente,
Versiculo psalmi Defensor sponte notatur:
Ex ore infantum, & lactentem perfice laudem
Nunc Defensorem qui sic bene destruis, inquit.
Mox fragor astra petit, clamor uagus atria complet,
Et docet ille fauor de Defensore reatum,
Addictusq; uir est, se iudice, teste propheta.

Quòd propè Turones adiuncta sibi plurimorum fratrum caterua, monasterium statuit. Et quod propè monasterium locum quendam fraude inimici extructum ab errore liberauit.

Inde monasterium sibi condit rupe sub alta
Protinus 4 exiluit lento conamine functi
Vir monachus præstans in Pontificatus honore,
Plurima conueniunt ubi sancta examina fratrum.
Ergo aderat propius locus, & celeberrimus olim
Ampla uetustatis cum tempora transiluissent.
Martyris esse pium spargebat opinio cultum.
Quo sacer exorans tumulo salit umbra sepulchri
Læua ex parte, loquens meritis res ipsa sinistra.
Imperat, ut nomen fateatur imago, uel actum,
Latronem se uoce refert pro crimine cæsum,
Nil cum martyribus se participare beatis,
His quia palma manet, nam se malè pœna teneret.
Omnibus auditur, Martino cernitur uni.

4 *Ecce quomodo sancti ueteres Episcopi etiã monasteria regebant illucq; à pontificijs occupationibus secedentes, iuuentutem studio abstinentiæ & norma integritatis astringebant.*

Ista superstitio tali sub sorte uetatur.
Sic altare simul remouetur, larua fugatur.

Vbi gentilium turbas cum uoluit stare fecit, & cum libuit abire permisit.

Post iter arripiens comitatu religioso
Exequijs subito gentilibus obuius exit
Dum putat inde uehi cultu simulachra prophano
Pingit in aduersos signum 5 Crucis, illa cucurrit
Ante uirum sua bella gerens pietatis amica.
Obuia turba riget, gressuq́ue extorpuit ægra,
Atque immota gradu uertigine rapta rotatur.
Additur illud onus, deponunt colla cadauer,
Nec iam ferre ualent, & mors in pondere crescit.
Tunc sacer inspiciens opus hoc esse exequiarum,
Iussit abire procul digitis Crucis arma repingens,
Vnde ligauit iter miseratus, & inde resoluit,
Vna eademq; manu mandata per aëra mittens,
Hoc mirum faciens de suspitione sacerdos.

5 Semper sanctissimæ Crucis signo maxima sunt patrata miracula.

De phano antiquissimo diruto, et arbore pinu succisa.

Protinus antiquum cupiens exurere phanum,
Iussit & accliuem propius succidere pinum,
Obuia congreditur cui rustica concio pugnax,
Ne succidatur res nata & debita flammis.
Proinde paciscuntur hac lege excidere pinum,
Si Martinus eam ualeat retinere ruentem.
Annuit hoc populus, hoc spondet sponte sacerdos,
Mollia subduntur rigido sub stipite membra,
Et suspectatur pini peritura ruina.
Interea rapidis sonat icta bipennibus arbor,
Atque subincrepitans casura cacumine nutat,
Paulatim inclinans iam uicta secure ruebat.
Turbati monachi spectant extrema magistri,
Credentes ramis transfigere uiscera iusti.
Vir tamen intrepidus perstat, pinoq; cadenti
Obtulit arma Crucis, cumulans sua bella triumphis.
Extimuit fugitiua uirum repedabilis arbor,
Et ruitura procul suspendit in aëra lapsum,
Excutiens retrò uersa comas, sine mora caducum
Continuit saltum, sese per inania librans
Contra naturam succisa, & curua repugnans,
Mox petit illud iter, qua non sua pondera torquent.
Hinc ad ruricolas uertigo infesta rotatur,
In montem exiliens uindex ut puniat hostes,

Resq́ue parata neci fuit ultio facta saluti.
Fit fragor in partes, monachi per gaudia deflent,
Gentiles stupidi noua per miracula pallent.
Indicio ligni est hominum mollita uoluntas,
Expetit arma Crucis conuersa errore relicto,
Et timor hic pini Martinum fecit amari,
Maiorem generans fructum, cum decidit arbor.

Quòd phano incenso ignem domui imminentem fide repulit.

Hinc iubet alterius succendere culmina phani,
Vicinamq; domum cum flammea ligna uoraret
Viribus ardor agens totis laxatus habenis.
Obuius ipse uolat, qua tunc globus igneus ibat,
Scandens tecta domus, huic uerba precantia mittit,
Mox tota in uentos reuoluta incendia feruent,
Et contra Boream Vulcanius ardor anhelat.
Seditione mouent elementa domestica rixas,
Aduersis Zephyris uideas pugnare fauillas;
Hinc furor australis premit, hinc uelocibus alis
Flamma uolans Borinas mordebat in aëra pennas.
Obluctata diu, tandemq; euicta per auras,
Quas armare solent, fugiebant flamina flammas,
Conditione noua, satis hæc res mira per orbem,
Flabra timent ignem, timet ignis ligna uorare,
Atque auidæ flammæ sua nutrimenta pauescunt,
Paulatimq; foci se languida lingua resorbet,
Vrere qui solet à se ipso consumitur ignis,
Martiniq; fides sine nubibus intulit imbres.

Quòd ad diruendum phanum Angelorum pręsidium meruit.

Rursus ut hinc aliud cuperet subuertere templum,
Rustica turba uetat diuelli phana prophana,
Vnde repulsus adit loca proxima, sed biduano
Contectus 6 cinere, & setis ieiunia ducens, 6 *Ecce uirtus ieiunij in cinere & cilitio.*
Numinis auxilium ad templa imminuenda precatur,
Militiæ Angelicæ coram duo protinus adsunt
Siderei proceres, hastas & scuta tenentes.
Cõminus his sanctum compellant uocibus ultro,
Præsidijs Martine tuis delabimur astris,
Squalidus ipse sedes, sed fit tua cura tonantis,
Suffragijsque tuis cœli fremit arduus axis.
Belliger & totis conspirat olympus in armis,
Vt cœpta efficias per nos tibi militat æther,

Mittimur à Domino gemini tua caſtra regentes,
Hac pro parte duces, melior qua cauſa laborat.
Nunc agè rumpe moras, neu ruſtica turba rebellet,
Arma miniſtra uides, noſtrum eſt ſuperare ſuperbos.
Irrue, ne trepides ope noſtra ad templa ruenda,
Nec titubare decet, fauor eſt tibi numinis almi.
Tunc ſacer aggrediens properus diſſoluere templum,
Idola extinxit, phana eruit, obruit aras,
Totaque ſublimis iacuit ſub puluere moles.
Ruſticitas inimica prius fauet ipſa ruinæ,
Inſtat & excidio quæ defendebat iniquum,
Idola eijciens, numen confeſſa tonantis,
Vno eodemq; ictu hoc reſpuit, eligit illud.

Q uòd percutere eum uolens reſupinus ruit.

Poſt Heduorum dum templum diuellere tentat,
Obſtant inculti cultores ruricolares,
Ne colerent melius, ſua ſi cultura periret.
Ex quibus audaci nixu male fortior unus
Aggreditur gladio caput obtruncare ſacratum.
Cui nuda ceruice pater ſeſe obtulit ultrò.
Aſt ubi mente ferox totas collegerat iras,
Exacuens rabiem, ſed cordis acumine tonſus:
Acrius inſiliens totos ſuſpenderat artus.
Bis furor armatus iuguli ruiturus in ictum,
Iam grauius feriens quantum altè educitur enſis,
Aſtrictis capulo digitis dum temperat ungues,
Noxius horrifica meditatus uulnera dextra,
Mortis amicus, amans facinus, crudeliter auſus,
Iam ferro incumbens, capiti mucrone reducto
Sternitur ipſe ſolo, qui ſic pendebat in ictum,
Ac reſupinus humi qui pronior ibat in auſum,
Mittit & ore precem, cum membra ſuperba iacerent,
Iuſto ſtante caden s, quo credit ſtare cadente,
Dum uice diuerſa ſtat inops, ruit ille ſuperbus.

Q uòd percutere eum uolentis ferrum de manibus elapſum non comparuit.

Rurſus opus peragens idola euertit, & ecce
Vir quidam tractans Martini de nece, cultrum
Dum rapit, eripitur rapienda rapina rapaci,
Excuſſumque fugit ſine more uolatile ferrum
Iam leuiore uia, neque poſt comparuit uſquam.
Sic cultro ablato manibus, latro extitit inſons,
Redditur & mitis poſtquam fit nudus ab armis,

Nec furor ante animi periens, niſi tela periſſent.
Inuita hæc pietas, quæ perdidit unde noceret.

Quòd eius prędicatione gentiles ſua templa ſubuertebant.

Sæpe beatus item, contradicentibus ipſis
Agricolis, pręſtante fide, ſe orante, iubebat
Vt malè culta ſuis caderent fera phana miniſtris.
Sic quoque pontificem ſoliti impugnare rebelles,
Dum templa euertunt, ipſi ſunt arma beato,
Hoſtiliq́ue manu Martini bella geruntur,
Partibus atque ſuis alieno milite uincit.

Quòd Treueris puellam paralyticam olei benedicti infuſione curauit.

Tunc etiam fuerit curatio quanta patrono,
Quanta medelifero manauit gratia tactu,
Laudibus in tantis muta eſt facundia mundi.
Quem cunctis uidiſſe fuit meruiſſe ſalutem,
Eſt ſatis ipſe ſuus generoſus teſtis, & auctor.
Qui quondam ingrediens Treuirorum mœnia mitis,
Qua reſoluta diu per uiſcera fluxa, rigebat
Tabida paralyſis gelido languore puella,
Flatibus extremis quaſi iam de funere uiuens,
Cuius erant oculi uigilis cuſtodia mortis,
Funeris exequias reddentia lumina membris,
Soluere feſtinans animatæ uincula carnis
Spiritus arcano uix mobilis ibat anhelo,
Fine trahens dubio perituram naribus auram.
Pes, manus, ora, genæ, recubabat imago ſepultæ,
Nec tumulata quidem, ſed portio tota ſepulchri.
Cuius amore pio patris exanimata ſenectus,
Dilacerata genis, niueis malè compta capillis,
Cum impatiens ageret, nec adeſſet cura medelæ,
Comperit ut ſanctum aduectum dignanter ad urbem,
Aduolat inde ſenex uetulis iuueniliter annis,
Impiger exiliens, curſu ſua tempora uincens:
Pontificum uallante choro, populoq́ue frequente,
Irruit in medios clamoribus inuerecundus,
Nam dolor inſignis non reſpicit arma pudoris.
Corruit ergo ſenex ſancti ad ueſtigia pronus,
Genua, manus, plantaſq́ue per oſcula mollia lambens
Vix gemitu laxante, loqui ſic incipit æger.
Vir Martine Dei populari nate ſaluti,
Vir cunctis bonitate parens, tibi ſuggero luctus
Ne miſeri pereant lachrymæ pietatis amice,

Quem mea causa trahit loca tam longinqua uenire,
Vt labor iste uiæ tribuat compendia uitæ.
Est mihi nata domi decumbens uulnere morbi,
Exequijs uicina suis sine sorte medelæ,
Quæ quondam incolumis stabat mea sola uoluptas,
Obsequijs intenta pijs, placabilis, in qua
Vita meam hæc mihi dulcis erat solando senectam.
Ecce perit, secumque trahit mea uiscera letho,
Caniciemque patris miserandi in tartara ducit,
Ire sed ipse prior cuperem, si forte liceret.
Quænam uita seni, uel quo mihi uota parenti,
Spe pereunte patris cum nomine prolis ademptæ?
Qua nubente uiro per dona futura nepotum,
Aridus in ramis poteram reuirescere prolis,
Cum magis hæc reputem præsentis damna salutis,
Me spectante rapi natam mea lumina luci,
Ordine deposito melius cui causa placeret,
Vt senis illa patris oculorum clauderet orbes.
Vnde sacer dignare auidam suspendere mortem,
Atque minister opis rapiendæ occurre puellæ,
Si mora sit, mea causa perit, succurre duobus,
Nam me cura necat, si illi curatio cessat.
Qua sacer erubuit confusus uoce sacerdos,
Indignum sese tali uirtute ministrum,
Sed pater instabat compellens uocibus hisdem,
Debitus insanis medicus uenis, exere curas,
Sentiat aduentum medici purgatio morbi.
His impulsus adit qua lassa puella iacebat,
Turba astante foris faceret quid pastor ouili.
Hinc sua bella gerens orator ad arma recurrit,
Sternens 7 membra solo, sensu super astra reducto.
Hinc ubi consurgens faciem respexit alumnæ,
Illico uox redijt peregrinis ædibus hospes,
Et rediuiua suæ cecinerunt organa linguæ,
Paulatimque artus liquor ut penetrauit 8 oliuæ,
Viuificata pedum geminis stetit arca columnis,
Et fundata suo uiguerunt culmina gressu.

7 *Vides orationem cum genuflexione seu prostratione?*

8 *Ecce quomodo sancti uiri in miraculis edendis creaturis per se benedictis utebantur.*

Quòd Tetradij seruum à dæmonio liberauit, & ipsum Tetradium à gentilitatis absoluit errore.

Post quoque Tetradij famulus proconsulis expes
Mancipium alterius sub hospite dæmone factus,
Dentibus ut rabies alienis frenderet armis,
Nec sua sed hostis fieret se milite pugna.

Quem

Quem dominus famulum ſupplex purgare precatur,
Sed duci ad ſanctum uetuit ferus hoſpes & hoſtis,
Tetradius rurſus iuſti ueſtigia lambens,
Supplicat ut pergant ubi ſæuus latro latebat,
Sed ſacer ipſe domum gentilis adire recuſat.
Spondet Tetradius humilis cum faſtibus altis,
Eripiat ſi hoſti famulum ſe credere Chriſto.
Impoſita ergo manu puero, fera larua recedit,
Et mala iocundum paſtorem beſtia fugit.
Tetradius pariter catechumenus eſſe meretur,
Atque ſalutiferi baptiſmatis amne nouatur.
Sic puer & dominus maculis purgantur ademptis.
Iſte hoſtis laqueis, erroribus ille ſolutis,
Ille carens animæ pœnis, hic carnis erumnis,
Liber uterq; manens gemino micuere triumpho,
Conditio famuli libertas facta patroni,
Accipit iſte fidem, cum de illo perfidus exit.

Quòd dæmoniaco furenti digitos in os intulit, & confeſtim purgauit.

Nec longo ſpatio ſub eodem tempore ſanctus
Fortè domum ingrediens in limine ſubſtitit ipſo,
Terribilem referens ſe cernere dæmonis umbram.
Arreptoq; coco uexat fera belua prædam.
Dentibus armatis lacerans ſe ſiue ſodales.
Terga dabant ſocij, nec quiſquam ire obuius audet,
Vix loca tuta fugæ cupientes præpete ſaltu,
Hoc ſatis eſſe ſuum uel ſe ſubducere morſu.
Martius ergò chalybs Martinus belliger armis,
Nec pede diffudit, nec ſiuit abire fugacem.
Peſtem ſtare iubens, acuit qui fauce molares,
Cui digitos uir ſanctus in os cum mitteret, infit,
Si potes, ecce uora oblatam lupe noxie prædam,
Quam peteres alibi, datur ultrò dentibus eſca.
Quo dicto, fauces geminæ reuocantur utrinque,
Ne uiolet digitos ſuſpendit belua rictus,
Et manibus tangi timuit qui dente uoraret.
Qui dum intra obſceſſum pœnis ageretur acerbis,
Nec tamen ob digitos exire per ora liceret,
Fœda miniſterij fœdus ueſtigia linquens,
Sordibus egreditur qua ſordibus eſt uia fluxu,
Tale iter arreptum ſic te decet ire uiator.

Quòd ciuitatem à metu barbarorum liberauit.

Hinc cum barbariem ſparſiſſet fama per urbem

Prouentumq; trucem crudelia semina ferrent,
Pastor adesse iubet quendam ex grege dæmonis, illi
Imperat, ut prodat, si nuncia uera uagarent,
Tortus ut ore reus, ueluti sub iudice missus,
Gressibus humanis aduectus larua fatetur,
Hanc famam in populos bis quino dæmone fusam,
Vt cogente metu Martinus abiret ab urbe.
Barbara tempestas tranquilla lege quiescit,
Formidanda tibi nulla est irruptio gentis,
Nec causam armorum uerearis pacis amator,
Martino præsente aditum fallacia perdit,
Mendax uera refert, & certum nunciat error,
Insatiata malis, quæ sic fremit ore cruento,
Bestia bella mouens, reuocauit munera pacis.

Quòd in porta Parisiaca Lazarũ osculo purgauit.

Inde Parisiacam sacer intrans concitè portam
Obuiat in faciem leprosum uersus euntem,
Qui sibi dispar erat, nec iam à se cognitus ibat
Vir maculis uarijs, cute nudus, uulnere tectus,
Tabe fluens, gressu æger, inops uisu, asper amictu,
Mente hebes, ore putris, lacerus pede, uoce refrictus.
Induerat miserum peregrino tegmine pallor.
Improuisus enim hunc sanctus sua ad oscula traxit,
Astringensq; uirum fuso medicamine laxat,
Nam simul ut tetigit benedictas ore saliuas,
Effugit unguiferum languoris sarcina tactum,
Mersa figura redit, faciem cutis aduena uestit,
Ad speculum remeat peregrina fronte character,
Et deleta diu rescribitur oris imago,
Virtutum quam celsa fides ubi concite sancti
Pacis ab officio perierunt prælia morbi.
Complexu res dira fuit languoris iniqui,
Peste cadente nouam gesserunt oscula pugnam.
Inclyta religio Martini, cuius honore,
Fœdere fida fides formam dat fœda fidelis.
Fœlix religio sancti pede, lumine, tactu,
Illustris lustrante uiro loca lustra ligustra,
Vrbes, rura, domos, templa, oppida, mœnia, uillas,
Quæque uiri insignis tam insignia signa mereris,
Cuius ab ore sacro magnalia cætera uincens,
Leprosi ad curam Iordanis in oscula fluxit,
Et fontem fluuidę maculę lauat unda saliuæ.

PEndula iandudum laxaui carbaſa pinu,
Dum pelagus componit iter, dum nauta reſumit,
Et reſtricta ſemel leuius ſe ſarcina ducit,
Me quoque iam primi finita parte libelli
Ad curſum leuis aura uocat, paro lintea uentis.
Spiritus altè uolans imple mea uela ſecundans,
Ne trepidam claſſem contraria flabra flagellent.
Martinum mea prora uehat, ſancta emptica nautę,
Dulcis apex, ſpes fida ratis, leue pondus amantis,
Mercis onus ſuaue eſt, & ſiue erretur in ulnis,
Qui tetigit quodcunque manu, uel tactus ab illo eſt,
A digitis ſalit alta ſalus, fluit unguem ab ungue.
Fimbria quin etiam quòd nobilis attigit unquam
Sparſit abundantem modica de ueſte ſalutem,
Fontis & huius aquæ reſtricta eſt unda cruoris,
Siccauitq; ſuo refluamina fluxa fluento.
Sumens æger opem per furta ſalubria multum,
Dum neſcit medicus confert huic ipſe iuuamen.

Quòd filia Arborij epiſtolę ſuę tactu ſanata eſt.

Arbiter Arborius uir præfectorius idem,
Quartano genitam grauiter cruciante camino,
Plurima dum faceret, neque cura mederet alumnæ,
Miſſa beata uiri reſtinxit 9 epiſtola febrem,
Quæ ſuper impoſita charta recubante puella,
Mox ſudoris aquas ubi littera ſicca rigauit,
Febris ab internis extracta eſt arida membris,
Axe ſerenato madidans ſine uellere nimbi,
Rore atramenti reſtincta eſt flamma camini.
Iſraëlitarum ueluti Moyſiticus alter,
Ne uapor excruciet protendit pagina nubem.
Quàm mirum artificem dantem per ſcripta ſalutem,
Sic operabatur præſens ubi nouerat ipſe,
Quæ patre ab Arborio Martino offertur opimo,
Conſideranda manu qua ſaluificata ſit ipſa.
Quam bene bis ſanam cum uirginitate puellam
Reddidit ipſe patri proprio pater ille ſuperno.
Sic meruit geminam ſolo curante medelam,
Dum charam ſobolem morti ſubduxit utrique.

9 *Ecce quõ res etiam exteræ ſanctorũ gratiarum beneficia præſtant.*

Quòd oculum beati Paulini ſanauit.

Pauliniq; oculum tetra caligine merſum,
Impoſitis manibus radius penetrauit acutus,
Atque ſerena dies deterſa nube refulſit,

Lumen & emicuit facies non lusca gemellum,
Martini digitis oleo manante lucernæ
Cuncta salutifero superans collyria tactu.

Quòd est per Angelum à uulneribus curatus, dum à casu scalarum lapsus est.

Ipse etiam casu scalarum uertice lapsus,
Dinumeransq; cadendo gradus, capite, ore relisus,
Attritus membris descedens saltibus amplis,
Multorum medicus quamplurima uulnera portans,
Dum cellæ recubat grauiter sub nocte sopora
Peruigilis Domini uenit Angelus aëre fusus,
Vlcera quæque uiri tractans, dum singula palpat,
Tangens membra manu, solidat uestigia gressu,
Excuti turq; lues fugitiuo tabida saltu,
Et sudibus laceros rediit cutis una per artus.
Crastinus incolumi processit corpore comptus,
Angelicamq; fidem testes præsentia fecit.
Nec perferre pium longinqua flagella decebat,
Quando flagellari grauiter non pertulit ullum.

Quòd in conuiuio Imperatoris presbyterum Imperatori prætulit, cui & prædixit futura, quæ impleta sunt.

Prætereunda mihi neque sunt hæc maxima rerum.
Maximus Augustus nece Regis maximus armis
Imperium nactus ciuili clade superbus
Dum regit insolitas frenorum infrenus habenas,
Pontificum cui tunc adulatio laxa fauebat,
Principis & nutu cleri tunc circulus ibat;
Martino ueniente tamen Rex ipse precatus,
Vt sanctum ad mensam habeat, qui sæpe repulsus,
Tandem promeruit fieri conuiua beati,
Imperio plaudente simul sedet urbe fauente,
Conuiuam cœli quòd terrena excipit aula.
Conueniunt proceres, præfectus, consul, honores,
Certatim acciti regalia festa colentes,
Principe postposito miraturi acta sacrati,
Augusti obsequijs fremit undique concitus orbis,
Diuitias pariter producens, delitiasq;,
Quas habet Indus, Arabs, Geta trux, Persa, Apher, Hiberus,
Quod fert meridies, arctos, occasus, & ortus
Quod Boreas, Aquilo, Libs, Circius, Auster, & Eurus,
Quod Geon, & Phison, Tigris, Eufratesq; redundant,
Rhenus, Atax, Rhodanus, Tybris, Padus, Hister, Orontes,

Quod mare, terra, polus, pisce, alite, fruge ministrat.
Emblema, gemma lapis, toreumata, thura, Falerna
Gazaq;, Creta, Samos, Cyprus, Colofona, Seraptis,
Lucida perspicuis certantia uina libellis,
Vix discernendis cristallina pocula potis,
Inde calix niueus uariat per uina colores,
Hinc mentita bibunt patera fucante Falerna,
Hinc abacum picto bombycina flore decorans
Arte laborata, & uel qualia pensat Aragus,
Serica purpureis sternuntur uellera uillis,
Totaq; permixtis radiant uelamina gemmis,
Inde pari pariter rutilant ætate ministri,
In cunctis uarius habitus, nitor omnibus unus,
Quod ualet ore loqui, potuit sub principe ferri.
Ordine Cæsareo Martino hæc pompa paratur,
Qui modicis contentus erat satiandus in uno.
Accubat interea princeps, simul ordo, senatus,
Presbyter inde toro ueneranda accliuis in ulna,
At iuxta Regem sella sacer asfidet alta.
Porrigit hinc Regi mox pocula prima minister,
Qui sancto iubet ante dari, quo posit ab ipso
Augustus calicem accipere, & potare secundus.
Martinus patera oblata ut bibit ore parumper,
Diuino sitiens potius se fonte rigari,
Principe postposito partem libaminis unam
Presbytero tribuit, noscens quod 10 dignior esset,
Miratur princeps, proceres, conuiua, ministri,
Iudicioq; suo se pensauere minores.
Illico percurrit res gesta palatia complens,
Hoc quod apud sanctum fuit ordine presbyterali.
Augustus conuiua minor uox una per urbem,
Martinum fecisse canit sub principis ora,
Iudicis in minimi mensa quod nemo ualeret,
Erubuitq; aliud hinc dicere turba satellis,
Siquid enim uoluit pro supplice forte precari,
Induperatori Martinus & imperat ipsi.
Qui tamen Augusto prædixit forte futura,
Prospera quæ meteret, quæ mox contraria ferret,
Motibus Italiæ pugnante Valentiniano
Maximus ut cecidit post bella secunda tyrannus,
Qui graue succubuit Aquileia protinus urbe
Martini dictis, & uerbo libra pependit.

10 *Vides sacerdotes esse regibus & principibus superiores?*

Quòd Angeli sæpius cum eo loquuti sunt.

Cœtibus Angelicis uisus sæpe, atque loquutus,
Miscuit humanas turmis cœlestibus aures,
Voce salutatus uel nutibus ipse salutans
Aligeros proceres tenuata per aëra lapsos,
Mitibus alloquijs ageret quid sæpe monerent.
Quid coelo expeterent terrena sede parentem,
Et consanguineum quasi longa in secula ciuem
Voce requirentes, iunctiq́;, & amore perenni,
(Quid faceret terris anima hæc tam libera culpis?)
Vt iubeat coelis peregrinus & hospes ab aruis.
Dæmonicas etiam species falsasq́; figuras,
Quaslibet in formas se uerteret inficiator,
Perspicuas habuit penetralis acumine uisus,
Martiniq́; oculos neque falsa fefellit imago.
Nam quanuis uaria tegeretur larua figura
Sancto nuda fuit cum non se absconderet umbra.
Cumq́; malignantis illusio nulla ualebat,
Prensus in arte ferox iaculabat probra beato,
Et cum fraus cessat, hostis conuicia iactat.

Quòd diabolus cũ cornu bouis cruentato cellam eius irrupit.

Tempore nam quodam cornu bouis ense cruento
Ipse cruentus habens infert ad tecta beati,
Irruit in cellam, causamq́; exponit iniquam,
Quò uirtus Martine tua est? Hoc aspicis, inquit,
Vnum nanque tuum nuper hac cæde peremi,
Et mihi præda iacet pecorali capta ministro,
Iniunctumq́; nephas sceleris bos armiger implet,
Damno cresco tuo, congaudens ubere fletu.
Protinus his dictis fratres sacer aduocat omnes,
Et pater ore refert quicquid ferus indicat hostis,
Solicitus ne quid lupus abripuisset ouili,
Perquirunt socios monachi, numerumq́; recensent,
Sed grege de niueo modicus neque defuit agnus.
Conductus mercede tamen deest rusticus unus,
Ligna trahenda focis nemorum uectore bubulco,
Quo propero iubet ire gradu, causamq́; requirit.
Semianimum inueniunt missi suprema gementem,
Indicat atque necem, dum adhuc super halitus errat,
Quod sua laxato Taurus foret inguina cornu,
Explicitaq́; fide uitam cum uoce reliquit,
Nec sanctum hoc errare facit, quod fecerat error.

Quòd diabolus uisibilem se, & diuersis formis ingerebat.

Additur hinc etiam rerum mirabilis ordo
Mille nocendi artes, dum perfidus exerit hostis,
Nunc Iouis in faciem, nunc se mentitus Anubem,
Sæpe habitu Veneris, sæpisimè fronte Mineruæ,
Sedulus insidijs sancto sua seria rumpens,
Diuersis formis, ut terror cresceret, offert,
Et uarius generet specie uariante timorem,
Qui uirtute nequit superatus ut arte rebellet,
Sed tamen intrepidus persistit inania temnens,
Semper in aduersis iaculans ¹¹ Crucis arma beatus,
Belliger hoc clypeo hostilia tela relidens,
Qua penetrante acie se machina falsa resoluit.
Sæpe etiam in sanctum uacuos acuere tumultus
Inficiatores falso minitante flagello,
Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,
Oppositisq; minis interritus ipse resistit,
Nec fundata decet contra euacuata moueri.

¹¹ *Crucis signaculum semper murus est inexpugnabilis contra omnia nequissimi dæmonis tela.*

Quòd eum diabolus increpat, eo quòd criminosos in monasterio reciperet.

Hinc quoque læti feri suffusus felle ueneni
Perfidus, horribilis, trux, lubricus, inuidus anguis,
Ore cruentatus Martinum prouocat armis,
Cur habeat monachos oneroso crimine pressos,
Cur maculosa cohors habitet pia septa magistri,
Ne rea turba malis uiolet consortia iusti,
Morbida neu reliquos uitij contagia fœdent,
Qui male polluerint lauachri uenerabilis undam,
At sua perdiderint baptismata crimine mersi,
Nec uia sit ueniæ perijt quibus orbita lapsis,
Cum semel in foueam uix est reuocare ruentem,
Ac neque restitui uastato in corpore florem,
Nec redeat miseris ultra indulgentia Christi.
Tunc Martinus ait hæc contra dæmonis iram.
Perfide desipiens quia non tua cõmoda cernis,
Hostis inique, tibi, tibi noxie, te pereunte,
Si nunc pœniteas, si nunc resipiscere uelles,
Præcipitare animas ut iam per crimina nolles,
Nec tua sæuirent alienæ tela ruinæ,
Erroresq; tuos damnares ultime iudex,
De pietate Dei fidens promittere posim,
Vt tibi tam misero misereri Christus haberet,
Et cito donaret scelerata piacula culpę.
Ob hoc arce poli descendit ad arua redemptor,

Perdita ut eriperet, peritura nec ipsa perirent,
Immaculatus enim maculas detergere uenit,
Vulneribusq; suis curaret ut ulcera mundi.
Funeris ordo sui nostræ fuit arca salutis,
Sputa, flagella, chlamys, fel, acetum, lancea, claui,
Crux pia, mors, tumulus, lapis, inferus, umbra, tyrãnus,
Victa simul triduo premit, & redit auctor ad astra,
Descensusq; suus meus est ascensus in altum.
Nec peccatoris mortem magis eligit ultor,
Quando suis pœnis nobis dedit arma salutis.
Sic pius indomitam pestem mansuescere tentat,
Promisitq; lupo bona pastor ouilia reddi,
Quanto magis homini reserari præmia Christi,
Propter quem ipse Deus homo fit, iacet, atq; resurgit.
O` pietas, & celsa fides, præsumptio dulcis,
Quæ promittit opem deceptori, & perituro,
Explicuit uotum, si non ualet ire iuuandum,
Cui minus in posse est, satis est ostendere uelle,
Nam totum impendit, qui non abscondit amorem.

Quòd beatus Clarus omnibus relictis ei adhæsit.

Huic Clarus placidus adolescens, moribus expers,
Martinum amplectens patrẽ, & sua cuncta relinquens,
Tempore quiq; breui micuit, uirtute, fideq;.
Cum prope pontificem habitacula constituisset,
Ac sua complures peterent consortia fratres,
Huic se tunc monachus socians Anatolius addit,
In commune prius humilis censura, sodalis,
Qui rudis ingenij uersuto illusus ab hoste,
Post ait, ad sese quo cœlitus Angelus iret,
Ac reserare sibi mysteria clausa tonantis,
Et cito syderea uolitent sua nuncia penna,
Atque remissa uiri responsio nubila tangat,
Inter se & Dominum memorans iter esse propinquũ,
Ac sibi contigui iactat confinia cœli,
Et secreta Dei noscendo iam esse prophetam.
Sed Clarum ut credat, nec opinio falsa mouebat,
Tunc sine more furens Anatolius asserit audax,
Quòd sibi de cœlo Dominus transmittat amictum,
Induat ac uestem delatam nocte silenti,
Vt signis stupeant, cuius modo uerba cauillant.
Eleuat huic uarium monachorum turba tumultum,
Et suspensa tenet spectatio uana sodales.
Interea medias quasi nox transcurrerat horas,

Et rota flexa æquo girabat cardine metam.
Fit ſubito ſtrepitus,quatitur locus,arma mouentur,
Et concuſſa ſimul uario fremit aula ſuſurro,
Murmure raucíſono frangente lepore loquelas.
Credas pugnaces uolitare per aſtra phalanges,
Et uideas rapidas diſcurrere turbine turmas.
Hic ubi concuſsis redierunt ocia turbis,
Motaq́ue tempeſtas tranquilla ſilentia ſumpſit,
Aduocat ex monachis confeſtim Anatolius unum,
Cõminus & tunicam oſtentat iactantior albam,
Qui uacuo tumidus falſo umbrabatur honore
Candidus exuuijs,ſed nigri dæmonis arte.
Inde ciet reliquos,occurrit Clarus & ipſe,
Palpat mollitiem ueſtis candore niuali,
Serica confingunt tenuato ſtamina filo,
Nec contacta manu diſſolui uellera poſſunt.
Ducitur interea monachis nox peruigil hymnis,
Et compacta choris Dauidica canna reſultat,
Vt coram altithronus uelamina uiſa reuelet.
Et iam ſpumat equis auroræ auriga rubores,
Sol quoque lucifluas circumflectebat habenas,
Atque renata dies reuocabat in arua labores.
Mox Clarus monachum Martino oſtendere tendit,
Noſcens Pontificem phantaſmata nulla latere.
Cum ſancti ante oculos uario fuit una figura
Decipulamq́ue ſuam deceptor perdit in illum.
Cœperat his demens Anatolius ergo reniti,
Inter dicta ſibi Martini occurrere ouili;
Dum tamen inuitis traheretur paſsibus hærens,
Tegmina falſiloqui uaneſcunt alba nigelli,
Et male deſtituunt monachum uaga pallia nudum,
Nec ſtat imagineis ſimulatilis umbra figuris.
Territa Martini ſic nomine larua refugit.

Quòd ei diabolus in regio habitu apparuit. Et quomodo ad ipſum uenit ſulpitius,qui ab eo benignè ſuſceptus eſt.

Hoſtis iners maiora ſuis dehinc uiribus audens,
Perfidus,& totiens eliſus,nec ſibi credens,
Debilis arma mouens,& degener ardua tentans,
Vt ſua laus fieret uel ſolicitaſſe potentem,
Creſceret & titulis,fortem pulſaſſe ſagittis,
Denique cum ſanctus recubaret in aggere fuſus,
Inſinuando preces Domino pro plebe ſacerdos,

Conſtitit ante oculos deformis forma rebellis,
Sulphurea ſub luce micans radiantius umbra,
Lumine mentito tenebroſus,& atra uorago,
Fulgidus exuuijs regali ueſte ſatellis,
Tectus bracteolis uacuo diademate pulcher,
Ordine gemmarum memoroſa luce coruſcus,
Falſa ueſte potens,cui calceus illitus auro,
Latior & tumido iactans ſe pompa triumpho.
Cuius ad aſpectum ſanctus hebet ore repreſſo,
Mutuaque ambo diu tenuere ſilentia faſtu,
Mirans ille uirum,dum deſpicit iſte ſuperbum.
Quem prior alloquitur reus,& temerarius hoſtis;
Quæ dudum,Martine,cupis penetrante precatu,
Iam pia uota tenes,ego ſum tua gloria Chriſtus,
Exigis ut ueniam ualidos recreare labores,
Et ſudata tuis ut ſoler bella triumphis,
Debita militiæ dare oportet munera Regem,
Deſcenſurus enim ad terras huc dirigo greſſum,
Vt tua ſollicitis requieſcant pectora curis.
His ſacer intrepidus nolens reſponſa referre,
Deſpicit,& reticet,tractat,neque uerba relaxat,
Mens ſolidata manens,rimans alta atque profunda,
Cardine nec tremulo,uento neque flante rotatur.
Lubricus hinc repetit mordacia ſibila ſerpens:
Credere quid dubitas proprio quod lumine cernas?
En ego ſum Chriſtus,tecum qui confero uoces,
Et loquor hæc ſecreta palàm dignando futura,
Nec de me trepides,teſtis mihi fulgida lux eſt.
Spiritus ut uerax Martini igniuit acumen,
Ac patefecit iter,ne clauſa uenena laterent,
Hoſtis & anguinei poſſet diſcernere fraudem,
Libertate potens ſanctis ſermonibus,inquit;
Non ita ſe Dominus uenturum dixit in orbem,
Se neque purpureum,nec ſic diademate fultum,
Pandit Apoſtolicis uoce inſinuante columnis,
Cum ſua carnalis raperetur ad aſtra figura,
Atque pijs plantis ſtrauerunt flamina pennas,
Cum pede preſſa ſacro ſeruirent aëra Regi,
Angelicis uectus manibus celer æthera calcans,
Ingrediens teneras,neque frangens greſsibus auras,
Pendula planta uolans cum nubila finderet intrans
Remige pennigero,qua non facit ala ſigillum,
Cum Galilæis tunc ſpectantibus Angelus aſtans,

Sic ait, altithronum rediturum, qualiter iret,
Vnde probanda probo, reprobo reprobantia probra;
Non ſunt ſigna mei Regis, ſed caſtra tyranni,
Aſt ego transfixas clauis niſi uidero palmas,
Atque beata Crucis tum ſtigmata carne gerentem,
Ac latus, & foſſas truculenta à milite coſtas,
Vnde cruentati pariunt baptiſmata riui,
Et ſacra purpureo maculas lauat unda fluento,
Quæ dedit in precio generoſa talenta redemptor,
Inque Crucis trutina precij nũmiſmata penſans,
Totum auctor redimens theſauro corporis orbem,
Cum gemma una fuit, quæ cuncta in uaſa ualeret;
Hac niſi ueſte tegi uideam, qua pertulit author,
Indicio ſine hoc Chriſtum ueniſſe negabo;
Nam decet ut uictor doceat per ſigna triumphum,
Plagaq; fixa poteſt laude accumulare trophæi.
Mox inimicus iners uibratus uerbere uitæ,
Peſtifer aërius tenuata per aëra lapſus,
In propriam ſpeciem rediens ad inane ſolutus,
Effugit ex oculis liquidas quaſi fumus in auras,
Et leuis umbriferæ uolitauit imago figuræ;
Viſibus excluſus cellam pedore repleuit,
Agnitus indicijs ſua per ueſtigia ſordens,
Et fœtore ſibi comitante ſatellite fugit.
Martiniq; fidem nec fulgida forma fefellit,
Nec radium mentis deluſit ſplendor inanis;
Luce ſuperfuſa qua ſe nox tetra tegebat,
Nunquid non poterat humilis ſuperare ſuperbum?
Aut non deijceret tam mente benignus iniquum?
Pacificis armis doctus domitare rebelles,
Cuius dulcis erat fauor, & honor altus amoris,
Non ſolum abluere alterius, ſed lambere plantas,
Hoſpitis atque noui ueſtigia tergere lingua,
Semper aquam manibus tribuens uenientibus ipſe,
Cœleſtis cupiens homini ſeruire miniſter,
Et manus alma pedes de corpore ſæpe luebat,
Cum ſua porrigeret uel fimbria tacta ſalutem.
Qui illecebras mundi fugiendas inſtituebat,
Et ſeclo ſua lucra dari, nil quærere terris,
Vt cenſum fugeret qui aſcendere uellet olympum,
Vt graue pondus agri, uel nummi nullus haberet,
Nec retineret opes qui cœlo occurreret hæres,
Nanque onus aſcenſum uetat, & deſcendere præſtat,

Imum uersa trahunt, nec in altum pondera ducunt,
In montem gradiens titubat sub fasce columna,
Deficit & fragilis ualido sub pondere planta,
Mergit in undosum cumulatam sarcina proram,
Vt petat ad portum rerum facit emptica iactum.
Qui pater illustris Paulini gesta beabat,
Floruit Italiæ quo post Antistite Nola,
Qua regio Campana sedet rectore supremo,
Diues agris, opulans famulis, locuples & aceruis,
Vir censu uastus, lare celsus, & ore rotundus,
Ditior ipse fide pro Christo fit sibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos,
Cuius sparsa solo migrauit ad astra facultas,
Fecit & in cœlum pigras ascendere terras,
Vno dando loco, & dant bruta ad sydera saltum.
Ergo Euangelicum Paulino implente relatum,
Martinus monitat cunctis talem esse sequendum,
Tramite difficili potuit qui pergere diues,
Depositoque onere ascendit qui liber in arcem,
Exemploque mouens uocat altius ire sequaces.
Iam quæ Martini sapientia fluxerit ore,
Quæ grauitas fuerit, quàm acer de lege disertus,
Quæstio nec latuit cœlesti iure perito,
Vir reserare ualens quodcunque ænigma negaret,
Ingenij dulcis prudentia larga redundans,
Fonte perenne bibens quod riuulus ille rigaret;
Sermo pius, promptus, placidus, catus, aptus, amandus,
In tantis animis cœli possessor in armis,
Peruigil orator mandando negocia Christo,
Iudicis in uultus inopum querimonia pandens,
Doctus in arte sacra miserorum exponere causas,
Assertor ualidus superans fora, iura, togatos,
Nullius astructor, facundus concionator;
Qui prece profusa Domini uadimonia placans,
Quantum uoce ualens uiduis, atque orphana trophis,
Cuius & ipsa polum taciturna silentia pulsant;
Mens fundata Deo, sine fuco, proxima cœlo,
Otia nulla terens, & nulla negotia carnis,
Quicquid agendum esset, totum uelociter implens.
Sed mora Christus erat famulans sibi nocte dieque,
Nam cibus & somnus nisi quod natura necesset,
Tardus edax, uelox uigilans, sopor esca sub ictu,
Nec faceret nisi quod sine his caro uiuere nescit,

Tempus

Tempus utrunque dicans, causis repetendo duabus,
Lectio nunc resonans sibi, nunc oratio currens,
Cuius erat requies tantum mutare labóres.
Si foris isset, erat homo iugiter, intimus orans,
Cœlo nunc carnis, nunc tendens lumina cordis,
Nec dolus inclusus latuit, nec ab ore refluxit,
Vir sine mundanis Domini possessio munda,
Nullum iudicio damnans, mala nulla repensans.
Hæc sua nanque fuit, si facta iniuria fratri est
A` minimis læso nonnunquam erat ultio dulcis,
Deq́ue gradu proprio neque reppulit officialem.
Carus & aduersis, pius æquis, blandus iniquis,
Ira, tumor, risus, mœror stetit exul ab illo,
Non in fronte tenens nubem, nec in ore cachinnum,
Idem semper erat facie, cute, corde, colore,
Nec uariabat opus uir adhuc in corpore constans,
Immortale aliquid mortali ab imagine promens;
Ora Deus, sensum pietas, pax corda tenebat,
Pro se parua gerens, aliena misertus agebat,
Naturæ ut seriem postponens Angelus esset,
Alta supergrediens, mente ultra nubila tendens,
Liber ab humanis intrabat sydera curis,
Inclyta signa gerens, & multa futura prophetans,
Stabat adhuc terris, cœlestibus intimus hæres,
Noscens clausa Dei, quasi conciliator amici,
Cum sua participat caro secreta clienti:
Vir cui Christus amor, Christus honor, oĩa Christus,
Flos, odor, esca, sapor, fons, lux & gloria Christus;
Huius in affectu insertus, solidatus adultus,
Ac uelut arbor agri, secus est ubi cursus aquarum,
Floricomis folijs, & fluctu perpete gaudens,
Ornata æternæ fert poma perennia uitæ.
Inter Apostolicas acies sacrosq́ue prophetas,
Martyrumq́ue choros, atque agmina fulgida cœli,
Rege sub inuicto qua exercitus ille coruscat,
Per turmas, proceres, legiones, atque cohortes,
Milite, seu comite, & gradibus duce consule crescens,
Lacteus iste toga, rutilus micat ille corona,
Hunc prætexta nitens, illum diadema facetat,
Hos chlamijs, ast illos armilla topara decorat,
Balteus huic radiat, huic infula crine coruscat,
Alter palmatæ, trabeæ nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma aurum, pui pura, byssus,

Nec uidet hoc oculus, quod habet super astra senatus.
12 His frueris, 12 Martine, bonis sub principe cœli,
Coetibus Angelicis sociabilis, & patriarchis,
Compar Apostolicis, meritis æquande prophetis,
Addite martyribus, queis rubricat unda cruoris,
Fulgide confessor candentia lilia uincens,
Lumine purpureo redimite, decore, corusce,
Liberius gradiens per celsa palatia Regis.

12 Anima Martini est in cœlo cum cœteris sanctis.

Supplicat Fortunatus, ut Martinus pro eo Deum oret.

Vir transcripte potens, æterna in sæcula cuius
Signifer arma Crucis fers nobilitata triumphis,
Dulcis, adorande, & mihi pectore, uoce colende,
Cuius prosaicus cecinit prius acta seuerus,
Versibus intonuit Paulinus deinde beatus,
Æquiparare ualens illlustris uterque relator,
Materia uicti, sed & ipsi carmine cedunt.
Luminibus tantis ego nubilus inferor audax,
De minimis minimus de magnis maxima tentans,
Qui pede sub titubo, balbutio fauce, & anhelo,
Et rudis eloquio carpo quod condere certo,
13 Da 13 ueniam, quia te cecinit rea lingua relatu,
Fer pietatis opem misero miseranda misertor,
Rector ut altithrono cum uenerit arbiter orbis,
Tum memor obtineas delicti obliuia nostri:
Inter me ac Dominum mediator adeste benigne,
Quem sua culpa ligat, tua ut interuentio soluat;
Spes Fortunati sit fida salutis egeni,
Suppliciter humilem tibi se strauisse patrone,
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgas,
Mortis & extremæ reuocas in origine finem,
Carnis adhuc fragilis quondam sub imagine constans.
Nunc opus ut mites pietas tua commodet aures,
Nam prece posse uales apud illum, cuius haberis;
Quod peto tu poteris, quia totum præstat amicis,
Sic tibi quæque petis tribuat præsentia Regis.

13 Quid dicis hic tu qui sanctos ais nō esse inuocandos, et antiquos patres non eos inuocasse, & ob eorum inuocationem obtenebrari necessariam dei inuocationem? Nonne uel ex hoc solo loco corruunt omnia tua mēdacia et figmēta?

INCIPIT LIBER TERTIVS.

HActenus in bibulis fixa stetit anchora terris,
Ocia lenta trahens, & inerti dente quiescens,
Leniter alludens dum sibilat aura soporem,
Et noctem umbra tenet uiridante trepidine ripæ.
Ecce serena dies rutilata crepuscula profert

Et pelagus rate nauta petit, iam ſoluo rudentes
Littus arundineum linquens leuo carbaſa uentis.
Ante per Adriacas ſpumas dare uela uidebar,
Turbine raptus aquæ per murmura rauca fragoris,
Cum duce Sulpitio, bene cuius ab ore uenuſto
Martini ſacros dulcis ſtylus edidit actus,
Quos ego ſub geminis claudo pede curro libellis,
Infimus egregij contexens geſta patroni.
Rurſus in oceani uideor mihi tendere fluctus,
Nauis iter gradiens, ubi iam uada glauca reſidunt,
Et creſcit terrore timor rate, nube, profundo.
Dum tamen alta peto, reſonet mihi Gallus in aure,
Geſta beata uiri, qua contigit unda tumorem,
Et ſermone uiam releuet ſale fabula dulcis.
Deferor ecce freto, fugiunt & littora uiſum,
Remiget hic Gallus, Martinus uela gubernet,
Flamina Chriſtus agat, portum quibus unda reducat.
Nunc quoque geſta ſacri, dum nauigo, nauta loquatur.

Quod intra amphibolum ſibi tunicam latenter induxit, & pauperem ueſtiuit.

Menſibus hibernis dum Boſphorus alligat undas,
Et liquidos campos uetat ymber arare carinis,
Oceanuſque negat commertia ferre Britannis,
Cum ſata ſub rigido ſua germina frigore celant,
Ac penetrante gelu riget unda, & herba liqueſcit,
Aſtitit ante fores orans ueſtem æger egenus,
Lingua ligata gelu nec ſolueret ore loquelas,
Vt tegeretur inops, ſacer imperat ergo miniſtro,
Ipſe remota petens populi caret arte tumultu,
Comperit ut ſanctus nihil accepiſſe trementem,
Exuitur tunica, algentemque obtexit amictu,
Quam ſine teſte dedit latitans, & abire coëgit.
Ecce miniſter adeſt rogitans procedere ſanctum,
Sed ſacer ante monet ueſtiri tegmine nudum.
Hoc memorante pio ſtupidus hebet Archidiacon.
Quid faceret, nudum dum non ibi cerneret ullum,
Noſcere nec poterat reſidente Antiſtite, nudum,
Qui tunicæ interius non aſpiciebat amictum,
Amphibali exterius dum membra obtecta laterent.
Angit & ancipitem quòd hoc ænigma beati,
Quæſtio tanta ligat, neque problema ſoluat egeni.
Tunc ait ipſe ſacer, mihi tegmen defer amice,
Nec pauper deſit, qui ueſtibus indiget illis.

Succensus grauiter tegmen fert uile minister,
Ante pedes iactans, ait, en sine paupere uestem.
Induitur sancto hirsuta bigerrica palla,
Vix cui digna foret stola lactea, & aurea fulua.
Processit sic summus honor, sed pauper amictu,
Despectus tunica coelesti in sede senator.
Interea populis cerimonia sancta retractans,
Cum holocausta sacræ manibus benediceret aræ,
Protinus à capite emicuit globus ignis amici,
Lambens colla, comas, & flamma benigna uolabat
Tactu mollis, honore potens, splendore coruscans,
Crinem ornans, meritũ prodens, pro tegmine fulgens,
Præbuit obsequium minus impendente ministro,
Gesta occulta index in lucem lumine mittens.
O dives pauper tunica contente nec una,
Qui nec habes aliam, neque uis retinere uel ipsam,
Dum superesse putas uestitum simplicis usus,
Cui grauis est uel pulla leuis dum clamat egenus,
Tegmine pro nudi cupiens procedere nudus,
Nec partiris opem, sed totum cedis egenti,
Hæc tua sola putans, ne pauca petita negares,
Vt magis esset inops, inopi dum cuncta dedisses,
Nec puduit uerecunde pater sine ueste sedentem,
Sed nihil erubuit pietas impensa fidelis,
Nec minimam retinens fieret quo maior honore.
Est mihi uelle loqui speciosa negocia nudi,
Sed rapiunt auidum reliquarum insignia rerum.

Qualiter Euantium à grauissima infirmitate liberauit.

Dum recubaret humo fluitans Euantius æger,
Fessus, & extremus cum iam super halitus iret,
Pontificem precibus celer euocat ut properaret,
Et uia cœpta sacri fieret sibi uita reducti.
Nec cunctatur iter Martinus adire uiator,
Vix medio spatio emensus gradiente senecta,
Ante salutis opem misit dum uita maneret,
Atque medela ægro data nunciat ire beatum,
Significans etiam cursor medicina sequentem,
Dum pede tardat heros, præcessit cura uolatu.
Aduentosque pij fert aura salubris odorem,
Vt cito succurrant unguenta per aëra fumant,
Sol ueluti radijs dat longius ore colores,
Sic Martinus opem, & quod non est exhibet ante.

Admiranda nimis res eſt,ubi peſte fugata,
Anteaquam medicus pulſum tenet,exilit æger,
Obuius occurrens ſancto,obſequiumq́; rependit,
Duxit & ipſe domo,qui ſe ſibi luce reduxit,
Nunc alacer ſaltu,recubans paulo ante grabato.
Interea miris Euantius actibus expers
Supplicat incolumis,domini ut mora craſtina tardet,
Hoſpitis & tanti tenet una diecula uultum.
Sed mora tunc fuit hæc occaſio danda ſalutis.

Quòd Euantij puerum à ſerpente percuſſum ſolo tactu ſanauit.

Illico percutitur puer atro dente chelydri
Membraq́; percuſsi diſtenderat ira ueneni,
Cum ſpatium uitæ mors importuna negaret,
Flebile & in toto regnaret corpore uirus.
Expoſuit puerum ante pedes Euantius almi,
Omnia confiſus Martinum poſſe mereri.
Sanctus enim tactu mox ſingula membra pererrat,
Atque manu medica morientia uiſcera palpat,
Inde ſuper uulnus,qua beſtia fixerat ictum,
Vt poſuit digitum,fluit undique uena ueneni,
Et repedauit iter dederat qua uipera uirus.
Hinc ſacer inſpiciens collecta tabe tumorem,
Pollice ſubducto,quam fuderat ulcere ſerpens,
Cuncta ueneni uis per hiatum uulneris exit,
Sanguine concreto ſtillans uelut ubere capræ,
Turgida plaga necem uomuit de uulnere filans,
Concretam ſaniem uena ſaliente relaxans,
Effert uirus iners refluente canale liquorem,
Et data letiferum reuocat retro fiſtula rimum,
Expugnante fide morſus uim perdidit anguis,
Et quia non perimunt perierunt arma ueneni.
Stat puer incolumis,remanet neque pallor in ore.
Miratur famulum dominus,ſtupet & domus omnis,
Currere ſeruitio,quem crederet ire ſepulchro.

Quòd eum uiri militares cũ rheda fiſcali uenientes plagis affecerunt, quorum equi immobiles perſtiterunt, donec reatum agnoſcentibus indulgeret.

Hinc pius Antiſtes loca ſingula more requirens,
Hiſpidus occurrit rhedę fiſcalis amictu,
Quo iumenta,ſacri dum pallia pendula cernunt,
Feruida ſubductum rapuere per inuia currum.

Demiſsis auriga rotis,& miles habenis,
Martinum flagris,& fuſtibus urget iniquis.
Sed de cæde uiri pecudis datur ultio triſtis.
Ipſe tamen patiens iaculorum grandine preſſus,
Atque flagellantum dum debachatur erinys,
Vulnera nulla refert manibus,nec ab ore ſuſurros.
Hinc grauius cruciat cędentem ignobilis ira,
Hic quia dum tolerat,ſe irrideri putat alter,
Et magis ille furit,dum ſuſtinet iſte libenter.
Interea ad rhedam redeunt craſſante querela,
Dum ſatiat uindicta famem typhatilis iræ,
Mulas ire mouent qua publicus aduocat agger,
Voce premunt,& fuſte dolant,lacerantq; flagello,
Sed neque compulſę rapiunt iuga lora quadrigæ.
Fixa manent,nec feſſa mouent uelut ærea ſigna,
Ceu liquefacta nouo ſe glutine terra ligaſſet,
A' putre ut credas animalia puluere nexa.
Agnouere uiri ſe numinis arte teneri,
Accurrunt celeres, inquirunt nomen euntis,
Martinum inueniunt à ſe crudeliter actum,
Confuſè flentes rubricante pudore recliui.
Ante pedes ſancti ſternuntur,& ore precantur,
Vt ueniam errori tribuat,ſinat ire ligatos,
Quos tamen ante ſacer prædixerat eſſe retentos.
Rem probat,ulcus amat,ueniam dat,abire perorat,
Quos uirtus uinxit,pietas mollita reſoluit.
Ore pependit iter,uerba arctant,uerba relaxant;
Et iuga,frena,rotas,mulas auriga recepit.

Quòd in Carnotenſi territorio mortuũ ſuſcitauit.

Carnotis hic etiam dum prætereundo ueniret,
Ethnica per campos paſsim obuia turba fluebat,
Excita amore ſacri,licet hoc non crederet ipſi,
Ad ſpeculare nouum concurrens undique uiſu,
Cum necdum his Chriſti radiaret honore character,
Nec ſacra uerbigenę flueret ſuper unda tonantis.
At Martinus ouans,Domino reſerante profunda,
Senſit adeſſe locum,quo fertile ſurgeret aruum,
Incipit alloquijs fera pectora cultor arare,
Ore ſacer nitido dumoſa noualia purgans,
Sæpius atque iterans,bis terq; quaterq; reſulcans,
Paulatim ad fructus ſtupides animauerat agros.
Hinc rudibus populis Chriſti noua ſemina iactat,
Senſibus humanis lactantia ſemina ſurgunt,

Leniter & rigidis coaleſcunt gramina ſulcis.
Quid faceret ſanctus turbis coëuntibus amplis,
Meſſe in tam multa ueniens operarius unus?
Excolit, includit, ſerit, inſerit, alligat, ambit.
Interea mulier defuncto pendula nato
Brachia diſtendens offert ante ora cadauer,
Funeris increpitans miſero fera cantica planctu,
Dum dolor ad lachrymas ait, hæc uix explicat ore;
Fortis amice Dei toto uenerabilis orbe,
Quem ſemper lamenta mouent pietate propinqua,
Ardens quid cupiam, corpus tibi nunciet algens,
Ecce obijt miſeræ mihi filius ubere raptus,
In quo mater eram, nec ſpes, neque reſtitit hæres,
Occubuit genitus, cecidit domus, & mihi fructus,
Nulla remanſerunt uteri ſolatia duri,
Nec ſupereſt quod dulce uocem, quo feſſa reclinem,
Vbere quod recreem, totus perit ordo parentis,
Qui reſtas, precor, affer opem medicamine uerbi,
Redde genus, ne ſit matris mihi nomen inane,
Ni ſoboles redeat, ſecum mea funera ducat.
Adiuuat hanc populus clamans, ſacer annue uotis;
In cunctis uox una tonat, miſerere precanti.
Tunc pius Antiſtes 14 genibus profuſus in aruis, 14 *Ecce & hic orationē cū genuflexione ſeu proſtratione.*
Sternitur ante oculos Domini pro plebe precatus,
Vt mereretur ouem, per quam grex plurimus eſſet.
Annuit omnipotens famulo dans culmen honorum.
Mox bonus ore preces orator miſit in aures,
Ordine diſpoſito poſtquam ſe oratio complet,
Erigitur ſenior, ſimul infans uiuificatur,
Porrigiturq; ſuæ populo ſub teſte mamillæ.
Fit fragor, & populi noua pectore uota uolutant,
Mirantes hominem læte mutaſſe uigorem,
Et qui in morte manet morti ſua iura tuliſſe;
Inde cateruatim Chriſtum, Dominumq;, Deumq;,
Confeſsi exorant fieri ſe lege beatos.
Fit ſubito in campos populus cathecuminus omnis,
Non templa ſpectans, nec clauſtra dicata ſacelli,
Eccleſiæq; typum campus generoſior explet,
Quodq; ſolet tectis, pratis adhibetur apertis.
Vnica mors pueri ſic uitæ parturit agmen,
Dumq; unus terræ redijt, plebs aſtra recepit.
Sub duce Martino felix exercitus hic eſt.

Quòd Valentinianus Imperator non eſt digna-

tus ei assurgere, quousque sellam suam ignis operiret.

Dum regeret princeps data iura Valentinianus,
Romuleis opibus mundo famulante superbus,
Forte ad se sacrum comitatum comperit ire,
Quem quia præsensit se posci talia Cæsar,
Quæ nollet præstare uiro, iubet arce repelli:
Hinc aula exclusus redit arma domestica sumens,
Contegitur 15 setis, respergitur atque fauillis.
Ordine miles agens, remouet potumq; cibumq;,
Nocte dieq; uacans orandi iugiter usu.
Septimus ergo dies aderat, quo sanctus amore
Fortia castra mouens his desudabat in armis,
Quo Angelus assistens iubet ire palatia iustum.
Fretus in auxilio Martinus pergit ad arcem,
Limine nullus obest, ad Principis ora perintrat;
Qui sanctum inspiciens quòd adesset, frenduit ore,
Atque astante pio solio neque surgit ab alto.
Regalem sellam mox ignibus ardor oberrat,
Et uaga flamma natat, qua molle sedile coruscat,
Vndique fusa furens, sed culpæ Cæsaris ultrix,
Ceruicis duræ soluens ardore rigorem,
Inde flagella coquunt, hinc Regem incendia cædunt,
Vapulat & rapidis flammis augusta potestas.
Hinc celer exilijt rapiens 16 se Cęsar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibusq; uolutans,
Sicq; superbum hominem se agnoscere poena coëgit,
Vilia regna probans, & celsa cacumina curuans,
Imperiale caput sancti ad uestigia subdens,
Nec spectare preces patitur reuerentia iusti,
Præstitit ante tumens quàm supplex danda rogasset,
Regia ritè parans conuiuia sæpe beato.
Obtulit inde fauens abeunti munera princeps,
Paupertate potens, sed repulit omnia sanctus,
Donaq; despiciens meruit plus principe ab ipso,
Tanto maius habens, quantum minus ambit auarus.
Omnia sunt soli qui nulla requirit habendi.

15 *Orat Martinus diebus septem in ieiunio, cinere & cilitio.*

16 *Vides diuino miraculo ostensum Episcopũ esse imperatore digniorem, cui is assurgere uel inuitus uisus est?*

Quòd Maximus Imperator, & coniunx sua, remotis omnibus ministris, ei prębent conuiuiũ.

Hinc quoq; Romuleam regeret cum Maximus arcem
Vir capiens apicem per publica gesta triumphis,
Sæpius hic sanctum per celsa palatia duxit,
Hoc toto sermone loquens de luce futura,

Quis ſit honor iuſtis, laus, gloria, palma, corona;
Nec Regina pedes ceſſat lachrymoſa rigare,
Sternens membra ſolo, ſuſpendens gaudia uoto;
Inde precatur ouans conuiuia ut ipſa pararet.
Obtinet hoc bonitas quod non ualet alta poteſtas,
Ipſa manu ſellam poſuit, menſamq́; parauit,
Dans manibus lymphas, rurſus Regina miniſtrat,
Læta modeſta ſuis palmis quas coxerat eſcas.
Quo reſidente ſacro ſtetit illa immobilis, atque
Fercula ſubducens, & pocula porrigit ipſa,
Vna miniſtra uiro ſuffecit ad omnia ſoli,
Cœnula finitur, ſed adhuc Regina ſategit,
Fragmina, reliquias, cruſtas, & fruſta recondens,
Omnia præponens hæc imperialibus eſcis.
Hoc Martinus agit, quo clauſos carcere laxet,
Exilio ductos laribusq́; reducat auitis.
Sed tibi, ſancte pater, minus eſt auguſta quod explet,
Hoc magis obſequio creuit Regina peracto.

Quòd de ſtramine, in quo iacuerat, factæ ſunt uirtutes.

Eſt locus in Turonum fine, & confine Biturgum,
Incola quem uicum uocitauit Claudio magum,
Manſio fortè fuit Martino prætereunti,
Eccleſiæ Domini qua ſecretaria pollent,
Virgineiq́; chori ſancto abſcedente requirunt,
Quo ſtetit, aut ſedit, iacuit, genua atque reflexit,
Lambunt cuncta ſimul, uel ad oſcula ſingula ducunt,
Diuiſere ſui ueneranda ſtramina lecti,
Atque leues paleas uirtutis pondere penſant,
Quam tetigit ſtipulam ſanctus, non ibat inanis.
Denique poſt fragilis confregit fortia culmus,
Nam grauiter quendam rabies inuaſerat hoſtis,
Et truculentus agens erroris ſpiritus iret,
Dum rapiendo rotat ueſano cardine prædam,
Hunc ſuſpenſa uiri collo feſtuca fugauit,
Immanemq́; hoſtem palearis ariſta remouit.
Tibia fruge ferax laruam iaculata ſagittat,
Et ſtipula exilis quaſi dura phalarica fixit,
Nec ſic ullius ferri expauiſſet acumen,
Spicula nec tantum timuiſſet miſſa per arcum,
Lubrica pennigero uenientia tela uolatu,
Parthica ſeu timidum ſi transfodiſſet arundo,
Plaga ut uicino grauius laceraſſet ab ictu,

Stramina ſic metuit trepidans adamantinus hoſtis,
Ac uelut ex ſtipulis coqueret ſe flamma camini,
Vir ſtetit incolumis,fugiente uolucriter umbra,
Deſerit & prædam lupus egens,& leo frendens.

Quòd eleuata obuiam manu, pecudem furibundam conſiſtere iuſsit.

Inde reuertenti Treuirorum ex urbe beato,
Obuia forte datur medio fera buccula campo,
Quam dæmon dorſo incumbens agitabat anhelo,
Pendulus aërio quatiens auriga flagello,
Peſtifer arte noua curſu boue nempe ueredo,
Cornigeri pecudis propulſor mulio triſtis,
Exagitator iners,reſidens per terga bubulcus.
Hic ubi millimodas animalis adegerat iras,
Ibat ubique fero furibunda iuuenca miniſtro,
Sub tortore graui per curua,per inuia curſans.
Acceſsit propius ſancto furiatile cornu,
Elataq; manu pecudem conſiſtere mandat,
Quæ ſtetit affixo minus improba buccula greſſu.
Quem ſacer inſtantem ut mox uidit, cõminus inquit,
Perge ferox,fuge ſæue,redi male,cæde cruente,
Innocuum pecudem deſiſte agitare nociue,
Tunc animalis enim linquit fera belua tergum,
Et recipit proprium mitiſsima buccula ſenſum.
Sternitur ante pedes ſancti ueneranter adorans,
Flexit & ipſa genu quæ non habet intellectum,
Contra naturam diſcernens geſta beati,
Obſequiumq; dedit meriti quæ neſcit honorem,
Inde magis humilis,quia libera colla gerebat,
Ante ligata tumens,à peſte ſoluta recliuis,
Quæ ſtetit ore fremens,cecidit poſt uincula ſupplex,
Et ſine uoce fauet armo iactata priore.
Tum ſacer Antiſtes pecudem præcepit abire,
Moxq; gregem repetit paſtoris uoce reuincta.
Id geſtum eſt illo ſub tempore,quando beati
Per medias flammas nec fimbria ſenſerat ignis.

Quòd ſermonis imperio canibus alligatis leporem liberauit.

De minimis etiam referantur maxima rerum,
Tempore nam quodam dum uicos ambulat almus,
Obuia uenandi ſtudio uolat agmen equorum,
Nare ſagace canum fit præda reperta frutetis,
Tranſiliunt campos equites,& uoce ſequuntur,

Intendunt leporem fugitiuum agitare molossi,
Saltibus excussi, latratu, & dente minaci,
Diffusi excurrunt celeres in amore rapinæ,
Alter in alterius miscent uestigia saltus,
Iste sequax tacitus, petit hic clamoribus auras,
Hic frutice in uacuo delusus odore rotatur.
Motibus arboreis saltu suspenditur alter,
Captu ex unius cunctorum frendet hiatus.
Sæpe super leporem morsu deceptus inani,
Vnguibus iniectis dum præda uolubilis exit,
Ac se turba premit, sic lubrica biscula fugit.
Non erat interea quo calle lepusculus iret,
Mons, uallis, petra, sylua, frutex defecerat omnis
Per patulos campos fugienti tegmine nudo,
Poplite defecto, pede lasso, nare recliua,
Totus ab orbe canis per singula murmura pendens,
Sensit adesse tamen Martini signa beati,
Flexit iter trepidus hirsutas fraude per herbas,
Auribus accliuis, uagus, exagitatus, anhelus,
Corruit ante pedes titubans lepus aduena supplex,
Si non uoce potest, flatu pro uoce precatur.
Sic fera parua iacet Martini tegmine tuta,
Et recubat dulci defensa sub arboris umbra.
Tunc sacer ex solito miseratus more salubri,
Imperat .D. ut catuli cessent, abeunte fugace.
At sacer ille canum mox sermo cucurrit in aures,
Torpescunt habiles uerbo figente lycíscæ,
Gressibus instabiles pendentes saltibus ipsis,
Et rediere canes quasi per uestigia cancri.
Effugit incolumis per aperta lepusculus arua,
Et cane seposito tutus terit alta uiator.
Hic fugit, ille redit, nullus perit, ecce salutem.
Sic quoque bestiolis pacem sacer intulit ipsis,
Debilitasq; canum facta est pietatis imago;
Qui potius uetito didicerunt parcere morsu.
Et quia defuerant homines, ubi mira facessit,
Nil de laude perit, miracula bestia sensit.

.D.
Sanctus imperat canibus & obediunt.

Quòd cõparationem facit de oue recenter tonsa.

Quanta etiam sancti sermonis gratia fulsit,
Qui cum nuper ouem uidisset uellere tonsam,
Hæc Euangelij, dicens, mandata peregit,
Nanque duas tunicas gestans unam obtulit infans,
Et nudata suo de tegmine texit egentem.

Quòd comparationem facit de homine pellicea
ueste contecto.

Inspiciens itidem sanctus per rura subulcum
Nudum, pellicea tantum sub ueste trementem,
Ecce Adam quondam Paradisi sede repulsus,
Exul ab Elisio pascit gregis ora suilli,
Deposito ueteris Adam carnalis amictu,
Adam nempe noui nos induere instar oportet.

Quòd cõparationem facit de agro floribus adornato, & depasto à bobus, & defosso à porcis.

Hinc iterum cernens uernantia prata beatus,
Pars pastus, pars fossus erat, pars gramine florens,
Sed sue confossus, boue pastus, flore comatus.
Comparat ergo tribus sanctus tria nomina rebus.
Turpis adulterij species est fossa carectis,
Herbaq; coniugij detinet detonsa figuram,
Est par uirginibus uiolis quæ uernat imago,
Herbis luxurians, fœno apto, & flore decora,
Digna Deo, gemmis grata, & radiantior auro.

Quòd militem monachum secum coniugẽ suam habere uolentem rationabiliter conuincit.

Miles item monachum professus singula linquens,
Coniuge cum propria cuperet quia degere uitam,
Mutauit meliore uia transcurrere metam,
Iure sacerdotij monitor hoc ordine dicens,
Belligeratori ualeat ne fęmina iungi,
Sola aciem melius componit mascula uirtus,
Debilior teneat murorum claustra caterua,
Et sexus fragilis sese intra septa recondat.
Hoc satis ut mulier timeat, res ipsa timori,
Miles ad arma potens pergat galeatus in agmen,
Loricæ triplicis lama radiante coruscus,
Thoraca ex humeris indutus, nixus in hasta,
Assuetus clypeo, transmittens uulnus ab arcu,
Hinc capulum uibrans, hinc torquens missile telum,
Ferratæ tunicæ riuos sub pondere sudans.
His dictis mulcens iuuenem resipiscere cogit,
Coniuge postposita, & repetit eremita coronam.

Quòd Angelus sibi nunciat id quod in consilio Nemausenensi actum est.

Iugiter interea quia salsa & sancta canebat,
Nec serie recipi, neque possunt scripta teneri.
Quæ'nam uita sacri fuerit quis singula currat,

Quanta

Quanta fides animi, quàm celsa & pura uoluntas?
Ad quem non solum homines longo orbe uenirent,
Verumetiam cœlestis honor uisebat amanter,
Angelicusque chorus properabat ad ora frequenter,
Colloquijs placidis ut fessum animaret amicum,
Et quasi complexum recreet per uerba parentem;
Res probat ista sequens, quæ gesta priora renarrat;
Concilium allectum fuerat synodale Nemausum,
Quo sacer Antistes mediator adesse recusat,
Ergo ratem scandens celerem parat ire per amnem,
Cœtibus in medijs habitans eremita remotus,
Ipse in puppe sedens cunctos sua prora sequestrat.
Angelus ecce tamen Domini uenit aliger altò,
Ipsa nempe die qua se conuentus abegit,
Quicquid Pontifices celebrabant, ordine narrans,
Pro uice Martini peragens synodalia præsens,
Atque sui cura longinqua per aëra tranat,
Quem pendente uia, nec in aëra penna fatigat,
Sed nata ala celer, donec noua nuncia portet,
Quæ mandat Dominus nihil absconsurus amico.
Vtque prius retulit sacer hæc post cuncta probauit,
Nec frangunt prædicta fidem, neque prodita fallunt.

Quòd sæpius à Maria, Thecla, Agnete, Petro, & Paulo uisitatus est.

Accidit hinc demum foribus sedente seuero,
Compare cum Gallo, doctis & amore ministris,
Murmure multiuago completur cella beati,
Ostia clausa die retinens geminante sub hora,
Audiuere loqui, sed quid, nescire fatentur,
Senserunt strepitum, neque uerba loquacia norunt,
Pars fuit hæc meriti, uel sic sensisse superna,
Agnita si non sunt, satis est audita mereri.
Post sacer egrediens cellam maiore seuero
Sulpitio poscente diu quæ gesta fuissent,
Vix motus precibus, tandem rem ex ordine pandit.
Indicat hic Agnem, Theclam, Mariamq; loquutam,
Sanctarum 17 exponens uultus habitumque beatus, 17
Quæ facies, oculi, gena, pes, manus, archa figura,
Lumine tam puro uidit sæpe ora sororum,
Quis color, atque decus, quæ forma, & gratia quanta
Et sermone pari placidam dixisse salutem.
Hic petit ad fratres, illæ petiere sorores,

Heüs tu qui uocas sanctos mortuos, uide hic quomodo uiuunt contra mendaciū tuū.

Sed redit iste gradu, illæ nam rediere uolatu.
Culmen apostolicum, celsas & honore columnas,
Sæpe Petrum meruit, Paulumque uidere licenter.
Dæmonicas etiam tolerans sæpissimè pugnas,
Nomine quemq; suo increpitans cogebat abire.
Maxime Mercurium infestum referebat adesse,
Brutum nanq; Iouem, & hebetem memorabat haberi.
O' sinceri oculi nulla caligine pressi,
Mens radiata sopho, retinens sine nube serenum,
Inspicis aëriam carnali lumine Theclam,
Atque uides Agnem redimita fronte coronam,
Cernis & egregiam pretiosa luce Mariam,
Vidisti templum Domini diademate fultum,
Vidisti thalamum sponsi super omnia pulchri,
Compositum gemmis, auroque, ostroque decorum,
Qualis iaspis erat pedibus, lateriq; topazus,
Qui digitis anuli uiridi fulgore uenusti,
Qualis armillæ dextræ adiacente, hyacintho,
Quanto Zona die lapidum radiabat honore,
Cycladis aut qualis cataclysis effora rasis,
Quæ palla ex humeris mixto chrisophase berillis,
Quod'ue monile decens collo rutilabat in illo,
Forsan erat niueis aptissima uitta capillis,
Sculptilis impressis & inauribus aura sigillis,
Luminis ac uarios spargens diadema uirores,
Quæ frons, ora, oculi, facies, gena, pes, manus, ulna,
Inde repercussis florebant gramina gemmis,
Sic bone pastor oui quæ fabula uestra cucurrit,
Quid rogo quando Petrũ & Paulum tam sępe uidebas,
Prima ministerĳ radiantia uasa superni,
Aurea pulchra nimis geminata, uenusta, corusca,
Illa putas quanto radiabant ora sereno,
Dogmata quæ Christi totum sparsere per orbem,
Quæ dixere prius, tu es Christus filius almi,
Altithroniq; Dei Dominantis & omnipotentis,
Ac super hac 18 petra fundata ecclesia regnat,
Quam nec flabra mouent, neq; uertit turbo procellæ,
Nec trahit undiuagam pluuialibus imber arenam,
Hæc quia uiua tenet petra fundamenta salutis,
Contra quam portæ inferni nunquam arma ualebunt.
Quid facer ille simul Paulus tuba gentibus ampla,
Per mare, per terras Christi præconia fundens,

18 *Ecce petrum Ecclesiæ fundamentum, ecce petram super quam illa fundata est.*

Europam, atq; Asiam, Libyam sale dogmate complens
Et qua sol radijs tendit, stylus ille cucurrit,
Arctos, Meridies, hinc plenus Vesper, & ortus,
Transit & Oceanum, uel qua facit insula portum,
Quasq; Britannus habet terras, atq; ultima Thyle,
Buccina concrepuit regiones una per omnes,
Dogmate tantorum Christi data munera pangit,
Hæbreus, Græcus, Romanus, Barbarus Indus,
Israelita canit simul Atticus atq; quiritis,
Principibus geminis fidei sub principe Roma,
Carnis apostolicæ quo sunt duo celsa sepulchra,
Prima tenent terris, & utrique priora supernis,
Dogmatis ore pares, & sedis honore curiles,
Ambo triumphantes spargunt noua dona per orbem,
Vna nempe die, quos passio sancta beauit,
Et sacra sic geminus signauit tempora Consul.
Queis splendor paribus rutilabat ab ore coruscus,
Lucifer ut radijs premeretur uultibus illis,
Quippe nec ipsa micat tantum rota fulgida solis.

Orat Fortunatus, ut apud Deum pro eo Martinus intercedat.

O' dulces oculi facies cernendo beatas,
Vidistis Syon speciosas ordine portas?
Vidistis Syon ternas quater ordine portas?
Quas amat Omnipotens ultra omnia culmina Iacob,
Gemmarum uario redimitas lumine caluas,
Sculptas bracteolis, inscriptas arte smaragdis,
Chrysolithis rutilas, niueas stillantibus albis,
Quicquid amor potuit, quo totum gratia fudit,
Omni colorque decens, & in omnibus una topazus,
Per quas huic populi genus illud nobile regni
Intrat sydeream meritorum gressibus urbem,
Et sine fine manent conscripti in secula ciues,
Inter quos proceres, & culmina celsa potentum
Patricijs mixtus generosis, consulibusque,
Proximus & Regi resides Martine Senator,
Cui dedit arma fides, & cui fiducia rex est,
Miles amore cliens, & factus honore cohæres,
Qui potes ore mei ueniam 19 deposce reatus,
Et uitiata tibi quod lingua remurmurat, audi,
Et de fonte pio fluat indulgentia læso,
Ac te orante sacer redeat medicata cicatrix.

19 *Vide quomodo inuocat sanctũ, nec timet inferre iniuriam domino nostro Iesu Christo.*

Post mare fluctiuagum repetens ad littora portum
Floribus albicomis dum lilia pollice carpo,
Vngue recido rosas,& per uiolaria curro,
Ruris amœniferi uarios situs inter odores,
Obripit inde sopor,fessus quoque colla reclino,
Fultaque gramineo iacuerunt membra grabato,
Sed redit ecce dies,& iam lucescit,eundum est,
Dum matutino nos ore salutat hirundo,
Ac se nocte breui celerata crepuscula rumpunt,
Quo torpore natent quamuis mea lumina,surgam,
Euigilansque oculis detergam pollice somnum,
Et quod iter repeti gallus uocat,ibo sodales,
Fluctibus intrifidis ignarus nauta libellis,
Ac uelut ambiguas inter symplegadis undas,
In maris Ægei,Maleæq; sequace procella,
Me tamen in bibulis ne mergeret Auster harenis,
Summa gubernauit Martini uita patroni,
Quam nitor scabridis indignus carpere uerbis,
Rusticus,arte rudis,tentans formare monile,
Quod nec lima polit,neque malleus addit acumen,
Non incudo terit,fornaxque examinat igne,
Nec mordax gemino forceps trutinauit obunco,
Sed magis incomptum profert mea lingua metallum.
Res tamen illa iuuat sine qualibet ullius arte,
Quòd per se pulchram præfert sua gratia gemmam;
Attamen officij quæ restant debita soluam,
Et cui magna nimis modo debeo,parua rependo.

Quòd in ciuitate Carnotensi puellam duodecennem ab utero mutam curauit.

Carnotis interea genitam pater anxius ægram
Ex utero mutam profert sacro ore medendam,
Sex geminos grauiter hebetem sine uoce per annos,
Nec differt Martinus opem pietatis amicam.
Sternitur 20 ergo solo tacitus,prece sydera pulsans,
Corpore fusus humi,uolitans super æthera sensu,
Sensit ut effectum fidei meruisse precatu,
Sanctificaturum ferri sibi poscit oliuum,
Infuditque 21 benedictum fruge liquorem,
Atque tenens digito linguam miserando puellæ,
Ipse patris nomen geniale requirit alumnæ;
Mox resoluta mouet faucis lyra inutile plectrum,

20 *Ecce iterum oratio cū prostratione.*

21 *Martinus oleo benedicto in os infuso puellam mutam curauit. Non est ergo superstitiosum creaturas benedicere.*

Atque insueta canit camerati concha palati,
Dente relisa cauo producens uerba fritillo,
Respondítque patris nomen pia filia dulce,
Ventre prius genita, hic uisa est quasi uoce renata,
Reddit adulta uetus lactantes ore susurros,
Incipiens tenero proscindere uerba rotatu,
Motu pigra rudi decurrens lingua gradatim,
Implicito sonitu rauca nouitate cicuta,
Donec plena suo cecinit symphonia flatu.
Tunc genitor genua amplectens ueneranda beati,
Vociferans, & uoce data sua gaudia plorans,
Lætitiæ uoto reboat præconia Christo.

Quòd oleum in uase uitreo positum sub eius benedictione creuit.

Iudicis inde feri coniunx ægra Auiciani
Dirigit ad sanctum morbi sperando medelam,
Vas olei uitreum lance æqua dimidiatum,
Vnde salutifero depelleret unguine morbum.
Mox super ampullam fecit 22 Crucis ipse sigillum,
Surgit ad ora liquor, spumansq; exæstuat unguen,
Vbertate noua uitrea sub cortice obortum,
Et uase in sicco generosus nascitur humor,
Currit in ascensum qui uergere nouit ad imum,
Fluxibus & liquidis olei petit alueus altum,
Sed quem non genuit radix oleagina succum,
Nec syra bacca dedit merito uirtutis adultum,
Crescit & ad summum patulo qua clauditur ore,
Nec contentus agit liquor, ut uas expleat illud,
Nam cumulata olei mox defluit unda superne,
Nec sese urna capit, tanta est benedictio dextræ,
Exundansq; omnes pueri madefecit amictus,
Et digiti de fonte rigans manauit oliuum.
Ac postquam irriguè fluuiali more cucurrit,
Vas plenum fidei merito matrona recepit.

22 *Vide quantæ uirtutis sit Crucis signum, & sancti sacerdotis benedictio.*

Quòd idem uas à casu in terram decidens, illæsum permansit.

Nec minus inde subit rerum admiratio facti.
Idem uas uitreum benedictum nobile reddens,
Cum puer incautus posuisset in ore fenestræ,
Vtpote carbasco uenerans uelamine tectum,
Lintea dum retrahit fluitantia nescius alter,
Lapsa pauimento ampulla stat marmore tenso.
Sed nec saxa uitrum perdunt, nec uasa liquorem,

Integra seruatur uolitans quasi pensile pluma,
Aut subuecta leuis geminis descenderet alis,
Nullaque rima patet, nec facta in uase cicatrix,
Sic liquor interius facit exteriora tueri,
Et quem tutari decuit, sua tegmina texit,
Ne uitra depereant, oleum custodia seruat,
Inclususque humor proprium defendit amictum,
Ac fragmen fragile statuit benedictio forte.

Quòd ipsius nomine inuocato cani hæsit latratus in gutture.

Cuius discipuli pariter dum cominus irent,
Et canis horrificus latratu insisteret amplo,
Vnus amore pio, Martini in nomine, dicit,
Præcipio .A. taceas, neque nos clamore fatiges,
Mox præcisa canis rabidi uox ore pependit,
Clamoremque uagum media de fauce resorbet,
Et fragor ille ferox auido sub gutture obhæsit,
Stans rictu stupido frenata uoce molossus,
Cum furor urgeret, quia se nec hiare liceret,
Sic redit incluso tremula sine uoce susurro,
Profuit & nomen sancti quo defuit ore.

.A. Serui dei etiam irrationabilibus creaturis imperant.

Quòd eo orante Auicianus lecto suo turbatus excutitur, & uniuersa ultrò concedit.

Ergo iter inceptum lento pede pergere tendam,
Dum licet ire uiam, dum me uocat aura salubris,
Et trahit hora dies uestigia tarda mouentem;
Moribus ut tumidus comes Auicianus agebat,
Terribili officio Turonis suffultus adiuit.
Agmina conueniunt, & longa catena reorum,
Accrescente coma quorum caro tota fluebat,
Et consumpta arctum laxabat brachia ferrum,
Confecta macie uix declarante figuram.
Pœnarum genus ipse iubet plus more parari;
Deflentem uideas populum spatiare per urbem,
Indixitque nephas processu ad triste tribunal,
Vnde truces oculi spectarent membra cremari.
Comperit ut sanctus feralia iussa tyranni,
Tempore sub noctis sæua ad prætoria tendit,
Et pietatis iter solus parat ire uiator.
Peruenit ut senior gressu miseranter anhelo,
Sternitur ante fores per limina dira benignus.
Qua recubat iudex torpente sopore sepultus,
Angelus interea penetrat mox aliger aulam,

Intonat & comiti dormitanti ore minaci ;
Te ſopor hic retinet,Martinus ſtat foris,inquit,
Tu requie frueris,& ſuſtinet ille labores,
Molliter ipſe thoro,iacet ille in marmore diro.
Excutitur trepidus mox ex ſomno Auicianus,
Martinum exclamans foribus recubare ſacratum,
Imperat & famulis reſerent ut clauſtra beato,
Ne ſeruum Chriſti uenerandum iniuria uexet.
Hinc famuli illudunt Domino crepitante cachinno,
Dicentes ſtupidi ſe ſomnia uana uidere,
Præ foribus nullum reſidere uel eſſe uirorum.
Rurſus præcipiti premitur ſomno Auicianus,
Angelus inde uirum uiolentior excitat urgens,
Concutit & grauiter ne cederet ipſe ſopori,
Territus hinc iudex,ultra neque credulus ulli,
Poſtpoſitis famulis celer ad ſua limina pergit,
Atque ibi Martinum reperit,ceu ſenſerat olim.
Tunc ferus alloquitur ſanctum his uocibus ultro,
Quid Martine mihi facis hoc uenerande ſacerdos?
Non mecum æquali fateor certamine pugnas,
Abſoluendo reos uenia,& me uerbere torques:
An me pro cunctis pœnas abſoluere mauis,
Eligis aut facinus mea per tormenta paciſci?
Sub tortore nouo mutantur tempora cędis,
Pœna diurna reos cruciat,me nocte fatigas,
Serue Dei,patuit quàm ſit tibi celſa poteſtas,
Quando flagellatur grauiter te iudice iudex,
Hinc tamen ipſe probas mecum ſit qualiter actum.
Cum per me uenio,nec amicum,nec rogo ſeruum,
Non patitur differre moras quem pœna coercet.
Nil opus eſt uerbis,tacito te noſco quod optas,
Cede precor,diſcede loco,concede quod oro,
Ne tua me grauiter cito puniat ultio uindex.
Hæc ait,& propero pede diſcedente patrono,
Auicianus inops animi uocat officiales,
Et reſerare iubet,tormenta,ergaſtula clauſtra,
Cumque relaxaſſet,procul ipſe receſſit ab urbe,
Et grauis ira fugit,ſibi fit timor ipſe timori,
Ordine peruerſo,& pacem fuga iudicis auget,
Ac ſine cęde lupum ſaluo grege paſtor abegit.

Quòd dęmonum gemitus,dum à monaſterio ad ſuam Eccleſiam properaret, eius aduentum indicabant.

Quique monasterio quotiens properaret ad urbem,
Siue pedem cellæ foris adueniendo tulisset,
Agmina laruarum trepidabant ore rotatu,
Et cum nescirent populi aduentare patronum,
Designabatur gemitu quoque dæmoniorum.
Propitiante sacro pendentia membra uideres,
In sublime procul sublata per aëra duci,
Ast alios pedibus superactis uertit in altum,
Et caput inferius ueluti de nube ruentes,
Nec tamen his uestes fluerent uerecunda tegentes
Crimina, uel merita edentes sub iudice missi
Et sua præcipites examine facta fatentes.
Ille Iouem stolidum, hic se fatetur Anubem,
Vasa ministerij se dæmonis esse nephandi,
Sed tortore pio feritas cruciata fugatur.

Quòd in territorio Senonico pagum suis precibus à grandine liberauit.

Nunc etiam Senonum pago quid gesserit, edam,
Cum compacta gelu premeret sata grando quotannis,
Cultorumque seges defraudaretur inanis,
Nec messoris opus flauescens spica rogaret,
Agricolæq; manum tritura uetaret adempta,
Incola maturis totiens deceptus aristis,
Cum ieiuna suo torperent iugera sulco,
Ac lapidata cibum populis seges ægra negaret.
Mittitur ad sanctum legatio fida precatu,
Vt remoueret humo furibunda procella flagellum,
Celsa uiri quæ mox oratio sola peregit.
23 Nam statim atq; 23 preces fudit bonus ore sacerdos,
Tempestate graues siccarunt nubila nymbos,
Et uiduæ segetes se fertilitate maritant,
Quæque quater quinos per quos superextitit annos,
Intemerata sacri uiguerunt dona patroni.
Vir tamen ipse Dei ut sublatus ad astra recessit,
Oblitæ incubuit rediuiua procella rapinæ.
Præsule subducto uastat fera clades agellum,
Ac malè captiuas imber populatur aristas,
Defensorque obit, & mox prædam grando requirit,
Martini abscessu repetunt elementa flagellum.

Ecce uis orationis sancti uiri.

Quòd Auicianum, dæmone expulso, mitiorem fecit.

Vir quoque iustus item cum occurreret Auiciano
Aspicit instantem huic sæui dæmonis umbram,
Horrificam faciem, truculentam corpore pestem,

Quam procul intendens sanctus flatu oris abegit;
Iudex dum in seipsum putat exuflasse beatum;
Cur bone pastor, ait, tua nos iniuria uexat,
Indignosq; facit despectio flatilis auræ?
Quem pater egregius responso aflatur amico,
Hæc tibi non facimus probrosi sorte reatus,
Sed male quæ incubuit ceruici, flauimus umbræ;
Mox tamen illa fugit subsellia larua satelles,
Et ceruice sedens in uasa sedilia liquit.
Libertate noua surgunt colla Auiciani,
Exoneratus enim iudex reuocatur honori,
Mitior atque fuit grauis implacabilis olim.

Quòd in uico Ambaciensi idolum orationibus prostrauit.

Mirum aliud uico quod contigit Ambaciensi,
Turrito idola fuerant educta metallo,
Eximiè saxis moles onerata politis,
In sublime thronum procedens æde superba,
Falsa superstitio, deceptio uera precantum,
Grande opus ad facinus faciens nihil esse colentes,
Quod dum sanctus ouans mandasset ritè ruendum,
Humanis opibus neque hoc auelleret ullus,
Tum sacer Antistes assueta per arma recurrens,
Peruigil insistens nocturnis excubat horis,
Alloquijs Domini taciturna silentia rumpens,
Sed cum mane recens auroram spargeret orbi,
Tenderet & croceum per nubila Phœbus amictum,
Ecce repens oritur uariante fragore procella,
Stridula sydereo uolitatu, & multa tumultu
Auxilijs fremebunda tui Martine precatus,
Et tua castra mouens armata ferocibus austris,
Quæ phanum ut tetigit rapidæ uertiginis ictu
Impulit, ac fabricam furibundo impacta rotatu
Illico cōminuit, molemq; in puluere soluit,
Altaq; turrigero ceciderunt mœnia fastu.
O` sacer Antistes, dulce & memorabile nomen,
Quis se non subdat tibi, pro quo & nubila pugnant?

Quòd columnam immensæ molis inexpugnabilem, cui idolum superstabat, orationibus in puluerem soluit.

Hæc quoque mira loquar parili uirtute peracta.
Stabat celsa rigens informis forma columnæ,
Immanis habitu, tractu insuperabilis amplo,

Quæ superimpositum simulachrum hostile gerebat.
Quam pius ut uoluit, ualuit neque soluere molem,
24 Quid non obtinet humilis oratio?
Rursus ad 24 orandi uictricia signa cucurrit,
Belliger eliciens ad se arma potentia cœlis,
Stratus humo recubans, precibus super astra relatus,
Quo exorante diu, multoq; in puluere fuso,
Cœlitus est oculis descendere uisa columna,
Molliter aërio dissulcans nubila lapsu,
Quæ molem oppositam ut uibrato perculit ictu,
Fragmine dissoluit compago soluta columnæ,
Lapsaq; disperso fregit simulachra metallo,
Et mentita nouo feriuntur numina telo,
Falsa quidem ueram sumentia numinis iram,
Quæ subuersa suis genuerunt lucra ruinis,
Ac resoluta feris creuerunt templa fauillis.

Quòd mulier profluuio sanguinis laborans tactu uestis eius sanata est.

Pondere quinetiam decet illud honore beati;
Pallida cum mulier stillante rubore cruoris,
Cuius se irriguo siccarunt uiscera fluxu,
Naufraga membra trahens secũ uaga sanguinis unda,
Atque suę pluuiæ sub pondere fessa laborans,
Ipsa sibi generans secreti turbinis imbres,
Fluctibus & proprijs iam submersura ruebat,
Nec super ullus erat portus sibi norma salutis,
Cui semel ut tacta est benedicti fimbria fili.
Nobilis ac summi palpantur stamina panni,
Exilit inde salus digitos prius unguine complens,
Transit in arcanum fiducia tanta medelæ;
Protinus irrigui siccatur origo fluenti,
Prona etiam patulos damnatur fistula cursus,
Et restricta fluens redit insonti unda cruoris,
Assidui fluxus fugiens caua uena meatus,
Veste sacra medici solidantur glutine riui,
Et uirtute uiri senserunt frena liquores,
Incolumisq; redit de furto fœmina fœlix,
Atque salutis opem medico ignorante resumpsit.
O Martine sacer, nescis, & munera donas.

Quòd serpens iussu ipsius in ulteriorem ripam transmeauit.

Inde procul gressum celerans Antistes abibat,
Obuius ecce uenit serpens adnando per amnem,
Pectoris impulsu sulcans uada remige cauda,

Squāmea terga mouens,ſpiris uada cærula findens,
Quem ſacer inſpiciens,ait,hæc in nomine Chriſti,
Impero .B. dira tibi,pete curſum beſtia retrò,
Quæ procul in fluuium ſinuamina lenta reflexit,
Atque retorſit iter mox ſarcina tanta ueneni,
Inde petit bibulas ripæ ulterioris arenas,
Gurgite lapſa natans,totasq; renauigat undas,
Obſequijs famulans,& uipera perdidit iras,
Imperijs iuſti nec iniqua uenena repugnant.

.B. *Nota quod etiam irrationabilibus creaturis & immaniſsimis beſtijs ſancti in uirtute Dei imperant.*

Quòd piſcatoribus nihil capientibus iuſſu illius captura prouenit.

Forte dies aderant paſchalia 25 feſta gerentes,
In quibus Antiſtes partem quoque piſcis edebat,
Edebatq; bonus tum fercula reptile guſtu.
Sollicitat monachos ſi copia piſcis adeſſet,
Reſpondit cui cura foret cõmiſſa miniſter,
Se toto piſcante die captura negaſſe,
Nil ualuiſſe hamum ſetis ab arundine iactum,
Nec potuiſſe aliquam uel retia ducere prædam.
Cui conſtanter ait placido moderamine paſtor,
Perge modò ad fluuium,tibi nec captura negatur.
Artificem ſpes certa mouet,petit impiger amnem,
Implentur pariter monachorum examine ripæ,
Vt ſacra Martini ſpectarent dicta prophetæ,
Quem ſcirent non caſſa loqui,neque uerba refelli;
Proijcit in fluuio caſſem de puppe magiſter,
Molliter ac uitreo ligeri trahit humida lina,
Mox ingentem Eſocem modico ſub rete coërcet,
Et trahitur cognatus aquis ad littora piſcis,
Non rete artificis,ſed Martini ore ligatus,
Vſibus & ſancti ſe præda natatilis offert,
Tali morte magis uitæ quàm munere currens.

25 *Vides feſta Paſchalia?*

Quòd uiſa eſt manus illius ſacrificium offerentis ueſtita nobiliſsimis gemmis.

Nobile quinetiam ex præfecto Arborius effert
Signum,quod uidit ſe teſte fidelis in urbe,
Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
Et pater attonitus cerimonia diua ſacraret,
Munera uel Chriſti benediceret ore ſacerdos,
Impoſita altari rata corporis atque cruoris.
Emicuit ſubito manus alma decore ſuperbo,
Nobilium uario lapidum ſplendore coruſcans,
Vndique uiſa rotæ ſpargens radiatile lumen,

Brachia purpureis uibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad solis radians lux fulua metallis,
Credula quo potius fierent miracula rerum.
Vir simul ipse potens se tunc Arborius inquit,
Gemmarum grauium crepitantem audisse fragorem,
Sic geminante fide iusti pia dextera fulsit,
Inq; loco manicæ micuit translata smaragdus,
O' Martine decens lapidum uelamine compte,
Quam noua palla tibi cuius textura coruscans,
Trama topazus erat rutilans, & stamen iaspis,
Et tunicæ insignes currunt pro uellere gemmæ,
Quæ manus artificis cataclyzica fila rotauit?
Quis fuit hic opifex, ubi lana hyacintina currit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæ uenerando magis poterunt, quàm fando referri.
Quid secreta petis, nec in abdita luminis intras?
Est homo quod stupeas, ubi nectet gratia telas.

Quòd Angelus eum monuit, & consolatus est pro Itachianæ partis communione, cui se ad horam necessitate, non spiritu miscuerat, & postea ab omnibus Episcoporum conuentibus se remouit.

Historiæ nobis oritur hic longior ordo,
Sed breuiore uia data per compendia curram.
Maximus Imperij moderans quasi rector habenas,
Præcipit Itachium cum armorum iure tueri,
Ne quis eum peteret damnandum lege forensi,
Accusatorem ueterati Prisciliani.
Mittit ad Hispanos armata sorte tribunos,
Reliquias hæresis qui quærant, & bona tollant,
Inuentosq; pares capitali crimine damnent,
Sic tamen ut cunctos occasio sæua feriret.
Pluribus ergo malis bonitas impulsa beati,
Leocadio pariter pro præside prompta precatur,
Occurrit Treuiros alijs quoque mota querelis.
Pontifices adeunt prædicti principis aures,
Ne Martinus eat, synodi nisi pace recepta.
Sed sacer asseruit Christi se in pace manere.
Quo prius abstinuit sanctus sic cœtibus illis,
Pontifices iterum occurrunt ad Cæsaris aulam,
Cogat ut innocuum se participare nociuis.
Prouocat alloquio quem molliter Induperator,
Vt sociaretur reliquis communio iusti.

His Theoniſtum etenim ſolum diſtiſſe querelis,
Cui non complacuit communio noxia fratrum.
Hinc quia non ualuit flecti uehementia ſancti,
Abripit ex oculis ſe principis alta poteſtas,
Mox percuſſores gladio minitante relaxat,
Qui ſemel offenſos iaculo figente trucident.
Comperit ut ſanctus reſerandæ fraudis amictum,
Pollicitus Regis ſe participare miniſtris,
Et pietate calens deponit amore rigorem.
Mens rea cuius abeſt pars fit communio culpæ,
Hinc ſe proripiens properè Martinus abegit.
Æſtuat interea gradiens grauis anxius augens.
Quo uel ad horale ſpatium conſenſit iniquis,
Inde iter emenſum per uaſta ſilentia ducens,
Progreſsis ſocijs ibi ſe andethanna propinquat.
Ecce uiro inſigni ſacer obuius Angelus adſtat,
Præſenti alloquio confeſſus publicè uultus,
Atque reuelata facie ſic cõminus infit.
Quàm meritò Martine loco 26 compungeris iſto,
Nec properas exire aliter niſi iuſſa faceſſes,
Inter utrunq; nephas mercatus acerba doloris,
Nunc age conſtanter repara uirtutis honorem,
Et tibi te reuoca trepidum, ne noxia frangant,
Gloria ne pereat, neu proſpera lubrica perdant,
Vtere more tuo, te deinde rediſce magiſter,
Fortis athletæ animos caſus non obruit unus,
Acrius inſequitur hoſtem manus icta dolore,
Plagaq; fixa ſolet mentes armare uiriles,
Atque pudore recens creſcit diro ulcere uirtus,
Ac datur armigero uictoria uulnere crebro.
Fraterno alloquio ſic Angelus explicat ore,
Et uice germani monitis animauit amantem,
Tanta eſt cura Dei Martinum auellere lapſu.
Vlterius ſynodo nec ſe promiſcuit inſons,
Virtutiſq; ſuæ damnis noua lucra parauit.

26 *Doceris hæc quicunq; legis, non eſſe hæreticis uel ad horæ ſpatiũ cõmunicandum, ſed ab eis fugiendũ. Nã Martinus poſt hanc modicam cõmunicationem, & ſi ualde pœnituerit & ingemuerit, ſenſit ſe agẽdorum miraculorum uirtute minoratum.*

Quòd Energuminum, priuſquã limen cellæ ſuæ attingeret, curauit.

Res probat ipſa tamen ſacro uenerabilis actu.
Nanque ad pſeudophorum cellæ dum accederet æger,
Quem male uexabat nimium fera dæmonis ira,
Ingenioq; graui torquebat iniquior umbra,
Ante monaſterij quàm limina tangeret almi,
Martini faciem refugit ferus hoſpitis hoſtis,

Et benedicta uiri terror fuit ora uideri,
Non sufferre ualens res obscurissima lumen,
Nec uaga constantem fugit infida corde fidelem,
Sæua bonum, furiosa pium, truculenta benignum.
Sic quoque nigranti retinetur ianua lucis.
Ea medicina sacri satis unica, cuius opimum
Hospitium uidisse fuit meruisse salutem.
Sanctus in æde latet, foris exit origo medelæ,
Et cura ante datur medici quam forma uidetur.

Quòd Ægyptius necdum Christianus, inuocato eius Deo, de naufragio maris liberatus est.

Nec satis est mirum dederit quid corpore præsens,
Nomine sub cuius sparguntur dona per orbem.
Deniq; cum quidam Tyrrhenum curreret æquor,
Fert iter ad Romam quod uelificante uolatu,
Turbinis impatiens oritur uiolentia uenti.
Exiliunt fluctus, feriunt caua uela rudentes,
Nutat pinus iners, rapiuntur signa chirucis,
Leuis & antennæ coeuntia cornua frendent:
Artis inops stupidus resilit de puppe magister,
Stant undæ, armatura cadit, fragor æquoris urget,
Prora bibit, dum nauta uomit, perit ars, iacet usus,
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, morsq; minatur,
Casibus in dubijs certi uergente salute.
Dum trepidant omnes, Ægyptius hæc ait unus,
Qui necdum Christi charismata senserat exsors,
Martini Deus eripe nos; mox dira procella
Corruit, & pelagi tumor altus ad ima resedit.
Sternitur unda rati, liquidi stetit area campi,
Atque immota loci iacuerunt murmura ponti,
Gurgitis optati trabe curritur æquor amicum,
Littoris ora legunt flabris data uela secundis,
Atque petens portum uada complet nauta celeuma.
Sic bene pro meritis famulo dat Christus honores,
Cuius eunte fide, terras, mare, sydera supplet.

Quòd Licontij domum à cladis periculo orationibus liberauit.

Pangere gesta libet reliquo ueneranda relatu.
Indolis à patribus generosæ Licontius olim,
Clarus honore, fide locuples, ab origine currens,
Cumq; domum propriam lues exitialis adisset,
Cunctaq; tabifluus penetrasset acumine morbus,
Quo miserabilium famulorum siue clientum,

Vna strages erat diuisa per ulcera languens,
Dicere quo posses prostrata cadauera telis,
Res extrema etenim nil nobilitatis honorat,
Præsidij spes sola manet Martinus in orbe,
Mittitur ad sanctum ueneranter Epistola cursu,
Auxilium rogitans hoc corde, hoc flagitat ore,
Ni cito subueniat, rapit omnia pestis acerba,
Per spatium ferale trahens in tartara cunctos,
Et crassata diu quid agant, contagia perdunt;
Qui potes, affer opem pendenti in morte cateruæ,
Desperata salus solatia fida requirit;
Quæ pius ut sensit diuino illata flagello,
Sed nec posse timet facili exorare precatu,
Attamen excipiens uotum miserantis amici,
Septem 27 nempe dies, totidem sub sydere noctes,
Peruigil incubuit ieiunia nulla relaxans,
Continuata trahens per tempora mille precatus,
Nec prius absistit, nisi supplicis illa Liconti
Vota recepta daret, domuiq; medela rediret,
Et rediuiua salus fugitiuum expelleret ulcus.
Qui tamen ut didicit sancti obtinuisse laborem,
Aduolat & grates deuoto corde rependit,
Exceptaq; domo sua gaudia munere pensat,
Pro merito fidi dono uice Centurionis,
Israëli Dominus quem prætulit ore potenti,
Et prius hausit opem genitæ, quàm intraret in ædem.
Deniq; sancto offert argenti pondera magna,
Tertricena decem superaddita merce patroni,
Addit & has uoces recreato pectore supplex,
Quid tibi celse pater uitæ pro munere soluam?
Cum pretio non posit emi hæc lux, neque uendi,
Vnius aut animæ mercari uita ualebit.
Cum uero illa meæ domui lues una noceret,
Nec superest opis id reliquum quod redderet ullum,
Præsidio ecce tuo mihi nempe tot agmina uiuunt,
Sexus & ætatis numerosa caterua meorum,
Cum stupeam solidæ reuocata cadauera uitæ,
Et quibus obsequerer morientibus, ecce ministrant,
Nam statim ut tua uox penetralis ad astra uolauit,
Et uisa est meritis curuare cacumina cœli,
Quo uicina tibi fierent oracula Christi,
Expositæq; preces ante ora fuere tonantis,
Ac recitata fuit pia uox dominantis in aurem,

27 *Et hic habes septem dierum ieiunium, & supplicem orationem obtinuisse magnæ domui sanitatem.*

Mox bonitas indulsit ope præsente medelam,
Corpora deseruit membratim tabida clades,
Qui potuere mori, subitæ rediere saluti,
Et uiguerunt spe, pede, uiscere, lumine, uoce,
Ac languor moritur uiuenti in carne sepultus,
Vnde pater modicum pro uiuis sume tributum,
Fœnore uel minimo tolerans dum debita soluo.
Sed neque suscepit, neque repulit ille quod offert,
Ante monasterij sed quam bene limen adiret,
Captiuis tribui redimendis pondera iussit.
Sic uno ex casu fert dona gemella beatus,
His libertatem dedit illis unde salutem,
Ac concordi animo cecinerunt gaudia plausu.

Quòd fornaculæ suæ factam sensit iniuriam.

Hoc idem est mirum, niteant si uerba relatu,
Occurrit cellæ cum quidam è fratribus algens,
Carbone iniecto ardebat fornacula sancti,
Cum sede tergo celer rapiens quasi lucra uaporis,
Inguine nudato, pede iacto, poplite pauso,
Vir sacer inclusus de cella protinus inquit,
Quis foris incestat nudus habitacula nostra,
Corpore detecto, puro genu, & inguine nudo?
Quid fuit hoc, docti uos dicite, quæso, sophistæ,
Martini ante oculos paries quasi lintea lucri,
Aut quasi filo agiles contexit aranea telas,
Retia uel nexis per rara foramina filis,
Vnde hic tam tenuis structura patesit hiulca?
An se saxa leuant, aut reddunt scissa fenestram?
Seu duri lapides lento se glutine soluunt?
An casa materiæ uitreo se margine pandit?
Aut speculare dedit quo sanctus lumine transit?
An leuior paries reuoluto cessit in arcu,
Et stetit incolumis rapido suspensus in ictu?
Nobilis aut acies oculorum & marmora transit,
Clarior ac uisus per cuncta obstacula pergit?
Penniger an clausi uolitauit ad ora minister,
Ac per opertum aperit, & in inuia nuncius intrat?
An quia limen erat totum foris, intus habebat?
Carne sedente loco uelox an spiritus ibat?
Pandite doctiloqui, comprehendite clausa diserti,
Qui numeris, atomis, ratione potestis, & ore,
Hic fugit ars oculos, nisi Christum nulla uidetis,
Quanta Dei uirtus, Martini est gratia quanta.

Hac ope mirificus homo complet, quod homo nescit,
Explicat hac fidei merito, quod obstat origo.

Quód Bricio à dæmone agitatus ei conuicia infert, qui postea precibus eius ab ipso dæmone liberatus, ad eius se genua prosternens ueniam poscit.

Quod superest etiam memoretur honore patroni,
Consummanda suo properat quia pagina textu.
Forte sacer residens per dura sedilia ligno
Prospicit huic claras pendenti rupe gemellas,
Tegmine pullatas, tristi terrore sonoras,
Fraude laborantes, iaculantes spicula fellis,
Nequitiæ artifices rebus grauia arma sinistris,
Voce uenenata uerba hæc anguina rotabant:
Quid ualet ira tumens, eia te Bricio monstres,
Hoc iterum repetunt, donec male Bricio motus
Irruptis foribus sancto conuicia uergit,
Iurgia multa mouens turbata mente satellis,
Se meriti melioris ouans, quàm sanctus haberet,
Sic gestu rabidus, neque se agnoscebat amarus,
Vitæ gesta suæ temerarius arbiter inflans,
Intolerabilium per inania bombica iactans,
Vento motus iners simulans foliatilis umbræ,
Excussa ceruice rigens, leuitate rebellem,
Exagitans animum, pede iuncto, pectore tenso,
Irrationalis tumido gliscente cothurno,
Nec se mente capax, sensu spaciante uacillans,
Inque sacerdotem truculenter acerba redundans.
Sed quid in abiectum Martinum hæc turbida uoluit?
Quid humilem placidum tam dira superba minatur?
Cur animæ nimium dulci tot amara ministrat?
Non decet hæc audire pium, neque ferre benignum.
Errant hi grauiter, qui melli absinthia miscent,
Ille tamen pietate calens nihil intulit hosti,
Excipit iratum placatus amanter amarum,
Oblectans rabidum, & per mollia famina mulcens,
Et nescit non esse pater sine felle uel hosti;
Qui tamen, exorante uiro, laruisque fugatis,
Dum redit ad mentem furiosus Bricio pridem,
Pontifici occurrit uoto, prece, corpore supplex;
Sed bonitate pij celer indulgentia fluxit.
Non apud hunc opus esse diu lachrymando rogari,
Aut prece multiplici ueniam sperare nocenti,

Qui magis expetiit culpas donare reatus,
Credidit & damnum quicquid non præstitit ultro,
Hæc sua lucra putans dimittere debita noxæ,
Obuius occurrens quærenti munera pacis,
Irasci nulli cupiens, ignoscere cunctis,
Fœdera sola ligans celer, & delicta relaxans,
Effugiens nequando sibi daret ultio damnum,
Rem pietatis agens, satis est clementia uindex,
Quæ pia dona metens fieri non indiget ultrix,
Omnibus aucta bonis, cui dos, & gloria pax est.
Vir tamen ipse sacer pietatis ab agmine miles,
Fœdera semper amans, & pacis in arma triumphans,
Supplicis ad uocem miserantia uiscera laxat,
Inque sinu ueniæ trepidum mulcendo reduxit,
Atque reum solitâ patria pietate recepit.
Hæc tua dulcis erant holocausta, sacraria, templa,
Hæc tibi diuitiæ, thesauri, regna, talenta,
Flos, odor, esca, sapor, mera cynnama, balsama, thura,
Hæc sacer omnis erat, hæc tota, hæc unica cura,
Christum corde pio, Christum meditarier actu,
Reddere nolle uicem miseri, sed parcere culpæ,
Criminis indultor, ueniæ memor, ara reorum,
Spes miserabilium, fuga laruarum, arma sequentum,
Præda cateruarum, errantum uia, cura medentum,
Omnibus una salus, amor omnibus, unus amator.
Quis tibi digna loqui ualeat, quem mundus honorat?
Quid pie uir satis est, cui laudis debitor orbis,
Quæque referre uolens neque totus id explicat axis?
Iugiter amplexu Christum corde, ore retentans,
Nec sine te patiens Dominum discedere quoquam,
Tecum semper habens uinctum pietate tonantem,
Astrictus precibus neque te soluebat amator,
Cuius amica fides tantum sibi contulit arcis,
Vt solem radiis, & lunam cursibus æques,
Qui splendore nitens pulcher, quasi lucifer axis,
Ac fulgore Dei uir fulgidus ipse coruscas,
Tegmine uir niueus, miro diademate fuluus,
Supplicis ergo memor, famuli exauditor opime,
Fortunati inopis trepidi sibi sorte reatus,
Morbida cui rabie circum sua crimina latrant,
Et fera delicti penetraliter ulcera mordent.

Petit Fortunatus, ut pro eodem oret.

28 Ecce iterum sanctum Martinum inuocat ut pro eo intercedat ad dominum.

Intercede 28 precor ueniam, uir adepte coronam,

Eripe pastor ouem, ne clauda, uel extera restet,
Porrige celse manum, rege gressum, dirige sensum,
Excessuque graues leuiori examine penses,
Ac potius pietas diues, miserando precetur,
Mitis & exortes placident fomenta medelæ,
Inter & ipse Deum atque reum 29 mediator adesto,
Defixis genibus, tensis ad sydera palmis,
Vocibus inclusis, animis penetrantibus auras,
Obtineas meritis, iudex cum uenerit orbis.
Tu quoque iussus eris dextro residere sedili,
Arbiter in populos, tribuum pauor ante tribunal.
Qualiter effugiam flamma stridente caminum?
Tunc precor ut fragilem sacro uelamine celes,
Et tua me trepidum defendat ab igne potestas,
Nam scio posse reum quemuis tibi cedere Christum,
Quem sociat proprio mansura in secula regno.
Sis precor in Domino famuli memor alme per ipsum,
Cuius erit tibimet lumen sine fine uidendum;
Da ueniam dulcis, pie, blande, benigne patrone,
Condere dum uolui, quia læsi carmine flores.
Sed tua laus nullo breuiabitur ampla relatu,
Quam Deus in terris, pariterque tetendit & astris.

29 *Vides pauper homo sanctos posse dici mediatores inter deum & nos, citra Redemptoris nostri contumeliam?*

Conclusio libri.

Pone libelle modum tepido uerecunde relatu,
Multiplices faciens dissuto stamine rugas,
Nec bene fila ligans, nodo subit aspera tela,
Hispida cameli rigido quasi uellere texta,
Serica cum decuit Martini pallia duci,
Aut prætexta micans auro sub tortile necti,
Vel toga permixtis hyacintina curreret albis,
Pingere seu uariam rosa, lilia, gemma, coronam.
Marcida lingua tacet, ueniam tibi posce libelle,
Contentus tantum Turonum pete mœnia supplex,
Qua Martinus habet ueneranda sepulchra sacerdos,
Cuius 30 honor tumuli faciat sua rura tueri,
Qui pietatis opem tribuat, nam largus ubique,
Scit nil esse meum, sua sed sibi dona recurrunt.
Si tamen urgeres ut adhuc temerarius intres,
Inde Parisiacam placidê properabis ad arcem,
Quam modo Germanus regit, & Dionysius olim,
Si pede 31 progrederis, uenerato sepulchra Remedi,
Atque pij fratris complectere templa Medardi.
Si tibi Barbaricos conceditur ire per amnes,

30 *Ecce quomodo ex sanctorum sepulchris illustrantur urbes & territoria præseruantur.*

31 *Ex omnibus quæ hic sequuntur iterum habes ex sanctorum pignoribus & monumentis Ciuitates reddi illustres.*

Vt placidè Rhenum transcendere possis & Histrum,
Pergis ad Augustam, quam Vindo Lycusq; fluentant,
Illic ossa sacræ uenerabere uirginis Afræ.
Si uacat ire uiam, neque te Baioarius obstat,
Qua uicina sedent Breorum loca, perge per alpes,
Ingrediens rapido qua gurgite uoluitur Oenus.
Inde Valentini benedicti templa require,
Norica rura petens ubi Birrus uertitur undis,
Per Drauum itur iter, qua se castella supinant.
Hic montana sedens in colle superbit Amintus.
Hinc pete rapte uias, ubi Iulia tenditur alpes,
Altius assurgens, & mons in nubila pergit,
Per rupes gelidisq; tuas qua lambitur undis.
Et super instat aquis renuta telia mentis.
Hinc Venetum saltus campestria perge per arua,
Sub montana quidem castella per ardua tendens;
Aut Aquilensem si fortasse accesseris urbem,
Cantianos Domini nimium uenereris amicos,
Ac Fortunati benedictam martyris urnam,
Pontificemque pium Paulum cupienter adora,
Qui me primæ uis conuerti optabat ab annis.
Si petis illud iter qua se Concordia cingit,
Augustinus adest pretiosus, Basiliusq;.
Qua mea Taruisus residet, si molliter intras,
Illustrem socium Felicem quæso require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim;
Per semitam gradiens, & amicos duplauenenses,
Qua natale solum est mihi sanguine sede parentum,
Prolis origo, patrum frater, soror, ordo nepotum,
Quos colo corde, fide, breuiter peto redde salutem.
Si Patauina tibi pateat uia, pergis ad urbem,
Hic sacra Iustinæ rogo lambe sepulchra beatæ,
Cuius habet paries Martini gesta figuris,
Quoue salutis opus celso depende Ioanni,
Atque suis genitis socijs per carmina nostris.
Hic tibi Brinta fluens, iter est Retmone secundo,
Ingrediens Athesim Padus excipit, inde phaselo,
Mobilis unde tibi rapitur ratis amne citato.
Inde Rauennatem placitam pete dulcius urbem,
Pulpita sanctorum per religiosa recurres,
Martyris egregij tumulum Vitalis adora,
Mitis & Vrsicini Pauli sub sorte beati,
Rursus Appollinaris pretiosa limina lambe,

Fusus

Fusus humi supplex, & templa per omnia curre,
Et pete Martini loculum quo iure sacelli
Iam desperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, saltem rogo uerba repende.
Est ubi basilicæ culmen Pauli atque Ioannis,
Hic paries retinet sancti sub imagine formam,
Amplectenda ipso dulci pictura colore,
Sub pedibus iusti paries habet arte fenestram,
Lychnus adest, cuius uitrea natat ignis in urna.
Huc ego dum propero ualido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce fenestris,
Quo procul ut tetigi benedicto 32 lumen oliuo,
Igneus ille uapor marcenti fronte recessit,
Et præsens medicos blando fugat unguine morbos,
Non oblita mihi mea lumina munere sancti.
Nam redit ante oculos oculorum cura fidelis,
Et memor illud ero, dum luce, & corpore consto,
Promptius affectu precor inde require sodales,
Si socijs loqueris ueniam pietate mereris,
Porrigo materiam quibus hanc ego, ut ore rotundo
Martini gestis florentia carmina pangant,
Et claro ingenio texant spargenda per ortum,
Vir radians meritis licet ille, nec indiget istis,
Gratia cuius ouans, ac fama iter occupat orbis,
Arua capax, pelagus intrans, super astra coruscans,
Distribuens miras populis pro stipe medelas,
Qui Domino famulando suo capit omnia dono,
Et quo Christus habet nomen, Martinus honorem.

32 *Vides oleum benedictum restituisse lumen oculis.*

PROLOGVS IN VITAM BEATI Gregorij Turonensis Archiepiscopi per clericos Turonenses descriptam.

Habetur ante opus eius in gloriam plurimorum Martyrum editum.

OMNIVM quidem sanctorum iure memoria ueneratur; sed eos primum fideles honorificantq́, qui uel doctrina,uel exemplo cęteris clarius effulsere. Porrò unum ex his beatum Gregorium Turonicæ sedis Archiepiscopum fuisse, eumq; hac gemina dote resplẽduisse, non parua documenta produnt. Cuius nimirũ gesta,uel partim necessariò scribuntur, ne fama tanti uiri quandoq; dubietatis nebula fuscaretur. Et quidem satis est ad eius gloriam,quòd Christum, cui placere quæsiuit,conscium habet in excelso, sed tamẽ & hic nephas est, illius laudes tacere, qui tot sanctorum studuit laudes propalare. Quæ scilicet relatio quantula erit,nec eius insignia, ut sunt,profert, quoniã plurimis,

quæ opinione feruntur, omißis, pauca quædam, quæ ex libris eius approbentur, attingimus. Quòd ſiquis Iudaico more ſigna requirens, ſanctũ quemlibet ſignorum quantitate metitur, 1 quid de beata Dei genitrice, uel de præcurſore Ioanne cenſebit? Sanius itaque diſcernat, quòd in tremendo die multis qui ſigna fecerunt, reprobatis, hi qui opera iuſtitiæ ſectati ſunt, ad dexteram ſuperni iudicis ſoli colligentur. Non igitur præſulem noſtrũ ob geſtum miraculorum commendamus, quanuis & illa non omnimodo deerunt, ſed quòd mitis & humilis corde Chriſtum imitatus fuerit, demonſtramus.

1 *Caute lege quod hic dicitur, non enim simpliciter negant sanctam Dei genitricem aut domini præcursorem edidisse miracula, cum multa infra lecturus sis ab eis edita signa post mortẽ sed in uita duntaxat. Nam de præcursore aperte habetur ĩ Euãgelio, Quia Ioannes signum quidem fecit nullum.*

INCIPIT VITA.

GRegorius Celtico Galliarũ tractu fuit exortus, Aruernicæ regionis indigena, patre Florentino, matre Armentaria procreatus: Et ſi quid diuinæ generoſitati terrena conducit nobilitas, parẽtes eius cum rebus locupletes, tum quoq; natalibus fulſerunt illuſtres. Sed quod plerisq; muniis diuinæ ſeruitutis quadam peculiari deuotione ita uidebantur annexi, ut quisquis ex his religioſus nõ exiſteret, iure degener notaretur. Ad quod aſtruẽdum quiddam de propinquioribus inſeramus. Itaq; Gregorius quondam ſenator Leocadiam duxit uxorem. Hæc de ſtirpe Vetij Pagati deſcenderat, quem Euſebius in quinto hiſtoriarũ libro Lugduni paſſum, ac inter reliquos tunc temporis narrat glorioſius agonizatum. Quæ Leocadia peperit ſanctum Gallum Aruernicæ ſedis epiſcopum, atq; Florentium huius pueri genitorem. De hoc autem Florentio, ſed & de Armentaria matre, de Petro quoq; fratre eius, necnõ & de uxore Iuſtini ſorore eius, ac duabus neptibus Heuſtena ſcilicet, & Iuſtina beatæ Radegundis diſcipula, libri miraculorum talia referunt, per quæ fides illorũ, & merita non exigui momenti fuiſſe dinoſcantur. Hæc autem Aruernis, quæ puero genialis humus fuit, uehemẽter olim caput extulerat, ita ut ſenatoribus uelut urbs Tarpeia præpolleret. Ab his Gregorij parentela profluxerat. Hæc ſenatores, hęc Iudices, & quicquid de ordine primariorum dixerim, proferebat. Id ſane de parentibus dictum ſit, ut quia Dominus in generatione iuſta eſt, ad laudem Gregorij proficit, quòd ei ſua progenies titulo ſanctitatis columna uideatur. Huius genus & patriam Fortunatus commemorans, inquit.

Forte decus generis Turonicenſis apex
Alpibus Aruernis ueniens mons altior ipſis.

Ad matrem quoque eius.

Felix his meritis ſibi Machabæa, uel orbi,
Quæ ſeptem palmas cœlo tranſmiſit ab aluo,
Tu quoque prole potens recte Armentaria felix,
Fœtu clara tuo, geniti circundata fructũ
Eſt tibi Gregorij palma, corona, nouus.

Ita nobili stirpe nobilissima proles emergens, ut rosa quędam stipite gratior, decus generositatis auctum in parentes refudit. Et quanuis iam mysterij maiestas in nominibus non quæratur, tamen hic ut rebus assertum est, Gregorius competenti præsagio appellatur. Sic enim Græcus uigilantem appellat. Hic denique non solum tertiā uigiliam, sed quod maius est, secundam quoque, & quod rarissime uideas, obseruauit & primam. Et quia iugum Domini ab adolescentia portauit, sedebit solus (ut ait Hieremias) uel certe propè Martinum. Vt autem ętatulæ robur admisit, literarum studijs mancipatur: in quibus equidem studijs primitus sub Gallo Episcopo, suo uidelicet patruo, sensus illius teneritudo coaluit. Cum ergo iam in discendis notarum caracteribus ageretur, hunc diuina dispositio uirtutum auspicijs initiauit, sanctamq; eius infantiam signorum ostensione nobilitauit. Nam pater eius nimia ualetudine comprehensus, lectulo decubabat, intimus ossibus ardor furere, podagricus humor foris intumescere, uapor aridus ora perurgere cœpit, cum quidam puero per uisionem apparens diceret, Legisti librum Iesu Naue? Cui ille, Nihil, inquit, aliud literarum attendo, præter notas, quarū nunc exercitio constrictus affligor. Nam hic liber si sit, prorsus ignoro. Et ille, Vade inquit, fac hastulam ex ligno, quæ possit hoc recipere nomen, scriptumq; ex atramento sub paterni capitis fulcro collocabis; quod si feceris, erit ei pręsidium. Mane facto, matri quę uiderat indicauit. Senserat nimirum sancti puer ingenij, non suo, sed matris iudicio rem esse gerendā. Tum illa iubet uisionem implere, factum est, & pater de momento conualuit. Quid sane rationabilius, quàm nomen Iesu, uel lignum ad reparandam sospitatem congrueret?

Parentes eius ut reuera nobiles erant, & in Burgundia diffusi lati fundi possessores. Sanctus uerò Nicetius uir totius religionis, qui Lugdunēn pręerat ciuitati, cum prędicti parentes eum uicinarentur, puerum Gregorium acciri iussit. Quem sanctus uir coram positū aliquantisper contemplatus, & nescio quid diuinum in eo cōmentatus, iussit hunc ad se (iacebat enim in lectulo) leuari, ac uelut paradisi colonus conciuem sibi futurum pręsagiens, ulnis astrictum cœpit confouere, cum quidē (quod reticendum non est) ita collobio se totum contexit, ut nec summis digitis puerū contingeret. Hoc sanè castitatis exemplū isdem puer adultus auditoribus suis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere, quantum fragiles quiq; lepores debeant, ac tactus uitare. 2 Benedixit ergo puerū, & imprecatus illi prospera suis remisit eum. Biennio uerò post miraculū, quod dixeramus, fermè exacto, iam memoratus Florentius rediuiuo dolore captatus est, accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus pedes intorquet. Perēdinata pestis hominem contriuerat, iam penè cōclamatus iacebat. Interea puer uidit iterum in somno personā sese, Vtrum'ne librum Tobiæ cognitū haberet, interrogantē. Respondit, nequaq̄. Qui ait, Noueris hunc fuisse cęcum,

2 *Vides antiquam esse consuetudinem quod Episcopi alijs benedicant?*

atq; per filium ex iecore piscis Angelo comitante curatum; Tu ergo fac similiter, & saluabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit: quæ cōfestim pueros ad amnem direxit: piscis capitur; quæ de extis iussa fuerant, prunis imponuntur. Non fefellit uirū euentus; ut enim primo fumus odoris in naribus patris reflauit, protinus omnis ille tumor, dolorq; discessit. Si magnū est, os Zachariæ Ioannis meritò fuisse reseratū, nec modicū utiq; est, Florentium non semel, sed bis per filiū esse curatū. Senserant ex hoc ijdem parentes, ꝙ dextro pede potissimè foret innexurus, nec ignorare poterāt quin illū diuina dispositio dexterioribus officijs aptauisset. Quē tamen non continuo 3 totonderunt, ipsius (ut reor) ascensum in suscipiendo clericatu postulantes. Litterarum tñ studijs instātius applicatur.

3 *Ecce quomodo & antiquitus qui ad clericatū assumebantur, tondebantur.*

Adhuc itaq; laicus tam sensu ꝙ̃ corpore adoleuerat, cū subito nimia febrium, ac stomachi pituita cōprehensus, cœpit grauiter ægrotare, languor per dies ingrauescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter uisitabat, genitrix uerò, ut mater, cum lamentis assiduabat. Sed cū iam de humano auxilio desperaretur, cœlitus adolescenti suggestū est, quo se ad diuinum conferret. Rogat igitur ut ad sepulchrum sancti Elidij (erat enim iuxta) portari deberet, sed ei parū profuit, quia tunc differebatur, quod per illud incōmodum quęrebatur. Domi reportatus, ita cœpit post paululū tormentari, ut putaretur ad exitū urgeri. Vexatio tandē fecit causam intelligi. Consolatur eos qui flebant, dicens, Ad 4 sepulchrū beati Elidij me semel adhuc deferte, fides mea est, quod ille & mihi sanitatem, & uobis mox præstabit lætitiā. Tunc uerò illic deportatus, uoce qua poterat orationem fudit, spōdens, quia si ab hoc contagio liberaretur, clericatus habitum suscipere nec prorsus moraretur. Dixerat, & sensit protinus discedere febrem; & à naribus eius copia sanguinis defluēte, sic omnis illa ualetudo disparuit, ac si legatus quidam, re pro qua uenerat obtenta, discedere festinaret. Ita comam deposuit, & se diuinis obsequijs ex toto mancipauit.

4 *Vide quomodo confugiētes ad sanctorum sepulchra adiuuētur. Vide etiam uotum à Sancto emissum & adimpletum.*

Cum ergo sanctus Gallus ad 5 emeritā beatę uitæ coronam uocaretur, uir Domini Auitus adolescentē suscepit: qui cū eius ingenium, morumq; habitudinem explorauisset, magistrorū diligentiam adhibuit, & quāta uel ipsius industria, uel eorū sedulitas uelocitate poterat, ad arcem sapiæ prouexit. Hæc in uita beati Elidij reperies. Porrò autē in discendis literarū studijs ea se discretione exercuit, ut utraq; nimietate careret, nec poëtarū nenias ex toto horreret, nec (ut plerisq; mos est) his indecentius hærens, earū lenocinio mente ancillaretur. Fecit.n. quod suffecit. Aciem cordis ueluti ad quandam cotem exacuit, & ita quasi ab Ægyptijs uasa aurea ꝓmutuans, & ad eremū, qua manna comederet, demigrās, in perscrutandis diuinarū scripturarū potentatibus intrauit. Quod ipse de se loquens ostēdit, dicens; Non ego Saturni fugā, nō Iunonis, non Iouis stupra cōmemoro, & cætera monstra, quæ illic sequutus annectit, usq; dum diceret: Hęc omnia tanꝙ̃ cito ruitura despiciēs, ad diuina potius & euangelica

5 *Cūm beatus Gallus ad emeritam beatæ uitæ coronam uocaretur. Ergo regnum cœlorum datur ex meritis. Quid hic dicis hæretice?*

gelica miracula reuertar; Non enim uinciri cupio meis retibus, uel inuolui; in quo se ostendit scisse hæc quidem, sed saniori iudicio respuisse. Tēpore præstituto Diaconus ordinatus est.

Ea tempestate erat quidam uir Aruernicus, qui lignū de sacrosancto beati Martini sepulchro detulerat. Sed cum ligni reuerentiam incautus negligeret, omnis eius familia grauiter ægrotare cœpit. Cū subinde languor ingrauesceret, & ille causam percussionis ignorans minus se emendaret, uidit in somno personam terribilem, Cur secum ita ageretur, percunctantem. Qui cum se nescire diceret, Lignum inquit, quod de lectulo Domini Martini tulisti, negligenter hic retinens damnum incurristi. Sed uade nunc, defer illud Gregorio diacono. Dignus iam (ut reor) idem Leuita figurabatur, cui Dominus iste Martinus pretiosa quæq; sui gregis esset cōmendaturus. Tunc temporis apud Aruernum plerique in habitu religionis uiri fulgebant, quos idem iuuenis nunc cum beato Auito, nunc semotim inuisebat, quatenus uel ab eis exempla pietatis assumeret, uel ipsis quod forte deerat, mutua charitate præstaret. Nimirum in his Christum colebat, & ueluti solis iubar in uertice montium refulgens, in his interim, dum in seipso uideri non potest, Christū respiciebat; ad hoc animum intendens, ut ad laudem Christi proferret quicquid per eos, uel etiam per illos, qui iam cœlo pręcesserant, operari dignabatur. Sanè inter cæteros, in quibus ut diximus, Christus uelut in montibus resplendebat, dominum gloriosum Martinum deprehenderat, qui reliquos uelut quidam olympus excedit, & luculentius, utpote & terrę uicinior fulgor, ipsa astra reuerberat; in cuius utiq; ueneratione totus orbis merito iam olim coniurat, in huius desiderio Gregorius ex asse inferbuit. Hunc semper in corde, hunc in ore gerens, laudem eius ubique spargebat. Dum uerò mētis animum in exercitio uirtutum defigeret, caro eius à proprijs uiribus labascebat. Ita quippe mos est. Hinc est ꝙ Daniel postquam Angelicæ uisionis contemplatione leuatus est, à carnis uirtute deficiens, per multos dies ægrotauit.

Hic itaque uirtutibus proficiens, sed uiribus corporis intabescens, aliquando ualetudinem cum febre & pustulis incurrerat. Qua tandem ita confectus est, ut usu cibi, potusq; negato, huius uitæ spem amiserit. Vnū tamen supererat, ꝙ eius fiducia Martino innixa nullatenus uacillabat: quinimo feruentius flagrans, tanto eiusdem Martini desiderio succensus est, ut cum mors penè caput illi merserit, ad uisendum tamen eius sepulchrum iter arripere non dubitauerit. Nec eum sui dehortari possent, cū obnixe restiterint, quia corporis illa febris febre uincebatur amoris. Et quidem actis duabus uel tribus mālionibus, itineris occasione itidem languor inualuit. Sed nec tunc omnino cogi potuit, quin ad propositā Martini fiduciā festinaret, nomine diuinæ maiestatis dehortatores obtestans, ut uel uiuum, uel forte defunctum se ante eius sepulchrum exponerent. Quid plura? 6 Peruenit utcunque, probata fides perfectæ salutis com-

6 *Ad sepulchrum sancti Martini confugiens, sanatus est beatus Gregorius.*

pos effecta est. Et non solum ille, sed & Armentarius quidam ex eius clericis, qui sensu penitus caruerat, merito prædictę fidei sanatus est. Agens itaque tam pro se, quàm pro illo gratias, amore Martini exatiatus, uel potius magis succensus, ad patriam rediit.

Aliquãdo uerò cum iter de Burgundia ad Aruerniam ageret, magna contra se tempestas exoritur, densus aër in nubibus cogitur. Crebris ignibus cœlum micare, ualidisq; tonitruorum cœpit fragoribus resonare. Omnes pallescere, imminensq; periculum pauitare. Sed Gregorius amicus sanctorum, 7 reliqnias (has enim indesinenter collo ferebat) de sinu protrahit, & minacibus constanter nubibus opponit. Quæ protinus diuisæ dextra leuaq; prætereuntes, illæsum iter gradientibus præbuerunt. At superbia, quæ plerunq; uirtutibus nutritur, iuuenili animo protinus irrepsit; priuatim gaudet, suisq; meritis præstitum arrogat. Sed quid tam uicinum superbiæ, quàm casus? Nam equus, cui insederat, illico lapsus hunc ad terram grauiter elisit, ita ut omni corpore cõtusus uix assurgere posset, causamq; intelligens, satis deinceps cauit, ne se uanægloriæ stimulus qualibet sub occasione deijceret; sed quotiens per eum aliquid diuina uirtus egisset, non suis meritis ascriberet, sed uirtuti reliquiarũ, quas (ut diximus) perinde ferebat. Quod factum si discusseris, mirabilius est superbiã correxisse, quàm nubem diuisisse. Erat autẽ in orationibus assuetus, præsertim quietis horis. Solennitas beatæ Mariæ Virginis aduenerat. Siquidem apud Aruernum in uilla Marciacensi eius reliquiæ continentur. Tunc forte Gregorius intererat; qui, cæteris alto sopore depresśis, ad secretam orationem suo more procesśit, conspicatusq; eminus uidet oratorium ingenti claritate fulgere. Credit igitur aliquos deuotorum iam ad celebrandas 8 uigilias procesśisse. Visione tamen luminis attonitus illò prætendit, cuncta silentio data deprehendit. Ad ædificiũ transmisit, sed interim ostium sponte reseratur. Ille ad Angelicas excubias reuerenter ingressus, diuinam uisitationẽ illicò agnouit. Claritas, quam à foris mirabatur, protinus discesśit, nihilq; per uirtutem gloriosæ Virginis uidere potuit.

7 *Gestabat indesinenter collo sanctorũ reliquias, & ad eorum extractionẽ turbo & procella recesserunt.*

8 *Vides quod etiam antiquitus sanctorũ uigiliæ celebrabantur?*

Anno centesimo septuagesimo secundo post transitũ Domini Martini, Sigeberto Rege anno duodecimo regnãte, beatus Eufronius; qui inter uirtutes consenescens tanta gratia donatus est, ut ei prophetiæ spiritus inesse uisus sit, appositus est ad patres suos; tempusq; aduenerat, ut Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, & ad pastoralis officij ministerium idoneus Episcopus, cathedrã eius uice sua regendam suscipere debuisset. Cũ igitur beatus Eufronius obijsset, Turonici de eius successore tractaturi conueniunt. Sed facili discrimine suasum est cunctis Gregorium in electione præferendum. Personã in loco frequentisśimã iam olim sciebant, pluraq; eius gesta uiro digna conuenerant. Tunc uerò cunctis in cõsona uoce coëuntibus, cerneres Deo fauente causam prosperari. Nam clericorum turba nobilibus uiris conferta, plebsq; rustica simul & urbana pari sententia clamant, Gregorium decernendum, cũ cla-

ris meritis, tum quoq; nobilitate pollentem, sapientia præcipuũ, generositate primum, principibus notum, ac sua probitate reuerendum, omnibusq; officijs habilem. Legatio ad Regẽ dirigitur, cũ quidem Deo dispensante, Gregorius corã reperitur. De hac igitur causa conuentus, quanta humilitate se excusare tentauit, quibus modis subducere uisus est? Sed qa uelle Dei est hinc, cætera flectuntur. Hunc Rex auctoritate cogit, hunc Brunichildis Regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est. Quẽ (ut credo) ne qualibet occasione delatus profugeret, statim Egidius Remẽsis Archiepiscopus ordinauit, ut Fortunatus Poeta scribens ait:

Martino proprium mittit Iulianus alumnum,
Et fratri præbet quod sibi dulce fuit;
Quem patris Egidij Domino manus alma sacrauit,
Vt populum recreet quem Radegundis amet;
Huic Segebertus ouans fauet, & Brunichildis honori.

Sedes itaque Turonica octauo decimo die postquã Eufronium amiserat, Gregorium suscepit. Turonẽsibus uerò nouo pastori triumphanter exilientibus, hoc prædictus Poeta panegyricum carmen procudit:

Plaudite nunc populi Turoni uota tenentes,
Præsulis aduentu spes gregis ecce uenit.
Hoc puer exertus celebret, hoc curua senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.

Et cętera, quibus hunc & à Turonensibus desideratum, & ad cathedram legaliter ingressum ostendit. Adeptus ergo præsulatum qualis uel quantus fuerit, ut compendiose dicatur, & plures Ecclesiæ, quas nouiter construxit, uel quarum sartatecta restaurauit, insinuant; Et libri in laudẽ sanctorum, uel in expositione sanctarum scripturarum æditi quamprimũ demonstrant. 9 Matrem nanque Ecclesiam, quã Dominus Martinus construxerat, nimia uetustate confectam arcuato scemate reparauit, atq; historiatis parietibus per eiusdem Martini gesta decorauit. Quod Metricanorus noster non tacuit dicens inter cætera.

9 *Si cõstruere noua & restaurare antiqua tẽpla non esset opus bonum, non utiq; ea uir sanctus fecisset.*

Martini auxilijs operando Gregorius ædem
Reddidit iste nouus, quo fuit ille uetus. Et item
Fundamenta igitur reparans hæc prisca sacerdos
Extulit egregius quam nituere prius.

Sed plures alias (ut diximus) construxit, sicut in ipsius Chronicis reperitur, ut est Ecclesia sanctæ Crucis, uel in Artensi uilla. In construendis uerò spiritualibus templis, uidelicet in custodia gregis quàm certatim sese impenderit, uel ex hoc animaduertitur, quod nec ab ipsis quidem sanctis uiris studium suæ prædicationis constituit. Nam (ut de his taceatur) quorum (ut ait Apostolus) peccata manifesta sunt, de quibus superfluo quicquã diceremus, ad ostendendum quantopere circa perfectiores sollicitus extiterit, duo saltem eorum, quos ob sanctitatis insignia uix præter Grego-

rium aliquis arguere præſumeret, ad medium deducantur. Haud longe enim poſt eius ordinationem ſanctus Senoch Abbas de cella egreſſus, ad eum ſalutandum profectus eſt. Quem ſanctus uir magna reuerentia ſuſceptum mutuoq; colloquio ſenſim exploratum, peſte ſuperbiæ mox pſenſit infectum. Sed gratia quæ in diſcernendis ſpiritibus huic ſuppeditabat, illum ab eadem ſuperbia penitus expurgauit. Nec diſsimili uirtute circa beatum quoque Leobardum extitit ſolicitus, quem nequã ſpiritus ita ſiniſtris cogitationibus agitabat, ut propter quandam uerborum contumeliam, qua ſe dudum recluſerat, migrare decreuiſſet. Sed nec iſte potuit incurrere caſum, qui Gregorium meruit habere ſubleuantem. Nam cum ſolito ad maius monaſterium, quaſi ſacra Martini ueſtigia deoſculaturus adiret, ſolicitus paſtor qualiter ouis amore Chriſti uinculata ſe gereret, ad eius tugurium diuertit. Cui mox ille ſecreta cordis, quæ diabolus quaſi rationabilia confinxerat, eidē reſerauit. Qui protinus ſagaciſsimo ut erat ingenio, diaboli cōmenta deprehendit, & non minimo dolore ſuſpirans increpare hominē cœpit, ac diabolicam calliditatem uerbis cōpetentibus denudauit, domumq; reuerſus libros ad propoſitum monachorum ei congruos pia ſollicitudine tranſmiſit. Quibus relectis non ſolum ab illa, quam patiebatur, incurſione curatus eſt, ſed etiam in ſenſus acumine multum prouectus. Nihil ergo nunc magnificentius quæras, nihil in laude Gregoriana præſtantius expectes. Si anima corpore melior, ſatius eſſe quenquã in ea ſuſcitari, nec quiſquã mendax negare poteſt. Vox autem eius ꝙ imperioſa fuerit, uel ea quæ dicebat auctorioſa uita ſubditis inculcauerit, diligens Lector in ipſius libris explorabit. Verũ (ut ſupra retulimus) incōmodo corporis frequenter ob iniuriam carnis fatigabatur; ſed quotiens corpuſculum nimio uirtutum exercitio fatigatum languor inclementius pulſauiſſet, ille ad Martinum ſuũ decurrens concitè ſanabatur. Hoc ſæpiſsime fiebat. Quando autem & qualiter in deſcriptione miraculorum ita dirigitur, ut merito dilectionem delectet, ſiquidē ut diſcretus & humilis corporea medicamenta ſibi primus adhibebat. Sed quanto ille humilius expetebat, indignũ ſe iudicans, cui medela per miraculum dari debuiſſet, tanto diuina largitas hunc ad ſolam ſuæ potentiæ medicinam reſeruabat.

Contigit aliquando ut ſolita beati Martini uirtute ab unius temporis dolore ſanaretur; cui poſt paululum cogitatio per inſidiatorē ſubijt iniecta, ꝙ pulſus ille uenarũ ſanguinis poſsit minutione ſedari. Dum id apud ſe uolueret, amborum temporum uenæ proſiliunt. Renouatus dolor undantius irrumpit, ſed ille concitus ad baſilicam properat. Veniam prius pro cogitatione precatur, dehinc palam ſancti 10 ſepulchri capita attigit, & illicò ſanus abſceſsit. Multa (fateor) in laudibus diuerſorum iam ingeſſerat, ſed quãuis amore Martini uehementius inferueret, ad ea tamē, quæ de eius miraculis ſcribenda erant, ſe nullatenus dignum iudicabat, donec bis & ter per ſoporem admonitus ſi taceret, crimen incurrere mi-

10 *Sancti ſepulchri capita attigit, & illico ſanus abſceſsit.*

naretur. Denique oratorium sancti Stephani, quod in suburbio est, iusserat prolongare; & altare (ut erat integrum) in antea promoueri, sed qa nihil de pignoribus ibidem reperit, unũ ex Abbatibus ut eiusdem martyris reliquias exhiberet, ad episcopum clauem tamẽ oblitus direxit, qui capsam obseratam reperiens, quid faceret dubitabat: si ad episcopũ pro claue rediret, morosum erat; si capsam exhibuisset, ob multorum pignora sanctorum, quæ ibi continebantur, molestum ei esse sciebat. Cum igitur apud se hæsisset, ut diuina gratia cooperatricem se Gregorio testaretur, capsam exilientibus repagulis aspicit reseratam. Tũc gratias agens, reliquias non sine admiratione multorum Gregorio detulit, qui reuersus capsam ut reliquerat, obseratam inuenit.

Multa quidem Gregorius, quæ insequi longum est, in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur, cum quidem hæc tanto uerius per ipsum fiebant, quanto ipse humilius aliјs tribuebat, ut est illud. Cum aliquando per uiam graderetur, & 11 crucem aureã cum reliquiјs beatæ Mariæ semper Virginis, uel beati Martini collo gestaret, procul à uia cuiusdam pauperis hospitium incendio conspicit concremari. Erat autem (ut est in usibus pauperum) foliјs, atque surculorum cremiјs, ignium uidelicet fomentis contectum. Hac illacq; miser cum uxore & liberis cursitare, & strepere, aquam aduehere. Sed iam flammæ prȩualuerant, nec poterant mitigari. Tunc uerò Gregorius accurrit, & contra flammarum globos crucem eleuauit, moxq; in aspectu 12 sanctarũ reliquiarum ita totus ignis obstupuit, ut nec ea, quæ iam apprehenderat, ultra uel ad modicum ustulare posset.

11 Gestabat collo crucẽ auream cũ reliquiјs beatæ Mariæ &c.

12 Ad aspectum Crũcis & sanctarũ reliquiarum ignis cessauit.

Causa fuerat, qua Remense oppidum adire debuerat. Cumq; ab Egidio pontifice humanitus fuisset susceptus, ibidem noctu quieuit. In crastinum uerò illucescente Dominice, ad ecclesiam Episcopo colloquuturus uenit. Cum autem eius aduentum in secretario præstolaretur (nolebat enim in Ecclesia loqui) Sigo ferendarius quondam Sigeberti ad eum accesit. Quem ille osculatum sedere iuxta se fecit. Dum aliquantisper secũ sermocinarentur, & ille de ore Gregorij penderet, subito auris eius, quæ pridem obsurduerat, cum quodam crepitu reserata est. Ille gratias cœpit agere, & quid ei per Gregorium præstitum sit manifestare. Sed uir Domini consuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æstimatione subducere nitens; Noli, ait, dulcissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, sed beato Martino, per cuius reliquias, licet indignus quas defero, tibi auditus restitutus est, surditas depulsa.

Virtus nanq; charitatis in illo prȩeminebat, adeò ut ipsis inimicis effectum dilectionis impenderet, ut sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est, ut ad uenerabilem matrem suam in Burgundia properaret. In syluis uerò Abiegnis, quæ trans Verberim fluuiũ sitæ sunt, latrones incurrit, qui tanto impetu super comitatũ eius irruere uisi

ſunt, ut non modo eos expoliare, ſed & occidere uelle putarentur. Quorum aſſultu Gregorius terreri non potuit, qui præſidio Martini circumſeptus incedebat. Cuius mox auxilium flagitans, ita ſibi adeſſe expertus eſt, ut latrones uelocius quam emerſerint fugam inirent. At Gregorius uſus cõſueta pietate, nec in perturbatione turbatus, fugientes reuocat ad cibum, & ad potum inimicos inuitat. Sed crederes eos fuſtibus agi, & inuitos equos contra poſsibilitatem calcaribus urgere, ut nec reuocantem audire poſsint. Ita Gregorius ſupernis auribus oſtenſus eſt uicinus, & operibus charitatis intentus.

Fides & deuotio populi ualde per Gregorium ſuccreſcebat. At malignus hoſtis nõ modico dolore torquebatur. Vnde factum eſt ut uim ſuæ malignitatis ferre non ſuſtinens, uel paſtoris uel gregis fiduciam apertis uocibus dementare conaretur. Ipſa nanq; 13 Natalis Domini die cum Gregorius pontificale feſtum in principali baſilica, ſicut mos eſt, ſolenniter celebrare procederet, quidã ex energumenis atrocior cæteris cœpit nimium debachari; Et ſequentibus, uel obuiantibus turbis, quæ Gregorium ſepſerant, ſe obuium ingerens, Fruſtra, inquit, Martini limina petitis, caſsò eius ædem aditis, qui uos propter multa crimina dereliquit: Ecce uos abhorrens, Romæ mirabilia facit. Hæc & alia plura cunctis, ut erant conſtipati, populis uerba diabolus inſibilat. Ad quã uocem non ſolum ruſticorum corda exturbantur, ſed & clerus, quin & ipſe Gregorius pauore concutitur. Ingredientes autem cũ fletu magno baſilicam omnes pauimento proſternuntur orantes, ut ſancti uiri præſentiam mererentur. Quidam uerò, cui ante tres annos ambæ manus cũ uno pede contractæ erant, ante 14 ſanctum altare cum reliquis proſtratus, beati Martini auxilium poſtulat; qui ſubito nimia febre circundatus, tanquã in eculeo torquebatur extenſus. Inter hęc ſancta ſolennia gerebantur. Cumq; ſanctus Pontifex fletibus inſiſtens beati Martini præſtolaretur aduentum, diuino myſterio palla iam ex more cooperto, languidus ad plenum reſtituitur ſanitati. Quare Gregorius admodum gauiſus, omnipotenti Deo gratias agit, oculoſq; lachrymarum imbre ſuffuſus, in hac ad populum uoce prorumpit: Timor à cordibus ueſtris fratres abſcedat, quia nobiſcũ 15 beatus confeſſor inhabitat; nec omnino credite diabolo, qui ab initio mendax eſt, & in ueritate non ſtetit. Cùm hæc & alia uerba conſolatoria aſtantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudiũ, multoq; alacriores quàm uenerant ad ſua per Martinum, atque Gregorium redierunt.

13 *Natalis Domini dies feſtus & celebris.*

14 *Ante ſanctum altare cum reliquis proſtratus, beati Martini auxilium implorat & obtinet.*

15 *Si cũm eis ſanctus cõfeſſor inhabitat, non poteſt dici mortuus beatus Martinus.*

Quia uerò Natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquando in hac die pontifici noſtro contigerit memoremus. Nam in 16 ſacroſancta huius Natalis nocte pridianis uigilijs fatigatus cũ paululum ſe cubito collocaret, uir quidam ad eum concitus uenit dicens: Surge, reuertere ad eccleſiam. Ille expergefactus ſignum Crucis ſibimet imprimens, iterum obdormiuit. Nec deſtitit uir ille quin hominem ſecundo moueret. Sed cũ excitus grauem ſe adhuc ſentiret, rurſus obdormiuit. Tum uero ille

16 *Sacroſancta nox Natiuitatis dominicæ etiam olim in uigilia ducebatur.*

uir tertio ueniens, maxillæ eius alapam impresſit dicens: En tu reliquos ad uigilias admonere debes,& tam diu ſopore deprimeris? Qua Gregorius uoce perculſus,pernici uelocitate ad eccleſiam eſt regreſſus. Adeò ſupernis oculis gratus extitit,ut nec humanitate cogente negligentiam pati permiſſus ſit ſuæ ſalutis. Viſum eſt hoc inſerere lectioni, qualiter cum Deus arguere uoluerit,ne uel aliorum leuitate peccaret. Nam cum hunc à deſperato languore beatus Martinus ita ſanaret,ut ad eccleſiam in craſtino properaret,ne ſe in ſolennijs miſſarum fatigaret, uni presbyterorũ hæc celebrare præcepit. Sed cũ presbyter neſcio quid ruſticè feſtina uerba depromeret,nonnulli de circunſtantibus eum irridere cœperunt,dicẽtes,melius fuiſſe tacere,q̃ ſic incultè loqui. Nocte autem inſequuta uidit uirum dicentem ſibi, de myſterijs Dei nequaquam diſputandum. Satis dehinc apud eũ conſtitit, ne ſtultos & faciles ante ſe permitteret de beatis ſolennis obtrectantes.

Sæpius autem uir Domini, ſicut uerus & gregis & ſuimet conſultor, uel ſubditorum utilitate, uel propriæ ſalutis cauſa longius procedebat. Aliquando igitur 17 ſepulchrum beati Hilarij ſupplicaturus adiuit,cũ ad uiſendam quoque ſanctam Radegundem Reginã diuertit. Factũ eſt autem cũ hi duo tanquã incolæ paradiſi ſecum de cœleſtibus fabularentur, oleum quod ante pignora ſanctæ Crucis guttatim illic defluere ſolebat,ſic in aduentu Pontificis auctum eſt, ut infra unius horę ſpaciũ ultra unum ſextarium exundaret. Porrò cũ hæc beata Regina ad Regẽ eſſet accerſenda cœlorum, uir Domini Gregorius de eius tranſitu nuncium accepit. Cumq; illa iam eo accurrente migraſſet, 18 ſancta eius mẽbra ſepulturæ locauit. Quo quidem tẽpore altare ſolenniter benedixit;operculum tamen Epiſcopo,qui tunc forte deerat reſeruauit.

17 *Vides peregrinationẽ ad ſepulchrum beati Hilarij a ſancto uiro deſumptam?*

18 *Sancta eius membra ſepulturæ locauit, & altare ſolenniter benedixit.*

Cauſa fuerat,qua Germanũ fluuium iuxta Blauienſe caſtrum transmeare debuerit. Sed idem fluuius ita tunc intumuerat,ut intuentibus nõ paruũ horrorem incuteret. Non longè autem ſanctus Romanus presbyter requieſcit,quem noſter (ut uita eius perhibet) Martinus tumulauit. Cum igitur hinc procella uentorum, illinc montes undarum ingens periculum nauigaturo minarentur,oculos ad cœlũ erigens, & ad eccleſiam prædicti Romani ſubinde reſpiciens, adeò omne pelagus mox complanauit,ut compreſsis fragoribus,in ripam alterã ſine periculo ueheretur.

Sexdecim annos hic in Epiſcopatu exegerat,cum æquiuocus eius ille Magnus Gregorius in ſede Apoſtolica ſubrogatur. Siquidẽ opinata res eſt,ꝙ dudum alter alteri peculiari ſit amicitia deuinctus. Nec immeritò tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno,tanquam ille datus ſit Orienti,Romenſis Meridiei,aſt hic noſter Occidẽti. Cũ igitur 19 ſacra Apoſtolorum limina expetiſſet, magna cũ reuerentia ſanctus eum Papa excepit. Quem ad beati Petri confeſsionem introducens,à latere conſtitit præſtolans quo aſſurgeret. Interim autem (ut erat ingenio profundiſsimus) ſecretam Dei diſpenſationem admirans, conſiderabat

19 *Et hic habes peregrinationem ad limina Apoſtolorum.*

in huiuſmodi hominem (erat enim ſtatura breuis) tantam gratiam cœli-tus profluxiſſe. Quod ille mox diuinitus perſentiens, & ab oratione ſurgens, placidoq; ut erat uultu ad Papam reſpiciens, Dominus, inquit, fecit nos, & non ipſi nos, idem in paruis, qui & in magnis. Cumq; id ſuę cogitationi ſanctus Papa reſponderi cognoſceret, ipſa ſua deprehenſione gauiſus gratiam, quā hactenus in Gregorio mirabatur, in magna uenera-

20 tione deinceps habere cœpit, ſedemq; Turonicam ita nobilitauit, ut 20 auream ei cathedram donaret, quæ apud præfatam urbem in poſterum ſeruaretur.

Quid poſſunt dicere hæretici, cum uideāt ſanctiſſimum Gregorium donaſſe beatum hunc aurea cathedra?

Iam uerò beatus Martinus hunc alumnum ſuum magnificans, uſquequaque ei ſe propitium multis modis demōſtrauerat. Sed cum operibus eius cooperatorem quoque ſe oſtenderet, aliquando præſentiam ſuam, licet inuiſibili ſuo quo uideri ſolet ſplendore, manifeſtauit. Nam 21 oratorium ex promptuario prædeceſſoris ſui apud Turonum conſecraturus, reliquias ſancti Saturnini martyris, ac Domini Martini à baſilica ſuſceptas cū ingenti ueneratione deferebat (erat enim ſacerdotum ac Leuitarum in albis ueſtibus non minimus chorus, & ciuium honoratorum ordo præclarus, ſed & populi ſecundi ordinis magnus conuentus) radiantibus ſolenniter 22 cereis, crucibus in altum ſublatis. Cum ita ueniretur ad oſtium, terribilis fulgor cellulam ſubitò perfundens, omnium oculos nimio perſtrinxit ſplendore, qui diutius durans hac illacq; ſicut fulgur diſcurrebat. Omnes nimio pauore perculſi ſolo iacebant. At Gregorius ut tantæ uirtutis conſcius, conſtanter eos exhortans, Nolite, inquit, timere, rememoramini qualiter globus ignis de capite beati Martini egreſſus cœlum uiſus eſt conſcendiſſe, & ob id nos cum his ſanctis reliquijs ipſum credite uiſitaſſe. Tunc uniuerſi magnificauerunt Deum, & ſenior cū electis dicebat: Benedictus qui uenit in nomine Domini Deus dominus & illuxit nobis.

21 *Ecce conſecrationem Oratorij cum ſanctorum reliquijs.*

22 *Vides quod etiā tunc in die accendebantur cerei, & crucis uexillum in altum deferebatur: pro ut & nunc fit in proceſſionibus.*

Pauca hæc de noſtro præſule dicta ſint, non ut miracula eius, quæ reprobis dari ſolent, cōmendemus, ſed ut nec hanc quidem gratiam illi defuiſſe monſtremus. Cæterùm ad eius gloriam cōmendandam illud ſufficiat, quòd humili corde Chriſtum ſequutus eſt, & ꝙ non ſperauit in pecuniæ theſauris. Hoc utique eſt mirabilia feciſſe, & ut partim ſuperius monſtratur, à peccatorum eſt laqueo cuſtoditus. Super omnem quippe gloriam eſt à peccatis protectio. Vigeſimo & primo igitur Epiſcopatus ſui anno, tanꝗ ſeptennario annorum numero ter in fide ſanctæ Trinitatis completo, appoſitus eſt ad patres ſuos, non tam dierum, quia fermè tricennalis ordinatus eſt, ꝗ perfectione plenus. Qui tamen non uſquequaque uidetur clauſus in tumulo, cui reſtat ut uel lingua uiuat in mundo. Et quia, ſicut credimus, beato Martino 23 in cœlo eſt ſociatus, ſancto etiam corpore eſt illi in ſepulchro uicinus. Porrò Turonicenſes ne diuinis muneribus uideantur ingrati, ſemper neceſſe eſt ut retractent quantopere ſint à Deo ſuffulti. Datus nanque eſt eis patronus, non qua-

23 *Gregorius eſt in cœlo beato Martino ſociatus.*

liſcunque

liscunque sed Martinus, de cuius laude quid primũ uel speciale dicatur? cum ut scriptum est, eius minima aliorum maximis maiora esse manifestum sit: tamen quanti habendus sit, testantur uniuersæ ut ita dicã, mundi nationes, quæ illum ita priuato affectu diligunt, ut etiam in nostro tẽpore, quando nimium iam charitas refrigescit, multos tam gente, quàm lingua ignotos ad eius sanctisimũ 24 tumulum confluere uideamus, ut merito de eodem Martino dicatur: Cuius uultum desiderat uniuersa terra. Quorum utique studia nostram, qui uicini sumus, inertiam iure uehementer redarguunt, non tamen sine diuino moderamine constat, quòd eius amor ita omnium cor penetrauit, quòd eius memoria, uelut alterius Iosiæ tam dulcis est omnibus, & quòd per omnes fines terræ ita iam patuit, ut quod Christus habet nomen, Martinus honorem. Datus est eis & Gregorius, uir non solum sanctitate, sed & doctrina clarus, ne urbs Turonica obscurior uideretur, si scriptorum officio caruisset: quin potius sicut urbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio, ita urbs Turonica post Martinum decoratur in isto. Quem uidelicet uel apud Deum, uel apud Martinum 25 aduocatum quendam atque sequestrem habere confidamus, eique nostras necesitates ad expediendum committamus. Verûm ille non erit immemor uel suæ, uel Martini misericordiæ, quam nobis tantopere insinuare curauit, quippe qui ad hunc insinuandum eius miracula digessit, ut quique futuri audientes quanta & qualia uisibiliter operetur, quàm desperatos languores sanet, de potentia uel de patientia eius nullatenus dubitent. Et si pro dispensatione temporum contigerit corporea miracula cessare, semper tamen credamus illum in nostris animabus suæ uirtutis medicinam operari. Gregorius igitur Martini misericordię conscius, semper illi de grege suo suggerat, semper illum pro statu sancti loci sui, ac pro totius Regni salute interpellet.

24 Multi ad sanctisimũ Martini tumulũ confugiunt.

25 Gregorius est aduocatus Turonensium apud deum. Nõ ideo tamẽ Saluator noster desistit supremus & eminentisimus esse eorũ aduocatus apud patrem.

Nec prætereundum, quomodo consuetam sibi humilitatem, etiam in ipsa sepultura sua seruauerit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, ubi semper omnium pedibus conculcaretur, & ipsa loci necesitas cogeret, ne unquam in aliqua reuerentia haberi posset. Sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco leuauit, & ędito sepulchro mausoleo ad leuam sancti sepulchri digna reuerentia collocauit. Obijt autem quintodecimo Calendas Decembris, uidelicet intra Martinianam hebdomadam, ut 26 solennitatem Martini, quam hic iam ægrotans celebrare cœperat, 27 Martino iunctus in cœlo consumaret; præstante Domino Iesu Christo, qui uiuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

26 Ecce Martini solennitas celebris.

27 Iterum habes Gregorium Martino in cœlo sociatum.

Tomus tertius. Pars prima.

F I N I S.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS

SYNCERO LECTORI.

SEcunda huius tertij Tomi pars Candide Lector Palladium Episcopum continet, qui uitas describit multas sanctorum monachorum beatarum quoque fœminarum, author uetustus, utpote qui statim mortuo Valente Imperatore floruerit, & maiori parti uirorum illorũ Synchronos fuerit, quorũ gesta describit, ut in eius lectione per te ipse uidebis. Stylus eius planus est & simplex, & qui Christianã puritatem per omnia redoleat. Quis autem fuerit hic Palladius si nosse cupis, ad Historiam Tripartitam recurre, ubi libro octauo cap. primo habes Socrate referente, Palladium Monachum quendam Euagrij discipulum scripsisse librum de monachis, in quo etiam fœminarum imitationem conuersationemque commemorauit.

Liber hic aliquot ante annis Parisijs editus fuerat, sed iam nullibi fere reperiebatur, in animumq; mihi hoc uenerat ut per aliquem eum latine reddendum curarem. Cum ecce à uiro doctissimo meiq; amantissimo Basilio Zanco Clerico & nobili Bergomensi derepente ex Vrbe Roma ad me liber transmittitur, non tamen sub Palladij sed cuiusdam Heraclidis nomine editus, Paradisiq; titulo prænotatus. Memineram ego apud recentiores quosdam qui sanctorũ gesta describunt, huius Paradisi Heraclidis mentionem crebrò factam, atque ex eo in libros illorum multa transposita, sed hærebam animo quis esset, præsertim cum nullam de eo apud ueteres scriptores (quod ego legerim) memoriam habitam uiderẽ. Dumq; mecũ ipse fluctuarem, librum ipsum ad eruditissimũ probatissimumq; uirum amicũ meũ Franciscum Torres Venetijs tunc cõmorantem transmisi, rogans ut is qui utriusque linguæ peritissimus esset, in famosam illam quondam Cardinalis Bessarionis Bibliothecã se conferret ac librũ hunc cũ libro Palladij Cappadociæ Episcopi quẽ ibi adesse sciebam conferret, & an is uel alter esset mihi rescriberet. Functus est pro sua charitate officio demandato uir optimus, & à capite ad calcem usq; utroque collatu uolumine, hunc eundem prorsus cũ illo esse reperit, paucis quibusdam ijsque perexigui momenti ĩmutatis. Titulus etiam discrepabat & nuncupatoria epistola, quæ non ab Heraclide Alexandrino, sed à Palladio Cappadociæ Episcopo, licet in utroque uolumine ad Lausum scripta uideretur. His igitur paucis locellis correctis, & ad emendatissimum Græcum codicem redactis, librum ad piorum emolumentum euulgandum duximus, cuius lectionem Ecclesiæ maximo usui futuram pollicemur.

Verum antequam ad sanctorũ uitas, quæ in hoc libro describuntur, accedamus, discutiendũ nobis prius esse operæ pretiũ arbitramur, unde factum sit, ut ementito uero huius libri authore, sub titulo Paradisi Heraclidis in lucẽ emerserit. Idq; primũ menti occurrit Parisinum Typographum istius cõmenti parentẽ extitisse. Cum enim legisset is per Diuum Hieronymũ in prooemio dialogorum contra Pelagianos fuisse scriptum, Palladium seruilis nequitiæ uirum Origenis hæresim instaurare, Diuum quoque Epiphanium in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanũ asserentẽ Palladium Galatam qui olim sibi fuerat charus, Origenis hæresim prædicare & docere, ueritus est bonus impressor, ne si librũ sub authoris nomine euulgaret, is statim ab initio ut ab hæretico homine conscriptus exploderetur. Cogitauit igitur (meo iudicio) strophã illam, ut de Palladio paradisum faceret, cuius perfacilis inuersio uidebatur, & tanquã ab alio compositum uolumen edidit, quo doctos uiros ad eius emptionem facilius animaret.

Nos siue id, siue aliud huius fallaciæ causa fuerit, libri utilitate permoti, ipsum prout in Græco codice iacere repertus est euulgamus, non audentes hunc Palladium illum asserere, qui Hæresis Origenianæ Hieronymo & Epiphanio authoribus fautor fuerit, quanquã ut id credamus non mediocre indicium facit, quod hic Palladius, ne dũ Origenẽ ipsum, sed & Rufinum Hieronymi æmulum, necnon Euagrium, illum forte Hiperboretam ab eodẽ tantopere damnatũ cõmendat, ipsique Hieronymo infensus satisfuisse uidetur. Nam in uita Paulæ Romanæ sanctum uirũ inuidiæ nota inurit (quod etiam in uulgato codice suppressum fuerat) ut qui prohibuerit sanctam foeminã ad perfectionẽ transire. Quod non nisi ex inimicitiarum fonte, ĩmo turbine, quæ forte dictã ob causam inter ipsos intercesserant, prodijsse minime dubitare possumus.

Sed ꝙ is fuerit Origenista necne, ad propositũ, quo hic liber scriptus est, parum facit, nam non dogmata fidei in eo, sed sanctorũ uitæ conscribuntur, & (ut de Eusebio Cæsariensi Episcopo, qui & ipse Origenis fautor fuit, ait beatus Papa Gelasius) propter rerũ singularẽ notitiam quæ ad instructionem pertinet, non uidetur renuendus, præsertim cum (ut ingenij nostri imbecillitas uidere potuit) nihil hic non pium, non Christianam redolens puritatẽ legatur. Approbamus igitur opus, scriptorẽ autẽ Dei iudicio, coram quo ille stat, reseruamus. Nam dubia pro certis asserere, nimis temerarium nobis uidetur.

Verũ aliud quoddam in hoc opere se se offert quod nos magis solicitos reddit. Diuus idem Hieronymus cuius in Ecclesia tanta est authoritas, quantã omnes scimus, in Epistola quã ad Ctesiphontem scribit, suggillans Euagrium Ponticũ Hyperboretam qui librum scripsit quasi de monachis, obijcit ei, multos in eo libro enumeratos qui nunquã fuerint, & quos fuisse scribit, Origenistas, & ab Episcopis damnatos asserit, uolensque apertius qui hi essent indicare, subiungit, Ammoniũ uidelicet,

& Eusebium, & Euthymium, & ipsum Euagrium, Or quoque, & Isidorum, & multos alios quos enumerare tędium est. At hi sex quorũ in mentionẽ incidimus, etiam in hoc Palladij opere interseruntur, eorumq; uitæ accurate descriptæ reperiuntur. Quid igitur ad hæc dicemus? Suscipiemus ne uiros qui à tanto Patre de hæresi dãnati affirmantur? Hæremus certe hoc in loco lector candidissime, & si illud respondere possumus, librũ duntaxat Euagrij non autẽ Palladij per Diuum Hieronymũ fuisse damnatũ, aut illos profecto eosdem non esse, qui & ab Euagrio & à Palladio cõmemorantur, sed omnino alios, contigit enim (teste ipso etiam Diuo Hieronymo & Gennadio de uiris illustribus) cõplures sanctos Patres necnon Monachos, & Anachoretas eiusdẽ fuisse nominis, ut in pluribus Macarijs, Paulis, Ioannibus, Isidoris, Euagrijs uidere licet. At si hęc responsio tibi non satisfacit, nihil nobis dicendũ superest, nisi ut his sex dimissis alios legere non graueris, longè enim absit, ut nos qui toto uitæ nostræ tẽpore contra hæreticos desudauimus, uelimus nunc hæreticos homines in Ecclesiã introducere. Quanquã si ex prædictis sex uiris nonnulli Diui Antonij discipuli fuerunt, si aliqui Diui Basilij, & Gregorij Nazianzeni alumni, si summa omnes uitæ honestate præditi, & diuinis charismatibus insigniti, si miraculis clari, & optimo fine consumati, uix adduci possumus, ut credamus hos illos esse, quos Diuus Hieronymus Hæreseos à Patribus damnatos asserit, & non prorsus alios.

Ego ut quod sentio libere fatear, postquã librũ hunc Palladij ad Lausum à sanctissimo pariterq; doctissimo uiro Ecclesiæ columna Ioanne Damasceno in sermone illo aureo, Defunctos uiuorum beneficijs iuuari inscripto, tantopere cõmendatũ uidi, absq; ullo cõscientiæ scrupulo, totũ opus bis terq; perlegi, eaq; lectione cũ mirificè sum delectatus, tum uerò flagranti quodam cœlestiũ rerũ desiderio totus exarsi. Tu tamen ꝙ probabilius & tibi tutius uidetur sequere. Vale.

EPISTOLA PALLADII EPISCOPI Cappadociæ ad Lausum pręposìtum.

Laudo magnopere cõsilium tuũ (merito enim à laudatione ordienda mihi est Epistola; quod plerisq; omnibus res futiles sibiq; prorsus inutiles consectantibus, ipse ea doceri studeas, quæ ad animæ salutẽ pertineant. Siquidẽ unus est tantũmodo, cui doctrina opus non est, ipse uniuersitatis rerũ parens & procreator Deus, quippe qui omniũ antiquissimus originis suę neminẽ habet authorẽ præter seipsum.

Eo excepto reliqua omnia ut quæ & facta, & creata sunt, doctrina informari possunt. Nam & primi illi cœlestiũ ordines magistrã habent supremã ipsam Trinitatẽ. Secundi uero à primis docentur, & tertij à secũdis, & cæteri deinceps similiter. Qui nanq; cognitione & uirtute cæteris antecellunt, ij, qui se sunt inferiores, erudiunt.

Proinde

Proinde ignorantiæ morbo, quæ superbiæ est mater laborare censendi sunt ij, qui existimant doctoribus sibi opus non esse, ij autem sunt, qui docentibus cum charitate fidem non adhibent. Etenim uolantes ea in re per aërem dæmones imitantur, quando illi quoque eadē peste corrupti, à cœlestibus suis sedibus fugitiui, præcipites olim de cœlo primi in exitiū delapsi sunt. Neque enim doctrina sunt dictiones aut syllabæ, sed recte facta animi bene informati, animusq́; ipse omni ęgritudine uacuus, prorsusq́; intrepidus, ac præsens, cuiq; nulla iracundia dominetur, & qui quæ sentit libere omnibus in rebus eloqui non dubitet. Vnde nimirū sermo igneæ flammæ instar erumpit.

Etenim, nisi hoc ita esset, nequaq; discipulis suis dixisset magnus ille magister. Discite á me quia mitis sum & humilis corde, cum non corrupta oratione auditores ille suos erudiret, sed talis esset ipse, ut neminē moribus suis offenderet, pręter eos duntaxat, quibus suapte sponte doctrina ipsa unà cum doctoribus esset inuisa. Debet enim anima, quæ se in uitæ Christianæ curriculo exercet, aut adhibita fide, aliunde discere quæ nescit, aut quæ scit, apertę ipsa alios docere. Alioqui qui horū alterutrū facere neglexerit, is merito inter insanos habendus sit. Quippe cum initium defectionis sit doctrinæ satietas, ac disciplinæ fastidium, quam pij hominis animus assidue usque solitus est esurire. Fortis esto, & uale, & quod magnū est, donet tibi deus cognitionem Christi.

IDEM AD EVNDEM.

IN hoc libro, quem de uita sanctorum patrum scripturi sumus, descripta est nobilis continentia, mirabilisq́; conuersationis transactio cenobitarum pariter, atq; anachoretarum, qui in eremo ad æmulationem, imitationemq́; cœlestium uiuere cupientes, superni regni iter aggressi sunt: fœminarū quoque prouectarum atque honestarū, ac spiritualium matrum cōmemoratio, quæ uirili, perfectoq; sensu ad exemplum, amoremq́; diuinū, eorū qui desiderant continentiæ ac pudicitiæ redimiri coronis, cum insigni abstinentia finiere certamina. Iccirco pręcipiente nobis uiro moribus suauissimo, sensuq́; doctissimo, animo quoq; pacifico, & corde pijssimo, mente etiam amatore dei, atque in necessitatibus indigentium socio, & celsitudine dignitatum pro bonitate conscientiæ, pluri mis eloquentibus præferendo, atque in omnibus uirtute diuini spiritus pręmunito, quinimo (quod oportet ueraciter dicere) ad speculationē potiorū, sedulitatis exēplo, segnes animos incitante, abstinentiam sanctorū, spiritualiūq; patrū (qui in dei placito uictitantes, insuperabili certamine carnis crucifixere mollitiem, quorū ipse quoque bene transactas uirtutes prędicare non desinit) studemus describere. Est autē huius desiderij spiritualis exactor uirorum optimus Lausus; qui post dei tutelam, custos pijssimi probatur ordinatus imperij.

Ego igitur & lingua imperitus, & spiritualis scientiæ tenuiter degustator, nec non etiam sanctorũ patrũ spirituali catalogo nimis indignus magnitudinem præcepti ultra mensuram meam perspiciens, reluctari tentabã huiusmodi iussioni, quæ & sapientiæ literatæ, & diuinæ doctrinæ indiget intellectu. Sed cum rursus uererer primum quidẽ nobile studium iniungentis, deinde utilitatem legentium pertractarem, postremo metuens inobedientiæ graue periculum, tanti præcepti cumulũ supernę dispensationi cõmisi, attentiusq; sanctorum patrum intercessione, meas uires cõminuens, ad certaminis stadium sum progressus, uirorum fortium, nec non etiam fœminarũ, quos aut ipse uultu proprio uidere promerui, aut à sanctis patribus qui eorũ nouere uirtutes, me audisse cõmemini, gloriosa signa scripturus atq; certamina.

Nam & plurimas ciuitates ac uillas, omnemq; penè speluncam, & tecta eremi (in qua monachi habitant) diligenti cura, dei pietate pedestri labore circuniens, & uirorum quos oculis meis inspexi, & mulierũ propter spem, quæ nobis in Christo reposita est, sexum fœmineum animi uirtute uincentium, in quantum meæ suppeditat paruitati, nomina pariter & genus & patriam, locumq; habitationis pręsenti libello cõplexus, tibi amatori Christi, famuloq; dei, atque inclyto Pij Imperij ornamento Lause transmisi, simul cõmemorans utriusque sexus in quibusdam ad summũ quidem peracta certamina, sed propter matrem superbię (quę uocatur Cenodoxia) ad extremum baratrum, inferniq; profundum miserabiliter deductorum, acquisitas ex longis temporibus, abstinentię palmas, repentino elationis ac tumoris momento prę marcidas, gratia uero Saluatoris nostri, prouisioneq; sanctorum patrum, ac miseratione spiritualium uirorum, & orationibus uenerabilium seniorum, de laqueis diaboli ereptos, ad recuperationem uitę nobilioris reuersos.

Habetur in libro qui uulgo dicitur Paradisus Heraclidis. Ca. 1.

VITA ISIDORI PRESBYTERI ALEXANdrini, Dorothei monachi Thebani, Potamenię martyris, & Alexandrię mulieris, per Palladium Episcopum Cappadocię descripta.

CVm primum Alexandrinam attigi ciuitatẽ, in secundo senioris Imperatoris Theodosij consulatu, qui propter eam (qua in Christum credidit) fidem, cum angelis nunc moratur; admirabilem uirum & ornatum per omnia moribus ac peritum, Isidorum presbyterum in memorata ciuitate cognoui, qui in Alexandrina Ecclesia erat susceptor atq; prouisor pauperũ fratrum, quẽ in principio iuuentutis suę egregias per solitudinem palmas abstinentię promeruisse memorabant: Cuius & cellulam uidi in monte, cui nytrias nomen est septuagesimo ętatis suę anno, qui alijs quindecim annis uiuendo cõpletis, obijt in pace. Ille igitur usque ad ultimum finem, non linteo usus est, nisi eo quo uela-

ret caput, non balnea attigit, non 1 ex carnibus cibū sumpsit, nō mensę usque ad satietatem interfuit. Qui quidem tam lauti corpusculi fuit per gratiam spiritualis alimonię, ut omnes qui uitam ipsius nesciebant, epulationibus illud ac uoluptatibus imputarent. De quo uiro si uirtutes ipsius animę exponere singulatim uelim, tempus me profecto deficiet. Qui tantę bonitatis atque humanitatis erat, tamq́ue pacificus; ut etiam ipsi, qui pertinacissimi eiusdē uidebantur inimici, erubescerent umbrā quoquè ipsius, propter tam uenerabilem uitam. Tantam autem sanctarum scripturarum ac diuini dogmatis fertur habuisse notitiam, ut & inter ipsa fratrum conuiuia, obstupesceret subito, ac mente mutata, & sensibus spiritualiter occupatis, transmigrasse alio uideretur; ut qui interrogatus postea causam ipsius stuporis, hæc diceret, ad alia quædam se cogitatione translatum, & cuiusdam theoriæ miracula raptum fuisse. Noui etiam ego memoratum uirum, dum sumeret cibum, sæpius lachrymasse. Cumq́; admirarer forte cur fleret, hoc ex ore eius audiui: Erubesco inquit, irrationabilem cibum sumens, qui rationalis factus à Deo, deberem in Paradisi uoluptate uersari, & cibo satiari diuino, propter eam quam Christus nobis tribuit potestatem.

1 *Vide abstinentiam uiri & ciborum delectum.*

Hic ipse quem dico notus Romano senatui, summisq́; primatibus; tunc eum primū unà cum Episcopo Athanasio, postea autē cum Demetrio Episcopo pergeret Romā, & diuitijs atque abundantia rerum sine inuidiæ stimulo exuberaret, non testamentū in supremis suis fecit, non saltem unū solidum dereliquit, non partem aliquam substantiæ sororibus suis uirginibus dedit, sed Christo easdē cōmendans, qui uos fecit inquit uestram quoque uitam, ordinabit ut meā. Erat autē cum sororibus ipsius, septuaginta aliarum uirginum numerus.

Is itaque cum uenissem ad eum in principio iuuentutis, & peterem ut instrueret me ad mores, uitamq́; monachorum in ipso primi adhuc ardore æui locatū (cui non tantū necessaria esset doctrina uerborū, quantum iugis labor, & fatigatio corporalis) quemadmodū domitor equorū bonus, perductum me de ciuitatis internis usque ad quintū lapidē, ad ea quæ uocantur solitudinū loca, Dorotheo cuidam Thebano monacho, sexagesimum in spelunca agenti annum cōmendauit, & tradidit, iubens mihi ut tribus apud eū annis morarer, ad contundenda, atque frangenda illicitamenta uitiorum (nouerat enim ipsius senis durissimam atque laboriosissimam uitam) præcepitq́; ut rursum ad ipsum redirē, ob spiritualis scientiæ notitiam atque doctrinam. Ego uero cum illic implere tres (ut præceperat) annos non potuissem ualida infirmitate correptus, ante finitas inducias triennij temporis, ab ipso sublatus sum.

Erat enim uitæ ipsius cum uniuersa ariditate ac siccitate certamen. Per omnē nanque diem in ardore maximo, & in solitudine circa littora maris lapides colligebat: singulisq́; annis cellam struendo perficiens, ijs qui fabricare non poterant, offerebat. Cum autē ei quadam die à me di-

ctum fuisset, quid facis pater in tanta senecta interficiens corpusculum tuum sæuis ardoribus? respondit hoc dicens, Occidit me, Occido illud. Edebat 2 uero unciam panis, unumq; fasciculũ oleris uilissimi, bibens aquæ modicã quantitatẽ, nunq; tamen eum (Deo teste) extendisse proprios pedes uidi, nunq̃ in matta, nunq̃ in lectulo quieuisse, sed per uniuersam noctẽ sedens intexebat funẽ quendã ex arbore dactylorũ, cuius precio uesci solebat. Putans autẽ ego quod ante me solum hæc faceret quæ uidebã, scrupulosius etiã ab alijs eius discipulis qui separatim manebant, quærẽdo cognoui, quia sic à prima ætate uiuebat, nunq̃ tñ sponte, nisi ex maxima necessitate dormiuit, aut opere fatigatus, aut dum cibo utitur, si forte usq; adeo eũ somnus oppressit, ut paululum ei oculi clauderentur: frequẽter enim edendo, nimia ui somni, capite mutabat, panisq; ex ipsis labijs oris cadebat; Qui aliquando eũ à me, quodãmodo cogeretur, ut uel momẽto tẽporis supra mattã iaceret, contristatus ista dicebat: Si angelis persuadere potueris ut quiescãt, persuadebis & ei, q Deo placere festinat.

2 *Ecce sancti uiri parcitatem uictus, ecce potum aquæ.*

Hic una dierum ad puteum suũ me circa nonam horam transmisit, ut implerem cadum, tempore refectionis instante. Accidit autem ut cũ uenissem, & aspidem casu in imo putei uisam, perhorruissem; uas uacuũ reportarem, causamq; timoris exponerem dicens: Abba mortui sumus, aspidem enim in puteo, quo me miseras, uidi Subridens ille tantũmodo, diu me intuens aspexit, caputq; cõcutiens dixit, si placuerit diabolo per omnes se puteos, uel serpentem, uel testudinẽ facere, reliquumq; genus uenenosarum bestiarum, & in aquas fontium desilire, poteris ne tu esse sine potu? moxq; egressus per semetipsum ieiunus aquam traxit de puteo, ac prior ipse 3 signatam degustans ait: Vbi crux adest, ibi nihil Sathanæ ualet malignitas.

3 *Vide miram signi Crucis uirtutem.*

Sanctus iste Isidorus (qui benedictum quondam uidit Antonium) dignam rem memoria literarum retulit mihi, quã ab ipso se dicebat audisse. Potamenia quædam nomine puella admodum pulchra, ancilla cuiusdam erat tempore Maximiani persecutoris, quã multis frequenter, ac uarijs promissionibus dominus suus tentans, stuprare non potuit, ita ut ad postremum amore atque insania præceps, traderet eam illi, qui tunc Alexandriæ præfecturam gerebat, scilicet ut Christianam ac maledicentem de persecutionis sæuitia imperatoribus, pecuniam ei sub hac pactione promittens, ut si eius acquiesceret uoluntati, sine ullo eã supplicio reseruaret, ac redderet. Si uero in contradicendi proposito permaneret, petijt ut tormentis deficeret, ne si uixisset, libidinis domini sui contemptrix uideretur. Quæ cũ exhibita ante tribunal fuisset, eiusq; iudex uarijs cruciatibus atq; tormentis cuperet expugnare deuotam uoluntatẽ, & inter diuersa supplicia uas quoque æris immensum ac feruenti pice repletum acerrima flamma succenderet, duplicem ei præfectus immitis posuit cõditionem: Aut uade, inquit, & domini tui obtempera uoluntati, aut scias te in feruentem hanc picem esse mittendam. Cui puella respõdit dicens:

Nunquam

Nunquam ſit alter monitor talis, qui addici iubeat libidini caſtitatem. 4 Ob quod ille nimio furore perculſus, præcepit ſpoliatã eam in uas, quod feruebat, immitti. Hæc autem uox illius fuit. Per caput inquit Imperatoris tui, quod tu ueteris obteſtor, ut ſi apud te ſtatutum eſt his me tormentis necare, non ſimul totam, ſed paulatim me in feruentem mitti iubeas picem, ut poſsis uidere quantã mihi dederit ignotus tibi patientiam Chriſtus; quæ per unius horæ ſpacium paulatim in ahenum cadens demiſſa, defecit, ubi pix primum ebulliens ad ipſius colla peruenit.

4 *Aduerte ſanctã puellam martyrium toleriſſe, ne uirginitatem ſuam ſtuprata perderet.*

Plures autem uiri digni habitaculo beatorum fœminæ quoque obierunt tunc in Alexãdrinæ Eccleſiæ ciuitate, in quibus Didymus erat, oculorum quidem lumine deſtitutus, diuinarum tamen ſcripturarũ peritia pollens: quem ego intra decem annos diuerſis temporibus, quater uidiſſe me memini, quiq; poſt octoginta & quinq; annos, uitæ terminum fecit. Hic igitur quem loquor, captus eſt oculis, ut ipſe retulit mihi, cũ quartũ ageret ætatis ſuæ annum: Qui neque magiſtris traditus literarum, neq; prima unquã elementa cognoſcens, habebat inſitum bonum ſemper incolume, naturalem magiſtrum, conſcientiam ſuam. Quem tanta gratia ſcientiæ ſpiritualis ornabat, ut in eo euidentiſsimæ quod ſcriptum adimpleretur, dominus cæcos ſapientes facit. Teſtamentum quidem uetus, ac nouũ ad uerbum interpretatus eſt, ſectas autẽ omnes, tam ſubtiliter firmiterq; expoſita ſuper ipſas ratione diſſecuit, ut omnium ſcientiam ueterum, peritiamq; tranſiret. Qui cum me cogeret quondam, ut orationem in cella ipſius facerem, nec tamen eius acquieſcerem iuſsioni, hoc referendo dicebat: Ad iſtud inquit, hoſpitiũ ter benedictus Antonius, dum me uiſitare dignatur, ingreſſus eſt: & rogatus a me, ut in hoc loco 5 flecteret genua, & precem funderet, ſtatim fecit, ac ſecundo noluit ſe rogari, ipſis me rebus docens, ſanctorum uoluntatibus obedire. Quamobrem ſi ueſtigia ipſius, inquit, ſectaris ac uitam, quemadmodũ monachus, & pro acquirendis uirtutibus peregrinus; nolo contendas.

5 *Ecce orationem cum genuflexione.*

Hoc quoque idem retulit mihi. Cum inquit, grandi quadam ſolicitudine, ac triſtitia fatigarer propter Iuliani Imperatoris infœliciſsimã uitã, ita ut quadam die uſque ad ueſpertinas profundæ noctis horas non attingerem panẽ, anxietate cõfectus: Forte accidit, ut ſomno reſidens occuparer, & in quadam tranſmigratione animæ, reuelationem talem uiderem: quatuor equites cũ albis equis per diuerſa diſcurrẽtes, clamanteſq;, dicite Didymo hodie hora ſeptima Iulianus mortuus eſt. Surge igitur, & cibũ ſume, & ad Athanaſij Epiſcopi domum mitte, ut ipſe quoq; cognoſcat hoc. Notauit itaq; (ſicut ipſe dicebat) & menſem & ſeptimanã, & diem, & horam, & ſic omnia ſicut audierat, approbauit.

Retulit etiam mihi, & de puella quadam, cui nomen erat Alexãdria, quæ relicta ea, in qua erat ciuitate, conſederat intra quoddam ſepulchrũ, per foramen exiguũ neceſſaria alimenta ſuſcipiens, & neque uiros, neq; mulieres unquã uidens per annos decem. Decimo uero anno dormitione

ultima migratura, seipsam composuit. Quod illa, quæ deferebat ei, iuxta consuetudinem cibum, retulit nobis: Dicens nullum se tunc accepisse responsum, quo audito illitũ hostium, clausumq; patefecimus, & ingressi defunctæ corpus inuenimus. De ipsa autẽ & beatissima Melania mulier Romana (de qua paulo post referam) ista dicebat. Vultum quidẽ ipsius puellæ se uidere nõ potuisse, stantem autẽ ad foramen sepulchri petijsse, ut ei diceret causam, ob quam se in illo sepulchro concluserat. Quæ per memoratum foramen locuta, cuiusdam animus, inquit, in me læsus erat quondam, & ne uiderer eum uel cõtristare, uel perdere, malui me ipsam in sepulchro, dum uiuo, recludere, q̃ nocere animę ad similitudinem Dei factę. Qua dicente rursus. quemadmodũ igitur pati potes o ancilla Christi, ut neminẽ prorsus uideas, sed in solitudine tali, contra accidiam, uel cogitationes habeas tam iuge certamen? Hoc illa respondit. À principio inquiens diei nonam usque ad horam orationi uaco, ex lino opus per horas singulas faciens: reliquo autẽ temporis spacio, cogitatione discurro p sanctos prophetas, Apostolos, atq; martyres, & patriarchas: Cæteris uero horis cibũ panis capio, appropinquante uespera: cũ maxima quiete dominum meum glorificans, finemq; uitæ meæ cũ spe bona patienter expectans. Sed ne illos quidẽ tacitos præteribo, quorũ uita omnis in contẽptu quodam propriæ salutis fuit, ut ex hoc etiam benemeritos prædicemus, & legentibus cautelæ studio consulamus.

Vbi supra capite. 2. Virgo quædam solo nomine, Alexãdrię fuit, quæ quantũ ad speciem pertinebat, humilis uidebatur, quantũ autem ad propositũ ipsius, animę inflatioris erat, uarijs opibus satis diues, amatrix potius auri quã Christi; nusquã procedere solens, non peregrino, non uirgini, nõ uim patienti, nõ monacho, non ecclesiæ, non pauperi uel exiguã stipem prębens. Hęc sanctorũ patrũ frequentibus monitis, nunquã a se tam inutile animæ põdus abiecerat. Habebat autẽ & nonnullos parentes, inter quos filiam sororis suæ adoptauerat sibi, qua sola diebus ac noctibus fruebatur, omisso atque contẽpto amore cœlestium. Nonnunquã enim & hæc species, quã diabolus immittit, erroris est, ut sub affectus colore, qui deberi uidetur affinibus, auaritia cupiditasq; nutriatur. Quod autẽ nullam dęmon propinquitatis, & generis curã gerat: hinc profecto monstratum est; ipse enim est, qui homines in matres, in fratres, in patres cogit fieri parricidas. Qui etiam si prætendere quibusdam aliquando uideatur necessitudinẽ parentelæ; non ideo illud, ut prosit isdem facit, sed ut animabus eorũ iniustitiæ crimen accumulet, diuinæ non ignarus sententiæ, quæ iniustos ab hæreditate regni cęlestis excludit. Potest sanè quis spirituali scientia, diuinoq; amore cõmotus, nec propriæ animę salutẽ contemnere, & suis parẽtibus, (si forsitan egere uideantur) uitę alimoniam pie largiri, sed si penitus animam suam conculcat & despicit, sola propinquitatis solicitudine occupatus, sententiam diuinæ legis incurrit, animã (ut dixi) suã deputans uanitati. Sacer autẽ conscriptor ille psalmorũ canit de ijs, qui animæ suę curam,

metu maximo gerunt dicens: Quis aſcendet in montem domini? hoc eſt dicere, ſatis raro. Aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in uano animã ſuam. Illi nanq; in uano animã ſuã accipiunt, qui putant eam, unà cũ corpore diſsipari, atque diſſolui, uirtutum ſcilicet ſpiritualium contemptores.

Iſtam ipſam nomine uirginem uolens ſanctus ille Iſidorus presbyter detractione ſanguinis (ut dici in prouerbijs ſolet) facere a cupiditatis onere, utcunq; leuiorẽ, tali erga eam uſus ingenio eſt. Præerat autẽ (ut prius dixi) cellulis fratrũ pauperũ atque debilium. Idemq; in primis iuuentutis ſuæ annis in lapidibus & margaritis probandis, uidebatur peritus. Acceſsit igitur ad eam dicens: Lapides ad me neceſſarij, atque pretioſi ſmaragdi, & hyacinthi ſubito uenerunt; & ſiue quis inuenerit eos, ſiue furatus ſit, ſcire non poſſum ſtatuere autem ipſorum pretium nequeo, quia cuiuſlibet ſummã quantitatis excedunt. Omnes enim ſimul quingentis ſolidis diſtrahuntur. Si ergo eos tibi placuerit cõparare, poteris unum ex ipſis quingentis uendere ſolidis, & reliquos neptis tuæ monilibus deputare. Suſpenſa igitur omnimodis illa quæ dicebatur uirgo, in affectu puellę decipitur huiuſmodi ornatu, & cõplexa illius pedes orat & petit, ne quis memoratos lapides alter acciperet. Cui ille ſanctus dum auide hortatur, hæc dixit: Veni in domũ meam, ut hæc quæ diximus uideas. Ad quod illa non acquieſcens, ſed magis quingentos ſolidos in ſinum illius fundens ait, quemadmodũ uis, ipſe eoſdem lapides tolle: Ego enim nolo eũ uidere qui uendit. Acceptos ille igitur quinquentos ſolidos, pauperibus, debilibusq; mox diuidit. Poſt aliquantũ uero tẽporis ſpaciũ, quia magna opinio ipſius apud omnes Alexandriæ erat (quippe qui & miſericors eſſet, & in cultura Dei præclarus & ſenior, qui iam uſque ad centeſimi quoq; anni curricula perueniſſet, quod ego etiã qui cũ illo diu fuerã ſatis agnoueram) erubeſcebat eũ uirgo memorata ſuper ipſis ſolidis admonere.

Ad poſtremum cũ illum forte in eccleſia repeiiſſet, alloquitur: Quid inquit, iubes precor, de lapidibus illis, pro quibus quingentos ſolidos dedimus? Cui ille reſpondit: Ex quo, inquit, mihi aurũ dediſti, ex eo illud pro pretio ipſorũ lapidũ dedi, & ſi uenire deſideras, ac uidere eoſdẽ in hoſpitio meo (illic enim iacent) ueni & uide ſi poſſunt tibi placere: ſin minus, aurũ referes quod dediſti. Quo illa libenter audito, ad presbyteri domũ pergit, in cuius ſuperioribus fęminæ debiles habebantur; in inferioribus autẽ uiri. Vbi autẽ cũ ea intra primas fores ingreſſus, dicit eidẽ; quid uis primum uidere hyacinthos an ſmaragdos? At illa: Quod iuſſeris. Ducit itaque eã ad ſuperiores domus partes, oſtenditq; ei conſciſsis fęminas mẽbris, & uultibus totis uaria morboſitate laceratis, dicens ad eam, iſti ſunt hyacinthi. Inde deſcendens, oſtendit ei ſimiles in inferioribus uiros, & ait: Iſti ſunt ſmaragdi, ſi placent tibi, ipſa conſidera, ſin minus, aurum recipe quod dediſti. Itaque egreſſa eſt domũ, nimio rubore confuſa, & plurimũ triſtis, quia uideret ſe illa uoluiſſe facere, quæ Deo placere non poſſent.

Moxq; ægritudinẽ incurrit, ut rediit, non enim hoc ſecundũ Dei fecerat uoluntatẽ, ſed ingenioſa uiri ſanctiſsimi neceſsitate compulſa. Paulo poſt autem maximas presbytero gratias egit, propter quod puella, cuius nimiam curam gerebat, nupta quidem, ſed ſine filiorum educatione defuncta eſt.

Habetur in libro prædicto cap. 2.

VITA MONACHORVM MONTIS NYTRIÆ, necnon Ammonis ſerui Dei, per Palladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

2. CVm per triennium in monaſterijs (qui circa Alexandriam ſita ſunt) cõmoratus fuiſſem, & optimos illic uiros abſtinentiæ uirtutibus adornatos uſque ad duo milia hominũ, ſanctiſsimosq; uidiſſem; inde deſcendens ad montẽ cui Nytriæ nomen eſt ueni. In medio autem iſtius montis & Alexandrinæ ciuitatis, interiacet Lacus, qui marie uocabulo nominatur, per ſeptuaginta milium ſpacia diffuſus. Quem cũ uno ac medio transfretaſſem die, ad meridianã partẽ præfati fontis acceſſi. Cui monti penitus deſerta adiacent loca, quæ Ethiopiam uſq; tenduntur, & uſque ad Mangicum ac Mauritanium ſolum. In quo monte degebant quinq; milia (ut arbitror) uirorũ, qui diuerſum propoſiti ſui inſtitutũ tenentes, prout uellent poſſentq;, uiuebant, ita ut alij quidam liceret ſoli manere ſi cuperet: alius cũ uno tantũ fratre ſi uellet, alius cũ multitudine ſi hoc deſideraſſet habitaret. Quo in monte tam memoratis ꝙ illis, qui ad ultimas ſe ſolitudines contulere ſexcentis uiris, ſeptẽ piſcinis alimẽta præbentur. Huius igitur montis per totum annũ uſus hoſpitio, plurimumq; a beatis patribus inſtructus & doctus, ab Arſiſio maiore, & Putubacto, Agione, Serapione & Chromo, multisq; ſeniorũ ſpiritualium relationibus ſuper ijs qui ante ipſos fuerant, incitatus, uſque ad alia ſolitudinis loca interioris, acceſsi.

In ipſo autẽ Nytriæ monte unam eccleſiam maximã uidi, in qua ſunt tres arbores dactilorũ, ex quibus ſingulis ſingula flagra dependent: quorum uno ij, qui peccant monachi uerberãtur, alio latrones (ſi inciderint forte) ceduntur; tertio delicta eorũ qui undecunque conuicti in peccato uapulari meruiſſent, memoratus amplectẽtes arbores, & certas tergo accipientes plagas dimittebantur, Eſt etiam circa ipſam eccleſiã cella ſuſcipiens peregrinos ac pauperes fratres, in qua cũ acceperint aduenã quem libet, per tantũ illic tempus alunt, donec ipſe propria uoluntate diſcedat, biennio ac triennio ſi uoluerit quis, illic manere non prohibentes. Vnius autẽ ſeptimanę ex quo ueniſſet, ei ocium dabant, reliquos uero dies quod cunque opus eundem facere cogebant; deputabantq; eũ aut piſcinis, aut ortulis, aut coquinis. Si autẽ honeſtior aliquis minusq; aptus huiuſmodi operibus uideretur, legendũ ei codicẽ dabant, omnesq; uſque in horam ſextã a conſpectu ipſius, & confabulatione prohibebant. In hoc monte

& placentarij habentur & medici. Vtuntur quoq; uino. Nam illic etiam uina uenduntur. Omnes autē isti manibus conficiunt lintheamen, ex cuius operis emolumento, nulli eorū deficit ad uitā. Est autē maxime uoluptatis circa uespertinas horas ex unaquaq; mansione monachorū, uarias audire uoces, 1 psalmos Christo canentium. Quo tēpore siquis assistat, & diligenter aduertat, putabit se subito sublatum, & in paradiso constitutum. Ad ipsam uero ecclesiam solo sabbato, & dominico die conuenire consueuerunt.

1 *Vide cantum & psalmodiam apud Monachos antiquitos fuisse.*

Sunt autē in ipsa octo presbyteri, inter quos quādiu primus presbyter uiuit, nullus præter ipsum, alter aut sacra offert Deo, aut tractat, aut iudicat, sed silent semper, solo cōsessus honore contenti. Ille uero maior Arsisius, & alij multi cū ipso senes sanctissimi, quos & ipse tunc uidi, eiusdem tēporis cuius & beatus Antonius, erant; qui nobis etiā sanctū Ammonē Nytriodē se nosse dicebant illū, cuius animā dum ab angelis ferretur ad cœlū, uidit Antonius. Hic ergo referebat quod & Pachomium tabennosiotē aliquando uidisset, uirū prophetica gratia clarum, & in monasterio tria milia monachorū regentē; de cuius uirtutibus post paululū loquar. Ipsum enim Ammonem in hunc morem uixisse dicebat.

Cum esset (inquit) puer à parentibus derelictus, & ad uiginti duorum peruenisset numerū annorū, inuitus ab auunculo suo matrimonij uinculis alligatus est. Qui cū resistere nō posset ei, quæ à parente ingerebatur necessitati, & in nuptijs iussus est coronari, & in thalamo sedere cōpulsus est, & omnia patienter sufferre solennia nuptiarū coactus est. Postq̄ autē uniuersi à thalamo recesserūt, nouis nuptijs in lectulo collocatis, sanctus Ammon surgit è lectulo, ostium claudit, uocatq; residens benedictā illā, & uere unanimem coniugē suā, dicens. Veni inquit domina, ut tibi causam huius coniunctionis exponā. Nuptiæ nostræ huc usq; sunt tantū, nihilq; in se amplius habent; bene ergo faciemus, si de reliquo quisque nostrū separati quiescat, 2 ut & Christo placere possimus si intacta uirginitate uiuamus. Prolatū autē de sinu paruū libellum nescienti scripturas sanctas puellę, ex persona Apostoli ac Saluatoris legebat, cui lectioni alia secundum sensum suū longe plura coniungens, exponebat eidē castitatis uirginitatisq; conuersationē, ut illa post satisfactionē in ictu gratia diuinitatis impleta diceret, mihi quoq; persuasum scias domine, castam uitā libenter amplecti. Quid ergo iubere amplius uelis expecto. Cui ille hoc (inquit) iubeo & rogo, ut unusquisq; nostrū separati ab hoc die maneat, ad quod illa non acquieuit, dicens: In eadē quidē cella, sed in lectulis separatis manere debemus. Cūq; hoc utrisq; placuisset, 3 decē & octo annos uixerunt, ita ut illa quidē totis diebus esset in cella, ille autē insisteret operi in ortulo quem colebat, & balsamū ea qua peritus erat arte conficeret. Quod tamen Balsamū multo labore ad imaginem uinearū, & plantatur & colitur, & putatur. Vespertinis autē horis regressus domū orationibus factis, & cū eadē cibo sumpto, ac rursus nocturnis precibus ex more cele-

2 *Ecce quomodo sāctus pater uxorem hortatur ad seruandā uirginitatem, & non ad consumandum matrimonium.*

3 *Tu qui dicis impossibile esse seruare uirginitatem, uide quod cum Dei gratia facile potes, modo id facere uelis.*

bratis, ad opus solitum primo mane pergebat.

Interea dum eorũ esset hæc uita, exclusa ab utroq; penitus omni corporalis illecebræ passione, oratione sancti id quod aliquando cupiebant, obtinere cęperũt. Ait enim eidẽ ad postremũ beata illa: Domine, inquit, mi, habeo quod dicã. In quo si me audieris, probabitur mihi, quod me secundum Deum diligis. Hortatur ille, ut quod ei placeret ediceret. At illa iustum mihi hoc (inquit) uidetur, cũ ipse sis sexus uirilis, & iustitiæ totus inseruias; cũq; ego quoq; propositi tui æmuler uiam, ut diuersis ad multorũ ædificationẽ mansionibus separemur. Inconueniens enim atque incongruũ puto, propter me tantã in occulto te habere uirtutẽ, nec ulli esse cognitũ quod in hac castitate, atque pudicitia domini amore simul uiuimus & manemus. Cui ille gratias agens, Deumq; glorificans, ita respondit; Bene tibi placuit mi domina soror. Habe igitur hanc ipsam cellam, ego autẽ aliam mihi facere tentabo. Egressusq; ab ea, mox interiora loca Nytriæ penetrauit. Nec dum enim tunc monasteriorũ illic fuerat multitudo, fecitq; sibi duarũ uolumina cellularũ, atque ita in solitudine uiginti aliis annis ac duobus trãsactis, defunctus est: Imo 4 magis somno quieuit, cũ sexaginta duos ætatis suæ annos finisset. Per singulos tamẽ annos sedulo semper uidebat beatam illam coniugem suam.

4 *Vide quod sancti magis dormire quã mori dicuntur.*

De hoc illud miraculũ sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus retulit, in eo opere quo uitã descripsit Antonij, quod aliquando unà cum Theodoro discipulo suo Lycum nomine fluuium cupiens transfretare, & erubescens sibi uestimentũ detrahere, ne nudum unq̃ suũ corpus aspiceret, subito sine naui in alterã fluminis partẽ angelo uehente translatus est. Iste igitur Ammon ita uixit, atq; obijt, ut ipsius animã 5 sanctus uideret Antonius, cũ ab angelis ferretur ad cœlum, memoratum uero fluuium, naui ego cum metu transiui. Est enim illic deriuatio quędam magni illius fluminis Nyli.

5 *Aduertis animas sanctorum post mortem ferri in cœlo?*

Habetur in eodem libro qui Paradisus Heraclidis dicitur cap. 2.

VITA OR, PAMBO ET AMMONII MONAchorum montis Nytriæ, per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

3 IN monte etiam qui Nytrias dicitur, monachus erat quidam cui Or fuit nomen, cuius uirtutẽ multorũ quidẽ fratrũ testimonia prædicabant, specialiter tamẽ ancilla Dei Melania, quę ante me ad loca ipsius montis accesserat. Nam ego superstitẽ supradictũ uirũ uidere non potui. Hęc ergo de conuersationis eius uirtutibus referebat, quod nec mentitus unquã fuerit, nec iurauerit, nec maledixerit cuiquam, nec sine necessitate aliqua sit locutus.

Huius montis habitator & beatus Pambo fuit. Quem & Dioscorus Episcopus, & Ammonius, & Eusebius, & Euthimius fratres, & Origenes, & Dracontius uiri admirabiles, & nepos, habuerunt magistrũ. Qui

Pambo & cũ multis ac uarĳs uirtutũ prærogatiuis, palmisq́; præcelleret, inter ipſas etiam hoc habuiſſe præcipuũ memoratur, quod intantũ auri, argentiq; contẽptor fuit, ut præceptũ domini uideretur impleſſe. Referebat ergo mihi Venerabilis ipſa Melania, quia profecta de urbe Roma, Alexãdriam primũ fuiſſet ingreſſa. Cũq; multa de ipſius uiri uirtutibus Iſidoro presbytero & Xenodochio referente cognouiſſet, & eodẽ duce ad eũ in ſolitudinẽ perueniſſet: obtuliſſe ſe illi trecentas argenti libras, ac precatã fuiſſe, ut aliquid ex eius rebus acciperet. Qui cũ ſederet (inquit) & uimen integeret, ſola me uoce benedixit & ait, det tibi mercedẽ Deus. Deinde dicit œconomo ſuo: Suſcipe caute, & diuide per omnes qui ſunt tam in Lybia, q̃ in inſulis fratres. Hæc enim monaſteria plus uidẽtur egere, quã cætera. Hoc quoq; ei præcipiens, ne quid ex ea pecunia ĳs qui in Ægypto degunt daret. Propterea quod regiones illas alimẽtis ſciret amplius abundare. Cũ autẽ memorata fœmina, ſicut retulit mihi, ſtaret, & benedictionẽ pro munere dato expectaret aut laudẽ, nihilq́; ab eo audiret, ulterius ait ad illum. Scito domine trecentas eſſe in hac argentaria libras. Qui iterũ ne rurſus quidẽ prorſus aſpiciens illam, ita reſpondit: Cui exhibuiſti hæc o filia, nõ opus habet à te menſurã cognoſcere; nam qui montes lance penſauit, multo amplius nouit quantum ſit huius pondus argenti. Et ſiquidẽ mihi iſtud offerres, cõpetenter hoc diceres. Cum autẽ non mihi ſed illi dico, quem non ſpreuiſſe, imo amplius honoraſſe duos illos nummos agnouimus: tace, quieſce.

Sic autẽ dominũ ordinaſſe dicebat: ut poſt paululum tẽpus poſteaq̃ ad ipſum uenerat montẽ, Dei ſeruus illo requieſceret; qui non ægritudine, non febre aliqua fatigatus eſt, ſed ſportellam conſuendo ſeptuageſimo ætatis ſuæ anno quieuit in pace. Ante horã uero qua de ſeculo exiens ſpiritũ ſuũ cõmendaret, uocauit me, & in poſtrema conſummatione ſui operis confidenter ait: Accipe hanc ſportellam de manibus meis, quia nõ habeo aliud quod relinquã tibi, ut memor ſis mei. Cuius corpore inuoluto in lintheo, & ſepulturæ tradito, ex deſertis locis abſceſsi uſque ad finẽ proprium, hæreditatem ſancti illius habens mecum.

Hic ipſe Pambo in fine uitæ ſuæ, ipſaq́; hora qua exiturus erat ẽ ſeculo; aſsiſtentibus ei Paulo presbytero, & œconomo, & Ammonio ſanctitate famatis uiris, & cæteris fratribus, hoc dixiſſe memoratur. Ex quo ueni in iſtum ſolitudinis locũ, & habitaui in cellula, quã meis manibus extruxi, panẽ gratis ab aliquo me manducaſſe non memini, nec uerbũ uſq; in præſentẽ horã locutus ſum, de quo pœnitentiam agere debuiſſem. Ita tamen ad dominum deum pergo: tanquam nec dum diuinæ ſeruitutis cultum attigerim. Aſſerebant autem nobis referentes, & teſtimonĳs confirmantes ſuis Paulus & Ammonius ſerui Chriſti, quia nunquam cum aliquid interrogatus fuiſſet uel de ſpiritualibus, uel de ſecularibus ſcriptis citius reſponſum ſciſcitantibus dedit; ſed ſemper, necdũ ſe quod reſponderet inueniſſe dicebat. Sæpe autem, & cum menſium ſpacia fluxiſſent

nec sic quidem responsum quęrentibus dabat, adhuc se non asserens peruenisse ad notitiam ueritatis. Tam diligentes autem cautasq; secundum deum sententias proferebat, ut eas omnes tanquam ab ipso deo prolatas susciperent. Hanc enim Antonium quoque illum magnum perhibent habuisse uirtutem.

Factum etiam huiusmodi ipsius Pambo, inter alia fertur, quod cum Pior monachus uenisset ad eum, proprium panē ferens, & ob hoc ab illo repręhensus fuisset, interrogatus ut diceret cur hoc fecisset, respondit dicens ne hospes ab hospite grauaretur, quem ille tantum tacendo repræhensum dimisit continuo. Post aliquantum uero tēporis ad Pior, Pambo memoratus accedens, perfusum aqua panē ut ab his edebatur exhibuit. Qui interrogatus cur hoc fecisset; respondit, iccirco aquam addidi, ne tibi onerosus existerem.

Præfatus autē Ammonius discipulus ipsius, aliiq; tres fratres, & sorores duæ, summo Dei cultu & amore flagrantes, cum ad deserta peruenissent loca, separatas sibimet mansiones fecerunt, ita ut grandi à semetipsis spacio separarentur. Hunc ergo Ammonium quia supra modū lectioni scripturarum uacabat, Ciuitas quędam Episcopum sibi fieri postulauit, cuius ciues cū hoc à benedicto Timotheo quodam petissent, & ille dixisset adducite eum ad me, & faciam ut uultis, cū magna multitudine ad eū quo facilius abstraheretur ingressi sunt, captumq; se ille perspiciens, rogare capit eos, & per sacramēta firmare: acquiescere se omnino non posse ut uel exiret ne solitudine quā tenebat. Cunque uideret non concedi sibi, ut faceret quod petebat, ferro aurē sinistram radicitus (cunctis uidentibus) secuit; hęc dicens: Vel nunc probabitur uobis impleri non posse quod cupitis, iubente lege diuina nullū aure pręcisa oportere fieri sacerdotem. Et ita demū relicto eo, ad propria reuerterunt. Cum uero remeassent, & episcopo ista dixissent, ille respondit: A Iudęis lex ista seruatur. Ego autē si dederitis mihi aliquem etiam naribus trunchum, sed moribus probū; non eum dubitabo episcopū facere. Hoc audito pergunt ad ipsum instantissime; eum rursus rogantes. Quo non acquiescente, uim quoque inferre tentabant. Quibus iuratus ille respondit: Si me cogere uolueritis ulterius, etiam linguam meam (quia propter ipsam mihi molesti estis) abscindam. Tunc demū sic eum, cum super hoc nihil proficerent, reliquerunt.

Cuius Ammonii fertur tale miraculum. Cum quædam delectatio carnalis sine ulla corpusculū eius intermissione uexaret, candenti ferro propria membra laniabat, ut ex omni parte plenus esset semper ulceribus. Esca uero eius fuit huiusmodi. A iuuentute sua usque ad obitū [1] crudis est usus cibis, interdum etiam pręter panem. Vetus autē nouumq; testamentū memoriter retinens, etiam libros eloquentissimorū uirorū Didymi, Pierij, atque Stephani usque ad sexcenta milia uersuum legēdo transiuit. Hæc autem de eo testificantur etiam patres sanctissimi in eremo cōmanentes.

1 *Vide quod etiam pane quādoq; abstinuit, & crudis tantum cibis usus est.*

cómanentes. Huius etiã prophetica uirtus multis innotuit. Inter fratres uero qui secreta Eremi diligebant, nullus illo in officio cõsolationis superior. De hoc sententiam beatus Euagrius spiritualis, & uirtute discretionis præcipuus, proferebat dicens, nullum se uidisse hominũ, qui sic superauerit corporeas passiones.

Hic idẽ sanctissimus cũ à Rufino tẽporis illius præfecto prætorij, multiplici supplicatione rogatus fuisset, ut magno illo Ammonio Constantinopolim ob necessarias Eremi actiones adueniente, ipse quoque dignaretur uenire, uehementer id precantibus sanctis diuersarũ prouinciarũ episcopis, alijsq; quã pluribus Eremitis (qui 2 ad dedicationẽ Basilicæ, quã ipse cõdiderat conuenerant) memoratũ Rufinũ proprijs manibus suscepit sacro fonte mundatũ. Quẽ suæ conuersationis merito, plurimũ ueneratus est, sancto Ammonio cupiens in omnibus obedire, qui paulo post dormiuit in dño. Sepultusq; est in Basilica, q̃ appellatur Rufiniana: In 3 cuius sepulchro curari feruntur cuncti, diuersis febribus laborantes.

2 Ecce dedicationẽ basilicarũ etiam antiquis patribus in usu fuisse

3 Vides quod apud sanctorũ sepulchra uirtutes præstantur?

VITA BEATI BENIAMIM MONACHI, PER Palladium Cappadociæ Episcopum descripta.

Habetur in libro prædicto & cap. ubi sup.

IN monte Nytriæ de quo supradiximus, quidam uir fuit mirabilis, nomine Beniamim, per octoginta annos in 1 abstinentiæ uirtutibus, summã donorũ spiritualiũ gratiã consecutus. Qui siue manus cuiq; imposuisset, siue olei 2 benedictionẽ dedisset, ab omni languoris molestia soluebatur. Hic ergo qui talibus diuinæ gratiæ muneribus præminebat, ante octo mẽses dormitionis suæ aquoso languore peruasus, in tantũ miseranda pinguedine suæ carnis intumuit, ut nostris temporibus secundus Iob putaretur.

Assumens itaq; nos Dioscorus Episcopus, qui tunc presbyter Nytriæ fuit, neque & Beatũ Euagrium; hoc modo est allocutus: Venite & uidete nouũ Iob, in tanto tumore corporis, atque insanabili passione singularem patientiam possidentẽ. Euntes igitur uidimus hominẽ in tanto corporis tumore distentũ, ut minorẽ manus eius digitũ, utrarumq; manuũ nostrarũ coniuncti digiti minime complecti ualerent. Cumq; non possemus dura passione eius diu respicere, oculos nostros ab eo deflexinus. Tũc ille beatus Beniamim ait nobis; Orate filij, ut homo meus interior, isto languore sit liber. Hoc nanq; corpus nec sua me sanitate sublimẽ reddidit, nec dolore deiectũ. Per octo itaq; menses illos, facta est ei sella latissima, in qua incessanter sederet, iam nõ ualens in lectulo requiescere, propter reliquas corporis necessitates. Qui tamen in huiusmodi sui corporis passione constitutus, alios Dei gratia sanare consueuerat quolibet languore uexatos.

1 Vide quõ laudat sanctum hominẽ ex uirtutibus abstinentiæ.

2 Ecce creaturarũ benedictionem etiã ab antiquis patribus usurpatam. Quæ si illicita esset & minime Deo placens, non per eam ille languentibus sanitates redderet.

Necessarium igitur existimaui referre huius sanctissimi passionem, ut non admiremur quoties uiris iustissimis quædam corporales necessi-

tates contingunt. Defuncto autem uiro fortiſſimo, poſtes ianuarum (nec enim aliter tanti tumoris corpus ejci potuiſſet) ſublati ſunt.

Habetur in libro qui Paradiſus Heraclidis uulgo dicitur cap. 5

VITA ABBATIS APOLLONII COGNOMENTO ex negociatoribus, & duorum aliorum fratrum conuerſorum per Palladium Epiſcopum Cappadociæ ſcripta.

APollonius quidam nomine, unus ex negociatoribus renuncians ſeculo, montemq; Nytriæ habitans: cum iam neque artē diſcere præualeret ſenio præpeditus ætatis, neque abſtinentiā ſpirituali ſcriptura mandatam, huiuſmodi continentiam, ſibi inſtituiſſe cognoſcitur. Ex proprijs pecunijs atque laboribus, omnem remediorum ſpeciem atque cellaria in Alexandria cōparans ciuitate, cunctis fratribus languentibus exhibebat. Videres autem eum à principio diei nonam uſq; horam uniuerſa tam uirorum q̄ feminarū, monaſteria peragrantem, & per ſingula per ægrotos oſtia uiſitantem, portantemq; ſecū uuam paſſam, malogranata, oua, ſiligines, quæ maxime neceſſaria uidentur infirmis: Ad talem ſeſe uitam cui ſoli aptus erat, hic famulus Chriſti inſtituerat in ſenecta. Qui tamen ante obitum ſuum, eum aliquem ſui ſimilem reperiſſet, ei omnē miniſterij huius ſupellectilem tradidit, comprecatusq; eſt eum, ut huiuſmodi curam fratribus exhiberet. Cum enim quinque milia monachorū in ſupradicto monte conſiſtant, neceſſaria uel maxime talis ſollicitudo eſt & conſolatio, ſine qua in deſertis illis nō uiuitur locis.

Alij etiam duo quidam fratres fuerunt, quorum pater emendis, uel mutandis mercibus ſtudens, uſque ad Hiſpaniam ſemper negociando pergebat. Quo mortuo, diuiſerunt inter ſe ſubſtantiam eius, quæ in mobilibus tantum erat. In auro quidem quinque milia ſolidos, in mancipijs uero uel ueſtibus quicquid inuenire potuerunt. Iſti igitur uno animo, cōmuniq; conſilio inter ſe tractare cęperunt, dicentes inuicem ſibi: Quā frater eligimus uiam uitæ? ſi mercationē in qua pater noſter uixit arripimus, etiam ipſi labores noſtros alijs relinquimus, nosque fortaſſe euntes in pericula, præcipites uel marini, (ut aſſolent) fluctus, uel latronum tela conſument. Sequamur igitur frater ſolitudinē magis, uitamq; monachorum, ut & paternam hæreditatē lucremur, & animas noſtras nulla rerū malarum contagione perdamus. Quod propoſitum cum utriſque placuiſſet, in electione ſolitariæ uitæ, diuerſum ſinguli tenuerunt iter.

Diuiſis igitur quas pariter reliquerant rebus: unum quidem habuerunt uterque propoſitum, ut placerent Deo, ſed non in una inſtitutione uiuendi, ambo placuerunt. Alter enim ex ipſis omnibus ſuis rebus per omnia monaſteria, & eccleſias, & carceres diuiſis, artem ſibi reperit quandam, ex qua quotidiani cibum panis acquirens, ei quam elegerat uitæ & orationi uacabat. Alter autem nulli ex ſubſtantia propria quicquam dedit, ſed monaſterium ſibi fecit: Vbi paucis ſecum fratribus collocatis, oēs

aduenas, omnes ſenes, omnes pauperes, oẽs ſuſcipiebat infirmos, & per dominici, aut ſabbati diem, ternas & quaternas menſas indigẽtibus exhibebat, hisq; uniuerſam ſubſtantiam modis quoad uixit expendit. Quo utroq; defuncto, beati ambo, diuerſis opinionibus probabilis uitæ conſumatione celebrantur. Et iſte quidẽ alijs, ille uero alijs ſemper placebat.

Ex quorũ laudibus orta inter fratres contentione, quod uterque uideretur fuiſſe perfectus, ad ſanctũ Pambo, ut ab eo uerũ cognoſcerent pergunt. Quẽ cum iudicẽ elegiſſe ſe dicerent, peterentq;, ut quis ẽ duobus fe ciſſet melius, edoceret: Vtrunque ille apud Deũ perfectũ eſſe reſpondit. Nã alter quidẽ ex ipſis Abrahæ, alter Heliæ moribus uixit. Cumq; non ſedato intra ſe certamine dicerent, deprecantes, quẽadmodũ pares poſſunt uideri, & nõ magis pręcedat ille qui 1 euangelica pręcepta cõpleuit, qui cuncta uendidit, pauperibus donauit, quiq; per oẽs horas, oẽs dies, omnesq; noctes, dominicã crucẽ portans perpetua ſaluatorẽ oratione comitatur? Cumq; alij diuerſa ex parte contenderent dicerentq;, quia iſte, quẽ nos amplius pręlicamus, tãtũ circa egẽtes tribulatos ſuũ oſtẽdit affectum, ut aggeribus publicis aſſideret, oẽs undecunq; colligeret, & nõ ſuæ tantũmodo conſuleret animæ, ſed multas atq; multorũ curando infirmitates, ac neceſſaria præbẽdo ſaluaret. Ita beatus Pambo ad utroq; reſpondit: Idẽ iterũ uobis loquor, pares ambo ſunt apud dominũ, & utriſq; me ſatisfacturũ puto. Hic enim ſi tã perfectus monachus non fuiſſet, dignus profecto nõ eſſet, ut eũ bonitati illius compararẽ. Ille uero reficiens egenos atq; peregrinos, aliquod ex ipſa cõmunione ſolatiũ ſentiebat. Nã & ſi labores ipſius eſſe magni oneris uidebantur; attamen habebat & requiẽ aliquã cũ labore. Expectate autẽ ait, ut ſuper hoc (deo reuelante) cognoſcam Quod cũ ueneritis ad me, deinceps audietis. Poſt paucos itaq; dies cũ eũ rurſus rogarent, beatus ille ita reſpondit, dicens. 2 Ante Deum, uobis loquor: utroſque in paradiſo ſimul ſtare conſpexi.

1 *Tu qui dicis pauperTatem Euangelicam non habere mandatũ dei uolẽtibus eſſe perfectis, uide quomodo hic deſtruatur mendacium tuum.*

2 *Si ambos in paradiſo ante deum ſtare conſpexit, ergo animæ ſanctorum poſt mortẽ recipiuntur in cœlo.*

VITA MACARII MONACHI HOMICIDÆ per Palladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

Habetur in libro qui Paradiſus Heraclidis uulgo dicitur, cap. 4.

6.

IVuenis quidã qui Macarius dicebatur, annorũ decẽ & octo, dum eũ æqueuis ſuis pecora paſcens iuxta lacũ (cui marie nomen eſt) ludit, homicidiũ fecit inuitus; nulliq; quicq; dicens, ad deſerta perrexit, in tantũ humano, atq; diuino territus metu, ut amens factus per triennium uideretur, dum ſine tecto in ſolitudine permaneret. Eſt enim terra ipſa ſemper ſine pluuijs. Norunt hoc quod loquor cuncti, qui & ſcripturarũ lectione, & experientia rerũ periti ſunt: Ipſe beatiſsimus quẽ dico, in deſerto ſibi in cellulam fecit. In qua uigintiquinque alios annos ætatis ſuæ uiuens, talem diuinã gratiam meruit, ut exultans ſolitaria uita, illuderet dæmones, atque deſpiceret.

Hic mihi apud quem multum tẽporis feci, interroganti quas animus

ipsius de facto homicidij cogitationes haberet? usque adeo se tristem nõ esse dicebat, ut ex ipso homicidio quod ignarus admiserat, gratias actitaret. Inde enim aiebat: occasionẽ sibi salutis allatam. Dicebat autẽ scripturarũ testimonia proferens, quod nunquã magnus ille famulus Dei Moyses, diuinitatis meruisset intuitũ, neque tantũ assecutus donũ Dei fuisset, ut mysteria cœlestia ac sancta conscriberet, nisi Pharaonis regis metu propter homicidium quod in Ægypto admiserat, ad Syna montis deserta fugisset.

Hæc autem ego dico, nõ ut ad homicidium quenquã uidear incitare, sed ut ostendam magis quod ex malis rebus interdũ, si in eas incidamus inuiti, occulta Dei prouidentia ad uirtutis gloriã peruenimus: Alia enim genera uirtutũ necessitati ascribimus, alia uoluntati.

Habetur in libro ubi supra capite. 5.

VITA BEATI ABBATIS NATHANAELIS per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

7. FVit alter quidam de antiquis uiris nobilissimus agonista nomine Nathanael, quẽ ego superstitẽ quidẽ uidere non potui: Quieuerat enim ante quindecim annos aduentus mei: ab illis tamen, qui unà cũ ipso per multũ tẽpus uixerant, monachis, uirtutẽ ipsius uiri diligẽtius requisiui. Ostenderunt autẽ mihi, & cellam ipsius, in qua quidem post ipsum, nullus habitauit, eo quod uiciniam ipsius loci homines incolebãt. Tunc enim cellam suam ille beatus construxerat, quando adhuc aliqui se ad secreta solitudinum non conferebant.

Hoc autẽ ab illis magnũ continentiæ bonum de memorato cognoscebam uiro, quod tantæ in cella sua patientię fuit, ut in proposito suo nunq̃ omnino titubauerit, ex quo primũ irrisus, atque tentatus uidebatur a dęmone, qui omnes & illudit, & fallit, cuius fraude, & ex priore acediam ꝑpessus, cella dicitur recessisse, aliamq; uicinã uico cuidã fabricare cępisse. At ubi & perfecit alterã mansionem, & in ea cępit habitare, post tres uel quatuor menses per noctẽ ad eum dæmon accessit in specie militis, imagineq; carnificis figuratus, q̃ pannis obsitus, sordere deformiter, sonumq; flagris facere uidebatur. Ad quẽ beatus Nathanael hæc dixit: Quis nam inquit, tu es, qui talia in hospitio meo facere conaris? Ille respondit. Ego sum qui te priore cella fugaui; quiq; nunc ueni ut ex hac quoq; mansione te pellerẽ. Quo audito, ille ubi illusum se uidit a dæmone, reuersus est statim ad habitaculum prius, ac triginta & septẽ annos in eadem mansione cõpleuit, ne ipsum quidẽ limen egrediens, contendendo cum dæmone quem superare cupiebat. Qui quidem tantis eum machinationibus impugnando uexabat, ut quocunq; modo cellam suam cogeretur exire, quantas singulatim referre non possum.

Inter quę ĩmundus ille spiritus hoc quoque aggreditur, ut eũ a proposito sui lege deflecteret. Aptato nanq; aduentu quorundã septẽ sanctorũ

episcoporũ,

episcoporũ, qui ad requirendum eũ siue prouidentia Dei, seu dæmonis tentatione uenerunt, cũ episcopos ipsos post orationẽ factam egredientes, ne uno quidẽ passu prosequeretur: Dicunt ad eum diaconi episcoporum, superbam rẽ admodũ facis abba, quod non deducis sanctos episcopos. Quibus hoc ille responsum dedit: Ego & dominos meos Episcopos ueneror, & oẽm clerum debita honorificentia prosequor, cunctorumq; hominũ me extremũ esse non dubito, sed & his, & uniuerso seculo mortuus sum. Occultum autẽ propositum, & mei cordis arcanũ deus nouit, propter quod sanctos non prosequor uiros. Deceptus igitur dæmon ac lapsus de spe præsentis ingenij, aliam contra ipsum ante nouem menses obitus eius, artem machinatur.

Fit subito paruulus puer ueluti annorũ decem minans asinum, panes in cista ferentẽ, qui cum ad cellam ipsius multa satis nocte uenisset, asinũ in terram ruisse simulauit, & clamantẽ paruulum finxit. Abba, inquit, Nathanael, miserere mei, & manũ mihi porrige. Audita ille ista quasi pueri paruuli uoce, intra ostium cuius partẽ recluserat stat dicẽs ei. Quis es tu? uel quid à me cupis fieri? Puer sum, inquit, illius monachi, & eidem panes porto, quia ipse frater tuus agapen facturus est. Crastino autẽ illucescente sabbati die, necessaria est hæc oblatio spiritualis. Quæso igitur ne despicias iacentẽ, ac ferarum morsibus tradas: multę enim beluæ inter illa semper deserta noscuntur.

Stabat sanctus Nathanael uelut æneus uehementer incertis cogitationibus stupens, sensu turbato secum ista uersabat. Necesse est me, aut misericordiam quod est maximũ in præceptis diuinis non facere, aut à proposito deuiare. Ad postremũ rationabili confirmatus ingenio, satis esse melius iudicauit, si & diabolus erubesceret, & tantũ ei, ac tot annorũ meritum non periret. Oratione igitur ad deum facta, respondit ei, qui quasi paruulus loquebatur, audi infans. Credo in ipso, cui seruio, qui dominatur omni spiritui, quia si necessarium habes alicuius auxilium, ipse præstabit: Nec tibi aut feras, aut quempiam alium nocere patietur. Si autem quædã res ista tentatio est, iam nunc dominus meus aspiciat, & suam faciens uoluntatẽ, non me ex ea lædi concedat ulterius. Tunc clauso ostio, se recepit. Confusus autẽ dæmon & uictus, resolutus est in turbinẽ uenti, & in sues agrestes, discursibus ac strepitu lasciuientes. Hæc beati Nathanael uita fuit perpetua, hic finis, hæc palma.

VITA DVORVM MAGNORVM MACAriorum, unius Ægyptij, alterius Alexandrini, necnon & Marci Monachi, per Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

Habetur in libro ubi supra capite. 6.

ILla quæ de prædicabilibus ac beatis referuntur uiris duobus Macarijs, ut innumera atque infidelibus incredibilia dubito referre uel scri-

bere, ne forte etiam mendacis nomen incurram. Quod autẽ apud deum pereant omnes, qui loquuntur mendacium, sententia sancti spiritus declarauit. Me itaque fidelissime uirorũ Lause, gratia domini non mentiente, tu quoque sanctorũ triumphis incredulus non existas.

Ex his duobus Macarijs, unus quidẽ genere Ægyptius, alter uero iunioris tempus ætatis uincens uirtutibus, Alexandrinus negociator erat. Prius tamen de illo Ægyptio loquar, qui uixit nonaginta omnes simul annos. Ex quibus sexaginta in desertis impleuit locis: ad quæ iuuenis fuerat ingressus tricesimo ętatis suæ anno. Tantoq; abstinentiæ monachalis intra decẽ annos uixit certamine, ut iam tunc discretionis sapientia præmunitus, senis puer nomen acciperet, eo quod uelocius ad matura conscendit certamina. Vbi enim primũ esse quadragenarius cœpit, & contra spiritus aërios, & in curationibus hominũ, & denunciationibus futurorũ diuinã gratiam meruit, postremo etiam sacerdotis. (ut dignus erat) nomen accepit. Discipulos hic secũ habebat duos, in desertis interioribus quæ scytim uocantur: quorũ unus minister ipsius erat, nec ab eius latere recedebat, propter eos qui causa curationis frequentare consueuerant: alter autẽ separatim in propria cella manebat. Post aliquantũ autẽ temporis dum prouidentibus futura oculis intuetur: Ait Ioanni nomine ministro suo, (qui postmodũ etiam ad presbyteratũ, loco eiusdẽ sancti Macarij meruit peruenire) Audi inquit me ô Ioannes frater, & suadenti mihi id quod tibi proderit acquiesce. Tentatis enim & te cupiditatis atque auaritiæ spiritus uexat. Sic nanque uidi & scio; quod si acquieueris mihi, consumaberis in hoc quẽ adeptus es loco, & gloriaberis, & flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo. Sin uero me audire nolueris, Giezi tibi finis adueniet, cuius & morbo laboras.

Euenit igitur ut post obitũ beati uiri, tam salubria eius dicta contẽneret post quindecim uel uiginti annos. Vnde eum ita totũ ille execrabilis morbus inuasit (eo quod in pauperes fratres more Iudæ, furti crimen admiserat) ut nõ posset incolumis uel una hora pars eius corporis inueniri, ne in tali quidẽ spacio quod unus alicuius digitus occuparet. Est ergo & hoc ex ijs, quæ sanctus Macarius longe ante prædixerat.

De cibo autẽ eius & potu referre superfluum puto, præsertim cum etiam à negligentibus monachis, uideamus ista seruari, ne aut delitiosis, aut secularibus pares esse dicantur, maxime in illis locis, ubi uix necessaria ipsis alimenta sufficiunt; & ubi sunt tantorum, quæ imitari student exempla sanctorum. De alijs igitur meritis ipsius loquar. Sine intermissione semper in quadam esse translatione animæ putabatur, imo magis, plurimum uitæ suæ tempus cum Deo agere, & cœlestibus amplius q̃ terrenis negocijs interesse. In quo & diuina quædam miracula fuisse memorantur.

Nam Ægyptius quidam cũ amore uesano alienæ uxoris arderet, nec posset ad effectum tam scelestę cupiditatis peruenire, eo quod illa pudi-

citiæ dedita, uirginitatis suæ coniugem nimis amaret, maleficũ precatus est, ut se amari ab ea faceret, aut quocunque illã modo à marito proprio repudiari. Maleficus autẽ multis muneribus illectus, solito propriæ artis ingenio, fecit illam equam uideri, non fœminam. Quam ubi talem uir eius, domũ regressus aspexit, tam monstruosa nouitate turbatus, (quod iacere in lectulo suo equam uideret) ingemiscebat, ac flebat, eo quod ipsum alloquens animal, nullum loquentis poterat audire responsum. Rogabat igitur presbyteros ipsius uici, duxitq; eos domũ, & quid illa pateretur ostendit. Et ne tunc quidem causam tantæ calamitatis agnoscunt. Quæ tamen iam per triduum, nec ut equa feno, nec pane ut homines utebatur, utriusque escæ alimonijs destituta. Ad postremum ut magnificaretur gloria dei, & ut sancti illius Macarij uirtus innotesceret cunctis, subito in cor mariti eius ascendit, ut cum ea loca deserta penetraret. Illigatam igitur eam ita ut iumenta uinciri solent, ad deserta deduxit. Cumq; ita sancti Macarij cellulæ appropinquarent, iuxta quam Monachi stabant, obiurgare cęperunt memoratum uirum eius, cur cum equa ad monasterium uenire uoluisset. Ad quos ait ille: Veni huc, ut possit misericordiam sancti orationibus promereri. Illisq; interrogantibus, quid mali haberet. Vxor, inquit, mea fuit hæc, sed in equam uidetur esse conuersa. Habet autem hodie tertiam diem, ex quo nullum penitus cibum sumit. Quod cum supradicti fratres, oranti sancto Macario (cui iam & hoc ipsum Deus notum fecerat) retulissent, ut pro eadem instanter oraret: Hęc fratribus dixit: Vos inquit, equi estis, qui equorum habetis oculos. Illa enim mulier est, nec transfigurata in aliam naturam uidetur, nisi eorum oculis, qui præstigij uanitate falluntur. Cõfestimq; ❡ benedictã à capite ipsius nudæ infundens aquam (oratione cõpleta) subito uideri eam omnibus fœminam fecit, iussitq; eam refici, & gratias agentem Deo cum coniuge suo remeare præcepit, hoc dicens: Nunquã omnino à cõmunione sanctorum mysteriorum separetur, nunquàm quòd ab ecclesiæ oratione discedat. Hoc enim iccirco perpessa est, quia per septimanas quinque, misteria diuina non attigit.

❡ *Ecce aquæ benedictionem, & quomodo per eam deus mira operatur, non ergo est illicita.*

Aliud iterum ipsius factum proloquar, per longũ temporis spacium, cuniculum quendam sub obscuro terræ profundo, à cella sua duxit, per dimidij spacium stadij usque ad soli alterius summitatẽ. Vbi speluncam sibi proprio sudore perfecit, ut quotiens ferre non poterat molestias frequentantium, relicta cella sua per occultum iter se ad speluncæ latebras conferret, ita quod à nullo unquam si uoluisset uideretur. Referebat ergo nobis quidam de studiosis ipsius aliquando discipulis, quod quoties de mansiuncula sua ire ad speluncam solebat, uiginti & quatuor orationes eundo, & totidem redeundo faciebat. De hoc ipso fama uulgauit, quod & mortuum suscitarit, dum quendam hæreticum uult docere, qui resurrectionem corporum negabat futuram. Quæ fama in desertis illis locis, sicut est uera, permansit.

Ad hunc aliquando filium iuuenem dæmone laborantem, lamentans mater exhibuit: cum quo duo in singulis lateribus iuncti, continebantur uiri. Cuius dæmonis hanc operam esse dicebant. Posteaquam infelicem hominem, trium modiorũ panes edere, & unius amphoræ lagenam bibere coẽgisset, ructando uniuersa quæ deuorauerat, in aërem quendam, fumumq; conuertere consueuerat, atq; ita omnia uel comessa uel potata quasi quodam ignis ardore solebat absumere. Est autem & legio dæmonum, quæ flammea nominatur. Sicut enim inter homines, ita & inter illos multa est distantia, non naturalis substantiæ, sed diuersæ ac dissonæ uoluntatis. Iste igitur iuuenis, cum ei iam enormes cibos mater propria parare non posset, edebat frequenter egestionẽ sui corporis, ac bibebat. Ob quod flens mater infelix, de intolerabili calamitate filij sui, sanctum illum, ut miserabilem iuuenem curaret orabat. Cunq; continuas apud eum preces, plurimasq; fudisset, orante super illum, deumq; precante uiro sanctissimo, post unum uel alterum diem cœpit tanti mali medicina procedere. Ait autem matri ipsius: Quantum uis ut comedat filius tuus? At illa: Decem inquit, panes. Quam ex hoc sanctus ille reprehendens. Quid inquit, locuta es? Septem itaque diebus 2 ieiunans & orans pro eo, tres eum libras panis iussit accipere, ita tamen ut opus proprijs faceret manibus. Quem hoc modo per gratiam Dei curatum, & ad pristinam sanitatem reductum: propriæ reddidit matri. Hoc quoque miraculum per sanctum famulum suum deus fecit: quem uirum ego in corpore uidere non potui. Ante annũ enim q̃ ad illas solitudines introirem: ille tantus decertator, quieuit in domino.

2 *Vides hæretice quõd ieiunia & orationes ualent ad impetrandum beneficia à deo?*

Illum autẽ Macarium qui Alexandriæ presbyter fuit, uidi in his locis, quæ cellæ nominantur, in quibus cellis, ego per annos nouem mansi. In quibus triennij tempus, cũ eo uixi, & alia quidem miracula sub oculis meis fecit. Alia uero ex ore ipsius didici, cætera autem aliorũ relatione cognoui. Habebat itaque hoc in proposito uitæ suæ, ut si quid magnũ a quibuscunque sanctis in abstinentia fieri didicisset, hoc feruenter impleret. Cognito igitur a quibusdam quod Tabennensiotę nihil cocti cibi 3 per quadragesimã totam edere dicerentur, statuit intra semetipsum, 4 ut per septem annos nihil quod coctum fuisset igne, gustaret, sed crudo tantum olere contentus esset; ita ut si forte unquã leguminis aliquid reperisset, neque inde gustaret. Hoc ergo cum amplius q̃ uolebat imitando fecisset, de reliquo tanquã nihil esset graue, contempsit. De alio iterũ qui unam tantum panis libram comederet, audiuit eximius monachorum, cupiensq; eum imitari, confractum atque in partes redactum modicas, bucellatim in lagenas misit, & statuit 5 tantum ex eo edere, quantum posset manus ipsius unà proferre: & ita mihi lętus ipse postea referebat, hoc dicens. Plures quidem perticulas bucellatim intra lagenam comprehendebam, totum tamen quicquid intrinsecus tenere potuissem, foras proferre non poteram propter angustias oris exigui.

3 *Ecce quomodo quadragesimale ieiuniũ semper fuit in maxima ueneratione.*

4 *Nota statuit ut per septem annos nihil coctum igne gustaret, sed crudo tantũ olere contentus esset.*

5 *Vide miram sancti patris abstinentiam.*

Publicanus

Publicanus etenim meus,ut omnino non ederem non ſinebat.Per triennium ergo ſub hac obſeruatione uixit, quatuor,aut quinq; tantũ uncias panis aſſumens,& 6 tantundẽ bibens aquæ, unumq́; expendens ſextarium olei,quod per totũ illi annũ ſufficiebat.

6 *Aduertis quod etiam priſci patres quãdoq; uino non ſunt uſi in potu,ſed tantum aqua?*

Aliam rurſus propoſiti ipſius agnoſce uirtutẽ. Hic uirorũ fortiſſimus ſomnũ uincere ſtatuit; & hoc ipſe dicebat quod per uiginti dies, nec ſemel quidẽ ſub tectum aliquod fuiſſet ingreſſus, ut ſic uinceret ſomnum, diurni quidẽ æſtus ardoribus flagrans,nocturno autẽ frigore tremens,& quẽadmodũ ipſe referebat, niſi uelocius ad tectum rediſſet, ſomnumq́; cepiſſet uſque adeo ſibi aruiſſe iam cerebrũ intelligebat,ut ſine ſenſu pro pemodum putaretur. Vici ergo inquit quantũ ad me pertinet ſomnũ, naturæ uero, quæ exigebat uſum debitũ,ceſſi. Hic quodam die dum in cella ſua matutinus ſederet,culicem ſenſit. A quo uulneratus in pede,dolenſq́; manu ſua peremit,qui & moriens,plurimum cruoris effudit. Repræhendens igitur factũ ſuũ,in eo quod iniuriam propriam uindicaſſet, ita condẽnare ſe uoluit,ut in pratis eorũ locorũ quibus Scytię nomen eſt, qui in ſolitudinibus extremis iacent,nudus per ſex menſes ſedent ubi culices crabronibus ſimiles,aprorum quoq; perforant cutem. Ergo illic 7 exulceratus eſt totus quibuſdam tuberibus per omnia eius membra turgentibus,ut unus crederetur ex illis eſſe,qui elephantioſi uocantur. Poſt ſex autem menſes regreſſus ad cellam ſuam,ſola (quod ipſe eſſet Macarius)eius uoce patefactum eſt.

7 *Quantas corporis afflictiones paſsi ſunt antiqui monachi?*

Hic idem deſiderauit aliquando (ſicut ſolebat referre) ortum, in quo eſſent Iannes & Mambres malefici ſepulti uidere,qui ſub Pharaone plurimũ potuiſſe memorantur. Qui longo in tẽpore,& grãdi potentię ſuæ artis quadratis lapidibus ſupradictũ opus extruxerant, in quo ſuper poſita fuerat memoria prædictorũ,ubi & aurũ reconderant,& uariis arbuſculis locũ repleuerant. Puteum quoque fecerant,eo quod ſine aliquo uideretur humore idẽ locus eſſe. Hæc autẽ omnia idcirco feciſſe dicuntur, quod ſe poſt obitũ in eodẽ loco tanq; in paradiſo crederent eſſe mãſuros. Ignorans itaq; famulus Chriſti Macarius, quæ nam ad memoratũ locũ deduceret uia,æſtimatione quadã animi ſolas cœli ſtellas (quod in mari, nautis ſolet fieri) dum per deſerta ambulabat ſequebatur. Faſcem uero calamorũ portauerat ſecũ,ut per millenos paſſus ſingulos figeret,quo facilius poſſet agnoſcens ſua ſigna remeare. Per nouẽ igitur dies itinere cõfecto,præfatis appropinquauit locis. Cui ferociſsimus dęmon, qui ſemper aduerſum Chriſti athletas dimicare cõſueuit:collectos omnes ex propriis locis calamos à mille paſsibus, ſpe dictæ memoriæ quieſcenti ſubito ad caput poſuit. Cumq; ſanctus Macarius ſurrexiſſet a ſomno, agnouit eos quos alibi reliquerat calamos. Credo autẽ quod & hoc permittente Deo ad examinationẽ memorati uiri contigerit,ne ſpem aliquã haberet in calamis,ſed magis in Dei gratia,qui in columna nubis p quadraginta annos iter populo Iſrael in deſerto monſtrauit. Dicebat autẽ de ſupradi-

cto orto septuaginta demones ad aduentũ ipsius prosiluisse clamãtes, & circa oculos eius, ac uultum coruorũ more uolantes, dicentesq;: Quid uis Macari? quid uis tentator monache? Quid ad loca nostra uenisti, in quibus manere non poteris? Nunquid & nos aliquos monachorum tentauimus? Habes eremũ propriam cũ tui similibus, unde nostros quoque propinquos expellere festinas, nihil nobis tecũ cõmune est. Quid nostras regiones ingrederis, si habitator es eremi, tua tibi solitudo sufficiat; nobis hunc locũ sui tradiderunt incolere conditores. Quid hanc possessionem quæris irrũpere, in quã nullus unq̃ hominũ postq̃ nobis a fratribus nostra hic manu sepultis est tradita, uiuens ingressus est? Cunq; adhuc dæmones plurima replicarent, atque lugerent; Beatissimus ille respondit: Ingrediar tantũ ut uideam, continuoq; discedam. Et dæmones, hoc (inquiunt) nobis per tuã conscientiam sponde fideliter. Christi uerò seruus ait: simpliciter hoc faciam. Continuoq; dæmones ab eius oculis recesserunt. Ingressum se igitur, atque illic suspensum æneum cadum reperisse dicebat circa puteum cũ cathena ferrea, longa iam tẽporis uetustate cõsumptũ, mala etiam granata intrinsecus uacua, ac nimio solis ardore siccata. Sic itaq; inde discedens, per uiginti totos ad cellulam suam reuertitur dies. Cui, cũ aqua quã portauerat cũ panibus decẽ, deficere cœpisset, & grãdi molestia penuriæ laboraret, ac pene deficeret, apparuit ei quædam (ut ipse referebat) puella, puro lintheo cooperta, ferens ampullam aquæ stillantis, uno a se stadio separata. Quã per triduũ ambulans supradictũ uas sibi ostendentẽ uidebat, & uelut stantẽ uicinius, ac se inuitantẽ, ita ut putaret quidẽ assequi eã posse, nec tamen ualeret. Igitur spe bibendi, laborẽ se trium dierũ patienter sustinuisse dicebat. Multitudo autẽ bubalorum grandis apparuit (sunt autem illic plurimi huiusmodi greges) inter quos una de bubalis cum pullo suo astitit subito, ut & ipse referebat, cui lac ex ubere fluebat in terrã. Subieci me ergo inquit, & labia ferinis uberibus in os meũ expressurus apposui quousq; ad satietatẽ refectus sum, idq; sibi sufficisse dicebat, usq; dum ad cellam perueniret. Quę ipsa etiam bestia subsecuta, ubera eidẽ sua præbebat, neque proprium fœtum sancti illius contemplatione suscipiens.

Alio rursus tẽpore dum ad requiẽ monachorũ puteum facit, inter uirgulta uel frutices aspidis dente percussus est, cuius morsum necesse est cõtinuo mors sequatur. Correptã igitur eã, & utraq; manu ab ore distentã, scidit mediã dicens ei. Cũ te non miserit Deus meus, cur ausa es huc uenire. Habebat autẽ diuersas in desertis locis cellulas, in quibus uirtutũ operabatur insignia, Vnã in interiore solitudine, cui nomen est Scythi; aliam in Lybia, ubi cellæ uocantur; aliam in monte Nytriæ, ex quibus quędam sine fenestris erant, ubi per totã quadragesimã sedere in tenebris hic beatissimus dicebatur. Alia cella angustior erat, in qua pedes mos extendere non ualeret. Alia latior, ad quã uenientes ad se, suscipere cõsueuerat. Tantas autem hic hominũ dæmonijs laborantium curabat cateruas, ut nume

rus esse non posset, nobis etiam illic degentibus.

De Thessalonica ad eũ nobilis ac diues uirgo perducta est, quæ iam per multos annos paralysi laborabat. Quæ cũ ei fuisset oblata, atque ante cellam beati uiri proiecta, motus in eã misericordia per uiginti dies proprijs manibus oleo 8 sancto perungens, ac domino pro ea preces fundens, incolumen suæ reddidit ciuitati. Quæ postea plurima ad solitudines cũ fuisset proprijs pedibus regressa, transmisit.

8 *Sancto oleo perunctã puellam a paralysi sanauit.*

Hic idẽ cũ audisset grandẽ uitæ conuersationẽ Tabennensiotas habere, ueste mutata ad similitudinẽ alicuius operarij, sumpto habitu seculari, intra quindecim dies per deserta iter faciens, Thebaidẽ usq; peruenit. Cunq; uenisset ad monasteriũ memoratorũ hominũ, primũ quẽ Archimandritã uocitant requisiuit, Pachomium quendã nomine, probabilem per omnia uirũ, & habentẽ spiritualem gratiam prophetiæ, cui tamẽ de Macario nihil fuerat reuelatũ. Ad quẽ cũ uenisset, hæc dixit: Quæso, me in monasterio tuo suscipi facias: Monachus enim esse desidero. Ait illi Magnus ille Pachomius: senilibus annis grauaris, & Monachus esse iam non potes, neq; inter cæteros fratres qui hoc ab adolescentia didicerunt, uiuere uales, eo quod consuetudinẽ eorũ, laboremq; non pateris: Cunq; abstinentia tentationes non ferens, læso animo egressus ab his fueris, maledicere eis incipies, quos non potueris imitando sectari. Noluit itaq; nec primo eũ nec secundo die, nec per totã suscipere septimanã. Dumq; iugiter persisteret in rogãdo ieiunus, ad postremũ: Suscipe me inquit Abba, & si me in ieiunio uel in opere inferiorem ipsis depręhenderis, statim de tuo monasterio pelle. Quo audito, ille persuasit fratribus, ut in monasterio reciperetur. Est autẽ illic unus numerus mansionis, habens etiã usque in pręsentẽ diẽ ad mille quadringentos uiros. Cũ igitur fuisset ingressus in ea sanctus Macarius, & post breue tẽpus superuenissent quadragesimæ dies, uideretq; diuersos uario more uiuentes, alium uespertinis horis soluentẽ ieiuniũ, aliũ uero post biduũ, alios etiam post dies quinq; gustantes, alium stantẽ totis noctibus, & per diem sedentẽ, laborantemq;, ille 9 de arboribus dactylorũ cortices tenens infusos, ac copiosos, in uno angulo stabat usq; ad quadragesimæ finẽ, & principium Paschæ, non panem, non aquã gustans, non flectens genua, non in terrã iacens, sed tantũ modica cauliculorũ folia cruda dominico die sumens, ut mãducare alijs uideretur. Siquando autẽ ad corporalem necessitatẽ fuisset egressus, cõfestim remeabat, ac stabat, non os aperiens, non alicui quicquã loquens, sed cum summa taciturnitate consistens, & in corde suo tantũ iugiter orans, atq; id solum operis qđ in manibus tenebat efficiens. Quem cũ esse tam durę atq; inimitabilis uitæ monachi omnes considerassent, quasi quadã aduersum principẽ suũ seditione cõmoti: Vnde inquiunt, nobis istum adduxisti, qui ita uiuit quasi in carne nõ sit humana, ad condemnationẽ omniũ nostrum? Audi igitur, & aut tolle eũ a nobis, aut scito omnes nos ex hoc monasterio hodie recessuros. Ille autẽ tali cõuersatione atq; uirtute eius

9 *Considera an tale unquã quadragesimale ieiunium uideris.*

audita, deprecatus est dominũ ut quis esset eidẽ reuelaret. Quo statim facto, arrepta eũ manu ad oratorium suũ duxit: ubi erat altare diuinũ, osculatusq; eũ dicit illi: Veni optime senex, tu ille Macarius es, & mihi te celare tentabas; ex multis annis te uidere cupiebam, audiens de te magna miracula: Gratias tibi ago, q̃a colaphos infantibus nostris dedisti, ne magnũ aliquid in conuersatione uitę suę facere se putarent. Reuertere nunc igitur ad loca unde ueneras: sufficiẽter enim nos omnes ædificasti, & ora pro nobis, his uerbis rogatus ab omnibus, inde discesit.

Quodam rursus tempore hoc retulit nobis dicens, quodcunq; genus uitæ, & quoscunq; mores abstinentię spiritualis desideraui; imitatus sum, atq; perfeci. Iterũ inquit, aliquando animũ meum quædã nouæ cogitationis cupiditas occupauit, ut uellem quinq; diebus cõtinuis sensum cordis mei inseparabilem à Deo facere. Statuensq; intra mentem meam, & clausis ita ostijs cellæ atque uestibuli, ut nullus hominũ responsum à me posset accipere; cępi instare à principio septimanæ, dicens sensui meo: Vide ne uelis à cœlo ad terrã descendere. Habes illic angelos, atq; archangelos, altisimasq; uirtutes, Cherubin ac Seraphin, primumq; omnium creatorẽ Deum. Illic conuersare, sperne illa quæcunq; infra cœlestia uidentur habitacula, ne carnales cogitationes incurras, atque in hoc diebus duobus (inquit) ac duabus noctibus perseuerans, usque adeo dęmonem prouocasse ac stimulasse me sensi, ut ille in flammã ignis subito conuersus, omnia quæ habere uidebar incenderet. Ipsamq; etiam mattã super quã stare consueuerã, ut totũ iam me arsurũ esse crederẽ. Ad postremũ tanto timore percussus, ab huiusmodi proposito tertia abscesi die, cũ uiderẽ tam iugiter indiuiduũ Deo animũ me habere non posse. Descendi ergo iterũ ad cogitationes seculares, ne aliquod mihi ex perpetuo diuinitatis intuita genus arrogantiæ nasceretur.

Ad hunc ipsum Macarium cũ aliquando uenissem, reperi ante fores cellæ ipsius presbyterũ quendã, cuius totũ caput adeo exesum & cõsumptum erat illa ualetudine quæ Carcinus nominatur, ut os etiam uerticis uideretur. Quiq; illuc ut curaretur aduenerat, nec tamen usque in illum diem a sancto Macario susceptus fuerat, aut uisus. Ego itaq; tunc ipsum rogans petiui, ut eius misereretur, & saltem responsum ei daret. Ad quod mihi ille sanctus hoc dixit: Non est dignus iste curari: Hanc enim pœnã ex præcepto diuinitatis accepit. Si autẽ uis curari eum, persuade illi prius

10 ut à 10 sanctorũ sacrificiorũ ĩmolatione discedat. Cunq; ego dicerem: Cur obsecro id fieri iubes? quia fornicatione inquit pollutus ministeria domini uiolare consueuerat; ob quod talis supplicij atrocitate cruciatur, sed sicut dixi: si nunquã uelut sacerdos sacrificia contigerit diuina, accipere (Deo iuuante) poterit medicinã. Cũ ergo illi qui hac ualetudine laborabat ista dixissem, ut cũ sacramento mecũ pacisceretur non se ulterius ad officium sacerdotis accedere: Tunc demum à sancto illo uocatus est. Qui eũ his allocutus est uerbis. Credis inquit, Deum esse, cui nihil occul-

Ecce Missam appellari sanctum sacrificium & diuinum.

tum est? Respondit, credo. Non potuisti (inquit) uirtutē diuinitatis eius euadere. Respondit ille: Non potui domine mi. Tunc magnus ille Macarius, si cognoscis inquit, peccatum, & uis euadere istam quā propter illud tibi dominus intulit pœnam, emendare de reliquo. Quo audito ille proprium confessus est crimen, & de cætero se nunquā peccaturū esse promisit, neq; functurum sacerdotis officio: sed inter laicos iam futurum, & tunc demū illi manū sanctus imposuit: atq; in paucis diebus capillorum quoq; recuperatione curatus, Deumq; glorificans, sancto etiam uiro gratias referens, uidentibus nobis ad propria remeauit.

Post hæc adducitur ad eū in mei præsentia puer quidā, qui sæuissimi dæmonis spiritu laborabat. Cunq; unā super caput eius posuisset manū, & ad cor ipsius aliam, tandiu deprecatus est Deum, quandiu suspendi in aëre eum faceret, qui puer in morē utris totus inflatus, supra q̃ æstimare quis posset intumuit, & subito aquā ex omni parte membrorū cū clamore maximo uocis effudit. Itaq; omni illo tumore residente, ad pristinā sui corporis rediit sanitatē. 11 Quē sancto perunctum oleo, & benedicta perfusum aqua, proprio reddidit patri, præcepitq; ut per quadraginta dies nec carnes eum edere, nec uinū potare permitteret, & sic eum perfectæ reddidit sanitati.

11 *Vides sanctum uirum perungere puerū sancto oleo, & aqua benedicta perfundere, eiq; a carnibus abstinentiam, & a uini potu iniungere.*

Hunc eundem sanctū Macarium quodam tēpore cogitationes uanæ gloriæ stimulando uexabant, uolentes eū de cella ipsa ubi degebat abstrahere, & suadentes ei, atque demonstrantes quandā ueluti operis boni speciem, ut eius causa pergeret Romā, sanaturus uidelicet eos, q illic nequissimis dęmonijs uexabantur. Sūma enim gratia diuinæ uirtutis: hic beatissimus contra īmundos spiritus utebatur. Cū ergo talibus incitamentis quibus expulsare eū dęmon uolebat, per multū tēpus reluctaretur, fortiterq; se uideret urgeri; proiecit se subito supra cellulę suę limen, ita ut extra cellulam suos relinqueret pedes, ac diceret: Ducite me ô dæmones si potestis, & trahite. Ego enim pedibus meis non ibo, quo uultis. Si ergo hoc me modo portare potestis: En proficiscar, sacramenti quoq; adiectione confirmans, quod usq; ad uesperā de eo non consurgeret loco. Vnde si me inquit, nôn moueritis, sciatis uos ulterius à me non audiendos. Diu itaque iacens īmobilis, tandē profunda uespera propinquante surrexit, sed nocte quę subsecuta est, rursus ei dęmones molesti esse cęperunt. Ille uero sporta duos modios recipiente arenis repleta, impositaq; humeris suis, in desertis locis spaciabatur. Huic Theosebius quidā genere Antiochenus occurrens, cui & Cosmetor cognomen erat, dicit ei: Abba quid tantū onus portas? in me potius quod deuehis transfer, & noli tuos humeros fatigare. Ille autē dicebat; uexo uexantē me; Ocio enim fruens, iter aliquod agere me cōpellit. Cum autē ita onustus ambulasset diutius, & confecisset illo pondere suū corpusculum, regressus in cellam est.

Hic ipse sanctus aliud miraculum retulit nobis (erat nāq; presbyter)

12 notaui mihi inquiens eo tẽpore quo 12 sancta mysteria fratribus dabã: quod Marco monacho nunquam dedissem sed semper ei sancta de altari angelus dabat, solam tamẽ manũ dantis uidebã. Erat autẽ Marcus iste summi ingenij, qui dum iuuenis esset, nouũ ac uetus testamentũ memoriter retinebat, admodum placidus & quietus, & castitatis proposito singularis. Vno igitur die dum ego aliud quod agerẽ non haberẽ, in ultima eius senectute ad eũ usque perrexi, & iuxta ostium ipsius sedens quasi tyro, nouusq; monachus, supra homines eũ esse existimans sicut & erat, audire quid loqueretur, uel quid ageret desideraui. Fuit autem solus intrinsecus, centũ circiter annos agens, qui & dentes quoque nimium longa ætate perdiderat. Contra se ergo ipsum, & contra dæmonem litigabat dicens: Quid amplius decrepite senex quæris? ecce oleum, uinumq; gustasti: Quid ultra cupis in extremis ætatis tuæ deuorator, ac uentris cultor? huiusmodi uerbis in se iniuriosus existens. Tum & dæmoni ista dicebat: Nec adhuc tibi debeo aliquid quod furari præualeas, nihil aliud inuenis? Iam recede à me hominũ inimice, atque hoc sibi quasi insultando dicebat: Veni pessime senex: quandiu tecũ morabor?

Vide sacram Eucharistiam appellari sancta mysteria.

Referebat autẽ nobis Paphnutius quidam discipulus huius beati uiri, quod aliquando belua quædã exhibuit sancto Marco catulum suũ cęcũ, uestibulumq; ostij eius, capite percussit, & ingressa ad eum sedentẽ foris in atrio, proiecit ante pedes ipsius catulum suũ. Quem ille tenens & exspuens in oculos eius, orauit: continuoq; lucem (quã amiserat) uidit. Secumq; tunc ipsum proprio lacte nutritũ, mater abduxit. Sequenti autẽ die eadem bestia sancto ac beatissimo Marco, pellem ouis exhibuit, quã memoratus seruus Christi, sancto Athanasio episcopo dereliquit. Quã sancta Melania postea à beatissimo uiro Athanasio accepisse se dixit. Et quid mirum si ille qui mansuescere fecit Danieli leones, etiam huic beluę talem sapientiam dedit? Dicebatur præterea de beato Marco, quod ex quo lauacri gratiam spiritualem promeruit, nunquã expuisset in terrã, sexagesimum post baptismum agens annum, & quadragesimum ante baptismum.

Erat autẽ figura corporis huius athletæ Christi Macarij (oportet enĩ me de hoc quoque tibi significare famule Dei Lause, eo quod paruitas mea conuersata cũ eo diutius eundem cognouerit diligenter) statura breuis, non multa barba faciem uestiebat, sed circa labia tantũ erat, parumq; circa mentũ aliquid uidebatur. Ex nimia abstinentia, & pene iugi inedia, etiam uultus ipsius nudus pręter cæterorũ hominum consuetudinẽ uidebatur. Ad hunc ergo cũ admodum tristis aliquãdo uenissem, diceremq; Abba Macari; quid iubes faciam, quoniam uariæ cogitationes animum meum conturbant, dicẽtes mihi proficiscere hinc, quia nihil agere te cernis. Ille respondit. Dic inquit, ipsis cogitationibus tuis; propter Christum parietes cellæ istius custodio. Hęc tibi amator, & famule Dei doctissime, pauca de multis ex factis sancti Macarij, uel dictis significaui.

VITA MOYSEI ÆGYPTII MONACHI, PER Palladium Cappadociæ Episcopum descripta.

Habetur in libro prædicto qui Paradisus Heraclidis uulgo dicitur cap. 7. .9.

MOyseus quidam genere ethiops, colore corporis niger, seruus alicuius curialis erat: quem ob detestandos eius mores, dominus à se abiecerat. Dicebatur enim & palam latrocinari, & homicidia perpetrare. Necesse est autē ut malignitatē quoque ipsius dicā, quo magis possim pęnitentiæ eius monstrare uirtutem.

Referebant igitur quidā, quod magister quorundā latrocinantiū extitisset, cuius & hoc inter latrocinia eius factum memorabatur. Pastorem quendam, qui in re quadā unà cū canibus suis morabatur, nocte ei ad scelestum eunti negociū impedimento fuisse; qui tantū irascebatur, ut eum uellet occidere. Obseruabat ergo illum locū in quo suas oues ille claudebat. Cunq; eidē nunciatū fuisset, quod trans fluuiū Nyli cū grege suo esset, atque in tantū fluuius ille creuisset, ut super alueum suū mille passus teneret, gladium suū mordicus tenens, & ueste super caput imposita, totum fluuium natando transmisit, quousque ad ouium cubile peruenit. Cunq; eum natantem respiciens, mersus in arena pastor lateret; tunc ille arietes quatuor electos, atque iugulatos, & fune connexos tenens, ita rursus natando remeauit. Reperto autē paruo & occulto loco, in quo nudatis pelle ouibus, carnibusq; quæ uidebantur optime deuoratis, & reliquis uenditis, ac uini cōmutatione distractis, decē & octo Italicos ipsius uini, solus exhausit, & sic ad ea in quibus collegas suos reliquerat loca, per milia quinquaginta reuolauit. Iste igitur talis qualem loquor, uix aliquādo cōpunctus, ex alicuius necessitatis periculo ad monasterium se contulit fratrum, suæq; poenitentię uitam sic uehementer arripuit, ut etiam Clemonē malorū consortē suorū, qui à prima cū eo ætate peccauerat, ad cognoscendam uirtutem Christi eminus collocaret.

Hoc quoq; illius quondam factum refertur. Latrones quatuor numero, qui in cellam ipsius impetū fecerant: quis ille esset qui ibi degeret, nescientes inquirebant. Quos ille correptos pariter & ligatos, ueluti saccū aliquē palearū impositos dorso suo, ad fratres ubi simul omnes morabantur exhibuit: Hoc dicens quia nulli nocere possum, quid de istis iubetis? Tunc ergo etiam ij quos ille detulerat, ad poenitentiam uenire cęperunt, confitentes sua delicta, maxime cū amarent ipsum Moyseum, qui inter omnes dudum latrones, ut eorū princeps nominabatur. Glorificantesq; dominū, ipsi quoque conuersi sunt propter huius conuersionem, & facti sunt monachi probatissimi. Rationem autem hanc suis sensibus colligebant dicentes: Quid si iste qui tam potens erat tanquā inuictus inter latrones, sic Deum agnouit & timuit, quare nos animarū nostrarum salutem dilatione remoramur?

Hunc ipsum beatū Moyseum (oportet enim eum tali iam uocabulo nuncupare) dæmones quondā urgere cęperunt, ut ad consuetudinē im-

puritatis & fornicationis antiquæ, reuerteretur. Qui tot ac tantis modis, ut referebat ipse tentatus est, ut pene eũ à proposito uitæ salutaris, auerterent. Venit iste igitur ad sanctum illum, & beatũ uirum Isidorũ, qui in locis quibus Scyti nomen est, morabatur; referens ei quibus impugnaretur modis. At ille respondit: Nolo inquiens esse te tristem. Adhuc enim principia hæc tua sunt, & iccirco huiusmodi cogitationes tibi uehementer insurgunt, antiquã consuetudinem requirentes. Nam ut à macello canis, quo uesci assuetus est, nõ recedit, quod rursus si clausum fuerit, neq; ullus in eo steterit, a quo aliquid canis speret, abscedit: ita & tu si perstiteris in proposito abstinentię tuæ, mẽbra tua quæ sunt super terrã mortificans, gastrimargiæ excludens introitũ (quæ fornicationis est incentiuũ) fatigatus dæmon ac uictus, cui fomenta ciborũ non porrigis, ulterius tibi molestus esse cessabit. Quibus auditis, regressus ad propria seruus Christi Moyseus, instanter ac fortiter sui curã gerebat. Ante omnia abstinens

1 a cibo, nihilq; aliud accipiens nisi 1 duodecim sicci uncias panis, maximo tamen operi incumbens, & quinquaginta diurnas faciens orationes.

Ecce sancti uiri abstinentiam.

Cunq; his modis suũ consumpsisset corpusculum, nec sic quidẽ somnia circa ipsum uana cessabant. Rursum igitur ad quendã sanctorũ alterum probatissimũ pergit, dicitq; ei. Quid faciam, quod ita mihi pristina consuetudine semper in somnis obscuratur animus, sensusq; turbatur, & à uoluptatibus carnis experta memoria non recedit? Ille respõdit: Iccirco adhuc hoc pateris, quia nec mentem tuam ab huiusmodi cogitationibus separasti. Si igitur paulisper te uolueris uigilijs occupare, & orationibus puris perseueranter insistere, facile poteris ex hac molestiæ liberari. Qui etiam huius hortatu suscepto consilio, tanquã ab homine qui hoc experientia didicisset, ad propriam reuertitur cellam, statuitq; per uniuersam noctem, nec genua solo flectere, nec somnum oculis dare. Atque ita per

2 sex ibidem annos noctibus cunctis stans in medio cellulæ suæ, 2 patentibus semper oculis, orare consueuerat, & tamen nec sic quidem, illo quo laborabat malo, potuit liberari.

Vide etiam eius indefessas uigilias.

Aliud iterũ genus durioris uitæ, ut uel sic dęmonẽ superaret, arripuit, uespertinisq; horis egrediebatur, & monachorũ senum longa obseruatione uiuentium, per totas noctes habitacula circuibat. Quorũ lagenas quas hydrias uocant, sæpe tollebat, impletasq; nullo sciente referebat. Ex longinquis enim locis interdũ a duobus, frequenter autẽ a quinque milibus aquã sibi referebant. Insidiatur itaq; ei dęmon quadã nocte uenienti, nõ ferens ulterius tanti athletę certamina, dumq; aquã pronus tollit è puteo, renes ipsius desuper graui quodam fuste percussit, ac semiuiuũ reliquit, neque quid, neque a quo fuisset passus sentientẽ. Postero die cũ uenisset illuc quidam monachus ad hauriendam aquã, memoratumq; aspexisset iacentẽ, & hoc maiori illi Isidoro Scytensi presbytero retulisset, egressus ipse cũ quibusdam, prædictũ ad monasterij sui ecclesiam fecit protinus exhiberi. Vbi per totum annũ tali ægritudine laborauit, ut uix tandem

ad

ad pristinũ robur, corpus eius reuocari potuisset. Tunc illi sanctus Isidorus hæc dixit. Cessa Moysee in tantum dęmones prouocare, & tam pertinaciter contra eos uelle contendere. Est enim & modus certus in ipso uitæ monachorũ proposito, intra quẽ nos oportet nostras uirtutes exercere. Cui hoc ille respondit: Tandiu ego ab hac intentione mei animi nõ recedã, quandiu somnia ac uanas cogitationes a me uideam separari. Ait ergo tum illi: In nomine Iesu Christi recesserũt iam a te turpia somnia: Ideoq; ad 3 sanctorũ mysteriorũ cõmunionẽ confidenter accede. Scias autẽ quod iccirco dæmon ad tempus esse te fortior uisus est, ne te iactare posses, quod tantã tentationẽ facile superasses, ut ex hoc magis saluti tuæ res ipsa prodesset. Hæc audiens, rursus ad propriam reuersus est cellam, diligenter custodiens deinceps sub quiete mensurã. Postea uero, hoc est post duos menses, a sancto Isidoro interrogatus utrũ illi molestus memoratus spiritus extitisset: Hoc dixit: Nihil se huiusmodi ex ea hora, qua famulus Dei pro ipso orauit, ulterius fuisse perpessum. Tantũ autem hic ipse aduersum dæmones gratiam Dei promeruit ut amplius nos a muscis, q̃ ille a dæmonibus terreretur.

3 Nota sacram Euchari stiam sanctorum mysteriorum cõmunionẽ uocari.

Hanc Moysei Ethyopis uitam fuisse cognouimus. Qui & ipse inter magnos illos numeratus est uiros. Obijt autem septuagesimo & quinto ætatis suæ anno apud Scytin, Vbi presbyter quoque factus, septuaginta discipulos moriens reliquit.

VITA PAVLI MONACHI EX MONTE FERInæ, per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

Habetur in libro ubi supra cap. 8.

MOns est in Ægypto, qui ad uastissimam scytensis regionis solitudinem tenditur, cui nomen est Ferine. In hoc monte penè quingenti resident abstinentissimi monachi; in quibus est quidam qui Paulus uocatur egregius monachus, qui huiusmodi moribus uixit. Non ex quacunque re negociatus est unquã, non aliquod opus fecit, non ab ullo aliquid præter id quo uesceretur accepit. Nihil autem aliud faciebat, nisi quod incessanter orabat. Statutas sanè atque manifestas, hoc est trecentas numero orationes habebat, ita ut totidem collectos intra suũ sinum gestaret lapillos, ex quibus singulos, ubi fecisset singulas orationes de sinu proprio iactare consueuerat.

Hic ipse cum ad sanctũ Macarium illum, cui erat cognomen Vrbani, uidendi ipsius causa aliquando uenisset, dixit ad eum. Abba Macari ualde tristis sum. Quem cum referre ille tristitiæ suæ causam cogeret, ita respondit. In Vico aliquo, uirgo quædam esse perhibetur, triginta annos in monasterio habens, quam ieiunare cognoui, atque ita septimanas iugiter totas, post quinque semper dies gustando transigere, quotidie facere septingentas numero orationes. Quo cognito se desperasse dicebat, eo quod cũ ipse esset uir, & sani corporis, plusq̃ trecentas orare non posset.

Cui sanctus Macarius ad ista respondit dicens. Ego sexagesimũ annum agens, centenas orationes per dies singulos facio, & tantũ operis exerceo, quantum sufficere mihi possit ad uitam: certum mihi etiam tẽpus excipio, quo salutationẽ atque sermonem fratribus reddo, nec me super hoc ut negligentem incusant, atque repręhendunt cogitationes meæ. Si autẽ tu qui trecentas orationes facis, insuper à conscientia tua te redargui dicis manifestum est quod aut has sine aliqua repræhensione non facias, aut quod plures nolis facere, cum possis.

Habetur in libro qui Paradisus Heraclidis dicitur. Ca. 9. & 10.

VITA CHRONII PRESBYTERI, EVLOGII Scholastici, & Pauli simplicis beati Antonij discipuli, per Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

11. CHronius mihi Nytriæ presbyter aliquando referebat. Cum essem inquiens, adhuc iuuenis, & fatigatus spiritu acediæ, quodãmodo mente languerem, de archimandritæ mei monasterio fugi, & usq; ad Antonij montẽ errando perueni. Sedebat autem ille in ultimo solitudinis inter loca quæ Babylonis, & Herculis habent nomen: unde itur ad rubrum mare, prope triginta milibus à fluuio separata. Cum ergo uenissem ad monasterium eius, quod propinquum flumini erat, ubi discipuli ipsius in eo qui pispir appellatur loco, Macarius & Amatus sedebant, quiq; supradictum uirũ defunctum sepelierunt, per quinque ibidẽ expectaui dies, ut Antonium, sanctum uiderem. Dicebatur autẽ ad monasterium ipsum uenire sæpissime: Aliquando post decem, aliquando etiam post uiginti, interdũ post quinque dies, prout illuc eum exhibuisset deus multis qui confluebant ad idem monasterium profuturum.

Plures igitur tunc diuersis laborantes necessitatibus, conuenerunt fratres, inter quos & Eulogius quidam monachus Alexandrinus erat, cum alio qui elephantioso morbo cruciabatur, quos illuc propter huiusmodi causam uenisse memorabant. Hic Eulogius Scholasticus erat secularibus literis eruditus, qui ĩmortalitatis desiderio captus, huic mundo renunciauerat, diuisisq; rebus omnibus atque dispersis, parum aliquid pecuniarũ reliquerat sibi, quibus (quia operari per se non poterat) uteretur. Cũ igitur eum quædam animi defectio fatigaret, & nec cũ multis in monasterio degere, neq; solitariam uitã posset ferre patienter, repperit quendam publice in platea iacentẽ, ita ualetudine illa (quam superius dixi) repletũ, ut sine manibus & pedibus uideretur. Cui lingua tantũmodo ĩmunis à tantis cruciatibus erat, qua magis posset ab intuentibus malorũ suorũ remedium promereri. Cunq; eũ assistens uidisset Eulogius, oratione facta ad deũ, & quadam cũ domino pactione celebrata, his alloquutus est uerbis: Domine inquit, deus in tuo nomine suscipio istum, tam ĩmani ualetudine prępeditum, & repauso eum usq; in diem mortis, ut propter istũ, possim & ipse saluari. Adsis ergo mihi Christe, atq; patientiam tali mi-

nisterio largiaris. Moxq; ad iacentē illum ait: Vis inquit, frater, suscipio te in domum meam, & quacunq; potero ratione sustento? Cunque hoc ille libenter amplecti, si dignaretur se diceret. Vadam ergo inquit, & asinum quo ueharis adducam. Cui uehementer exultans consensit ægrotus. Quodq; mox fecit Eulogius, & memoratū ad hospicium suum sine ulla dilatione transuexit.

Per quindecim igitur annos, iugi curatione, & perpetua ei solicitudine seruiebat, per quod oē tēpus, & ille cui tantū deferebatur obsequium, cum gratiarū actione & patientia grandi, cuncta tolerabat. Et Eulogij manibus & medicamentis, cibisq; & balneis, prout cōpetebat ualitudini, curabatur. Post quindecim uero annos instinctu dæmonis, supradictus ægrotus īmemor tot laborū Eulogij, tantorumq; meritorū, cœpit ab eo uelle discedere, multisq; eum iniurijs, atq; opprobrijs increpare, dicens: Fugitiue qui propriam domū deuorasti, furatusq; es alienam substantiam, in me occasionē salutis tuæ repperisse te credis? Eulogius autē rogabat eū, & satisfaciens animo eius dicebat, noli mi domine, noli talia loqui, sed dic potius quid te contristauerim, & emendo. Elephantiosus autē cū furore dicebat: Vade, nolo istas adulationes tuas. Projce me inquit, in publicum, refrigeratione tua non egeo. Eulogius autem, obsecro te inquit, placare, aut quid te contristauerim uenerande senex edicito. Elephantiosus autem asperior, in furore dicebat ad eum: Iam non fero fraudulentas irrisiones tuas, adulationes & subsannationes tuas non tulero, nec mihi hæc arida parcaq; uita iocunda est; uolo carnibus saturari. Cunq; exhibitæ ei à uiro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterū proclamare. Non potes inquit, meæ satisfacere uoluntati, nec tecū solitarius habitare præualeo. Populum uidere, ad publicum ire desidero. Dicit ei Eulogius. Ego tibi adduco multitudinē fratrū. Rursus ferocior, ac pene blasphemus ægrotus: Vt inquit, misero mihi, tuā faciem nolo uidere, & adducis mihi similes tui? Solius panis deuorator es, concutiensq; temetipsum, inquieta uoce proclamabat dicens: Nolo, nolo; ad publicū ire desidero. O uiolentia: In eum locum me projce, unde me sustulisti. Tanta ergo erat eius insania, adeoq; sensus ipsius in ferinos quodāmodo clamores conuerterat dæmon, ut & suspendisset forte laqueo se, si manus per quas hoc facere posset, habuisset.

Ad uicinos itaq; monachos pergit Eulogius, dicens eis, Quid faciam: quod Elephantiosus iste me penitus desperare iam fecit? Dicunt ei: quā ob causam? Respondit eis: Quia dura sunt quæ mihi conatur impēdere. Et quid agam ignoro; projciam eum? sed aliter deo dextras dedi, & satis uereor. Non projciam eum, sed iterū tot ac tanta mala dierū ac noctium ferre non possum. Quid de ipso igitur a me fiat ignoro. Ad quem illi his uerbis loquuntur. Dum adhuc uiuit, & superest magnus ille (sic enim uocabatur) Antonius: Ascende ad eum. Ægrumq; naui impositum in monasterium ipsius defer, expectans ibi donec spelunca sua egressus adue-

niat. Quem cum uideris, referes ei iſta quæ pateris, atq; ab eo conſilium poſtulabis. Quicquid autem tibi ſuper hoc dixerit, facies & eius monitio nibus acquieſces, ſciens à Deo iuberi tibi, quod ille præceperit. Mox igitur ſermonibus fratrum libenter inſtructus, ſupradictum ægrum blandis precibus ſuperans, littorali nauiculæ impoſuit, ſuſtulitq; de ciuitate per noctem, & ad diſcipulorũ ſancti Antonij habitaculum duxit. Euenit autẽ ut altero die horis ueſpertinis ſuperueniret illuc ſanctus Antonius; referente mihi Chronio quod Chlamyde ex pellibus facta indutus aduenerit. Solebat autem ueniens ad monaſterium fratrum, uocare ex ipſis Macarium eumq; his uerbis interrogare. Venerunt aliqui huc fratres? Et ille ueniſſe dicebat. De Ægypto inquit, ſunt, an de Hieroſolyma? hoc autem ſignum ab his iuſſerat dari, ut quoties aliqui non ſatis digni colloquio ipſius aduenirent, ueniſſe Ægyptij dicerentur. Quoties autẽ ſancti quidã & ſpirituales uiderentur uiri ueniſſe, de Hieroſolyma nunciarentur. Tunc ergo ueniens iuxta conſuetudinem ſuam, cum interrogaſſet utrum Hieroſolymitæ illic fratres, an Ægyptij eſſent? Reſpondit Macarius dicens, ex utroq; illic quoſdam genere ſe uidiſſe. Cum autẽ dixiſſet illi ſanctus Antonius: Fac illis lenticulam, & ſumam cibum unà cum eis, oratione cõpleta, iubebantur abſcedere. At cum Hieroſolymitas ueniſſe didiciſſet, per totam cum ipſis noctem ſedens ea illis quæ ſaluti eorũ proficerent loquebatur. Memorata igitur eum nocte ſediſſe referebat, & unumquenq; ad ſe de ijs qui conuenerant euocaſſe.

Cunq; à nullo quis illic Eulogius uocaretur, audiſſet, ipſe in tenebris propria uoce, ſuo illum nomine ter uocauit. Cui cũ ſupradictus ſcholaſticus non reſponderet, putans quod alter aliquis Eulogius uocaretur. Dicit ei rurſus. Te uoco Eulogi, qui ab Alexandrina ciuitate ueniſti. Dicit Eulogius: Quid quæſo iubes? Et Antonius: Quid inquit, huc ueniſti? Reſpondit Eulogius dicens. Qui tibi nomẽ meũ reuelare dignatus eſt: Ipſe iam & aduentus mei cauſam proculdubio reuelauit. Tum ille: Quid inquit, ueneris ſcio, ſed ante omnes hos fratres, ut omnes audiant refer. Iuſſus igitur à magno Antonio ſeruus Chriſti Eulogius, retulit ante omnes Iſtum elephantioſum in platea publica repperi proiectum, cuius curam nullus hominũ gerebat, & promiſi Deo ut ſeruirem ęgritudini eius, quo poſſem & ego per illum, & ꝑ me ille ſaluari. Ex quo autẽ pariter ſumus, quintus & decimus annus eſt, ſicut & ueſtræ ſanctitati credo omnia reuelata. Quia igitur poſt plurimos annos cum à me nihil mali pertulerit, uarijs me procellis, ac tẽpeſtatibus uexat. Ob quod & ego ipſum, à me proijcere cogitaui. Propterea ad ſanctitatẽ tuã ueni; ut quid ex hoc faciam, digneris me tuis edocere conſilijs, & orationibus adiuuare. Peſſimis enim motibus totus fatigor, & crucior. Cui hoc tunc Antonius, ſeuera atq; iracunda uoce reſpondit: Tu illum à te proijcis Eulogi? ſed ille non proijcit eum, qui à ſe factũ eſſe cognoſcit. Proijcis eum, meliorẽ te inueniet, & eliget deus qui colligat deſtitutum. Cunq; perterritus ad hæc Eu-

logius

logius uerba tacuiſſet, relicto ſanctus Antonius Eulogio, rurſus cœpit ægrotum proprijs ſermonibus uerberare, & hæc ad eum cum clamore maximo loqui. Elephantioſe, cęno ac luto horride, nec terra digne, nec cœlo: non deſinis in iniuriam dei uociferari. Neſcis quia qui miniſtrat tibi, Chriſtus eſt? quēadmodū auſus es contra Chriſtum talia loqui? nam propter Chriſtum ſe iſte ſeruitio tali, & obſequijs ſubiugauit. Quem & ipſum mordaci ſermone laceratum reliquit. Cōuerſiſq; uerbis ad fratres alios, ad unumquenq; ita, ut ratio ſingulorū exhibebat loquutus: rurſus ad Eulogium & ægrotū redit, dicitq; eis. Nequis ueſtrum ò filij quoquā ſe uertat, neuter ab altero ſeparetur, ſed ad cellam ueſtrā in qua per tantum tempus uixiſtis redite cum pace, omnē triſtitiam deponentes. Iam nunc enim ad uos dominus meus mittet. Nam tentatio iſta iccirco accidit uobis, quia ad finē uitæ ambo ueniſtis, & etiam uterq; ueſtrū merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne forte uos angelus ueniēs in eo, in quo dixi loco inuenire non poſſit, ueſtriſq; coronis fraudemini. Qui eum ad cellam ſuam uelociter redeundo redintegrata pace ueniſſent, intra quadraginta dies Eulogius prior obijt, & poſt aliud triduum ſupradictus defecit ægrotus, animo uehementer incolumis.

Chronius autem cum plurimum temporis in thebaicis feciſſet locis, ad monaſteria Alexandrina deſcendit. Euenitq; ut ad illum occurreret diem qui unius quidē quadrageſimus, alterius autē tertius, celebratus tūc à fratribus dicebatur. Cū igitur hoc Chronius didiciſſet, obſtupuit; ſumptoq; euangelio ſancto, atque in medio fratrum poſito, cum ſacramento ipſis per ordinem cuncta expoſuit dicens: Horū omnium quos cōmemoraui, interpres fui ipſe ſermonū, eo quod græce loqui ſanctus Antonius neſciebat. Ego autē utranque noueram linguam, atque inter ipſos loquebar, illis quidē græco; iſtis autem Ægyptio ore reſpondens.

Hoc quoq; Chronius ipſe nobis referebat, quod ei ſanctus Antonius, in illa ipſa nocte qua beatum dimiſit Eulogium, dixiſſet: quia per totum annum deum deprecatus fuiſſet, ut oſtenderetur eidem per reuelationē loca peccatorum atque iuſtorum. Et ſe uidiſſe dicebat procerum quendam uſque ad nubes gigantē tetri coloris, extentas manus ad cœlum habentem, atq; infra pedes ipſius lacum ad ſpeciem maris fuſum. Vbi tanq̄ oues, inquit, animas uolantes uidit Antonius, & ille quidē quæcunq; ſupra manus ipſius, caputq; uolabant, conſeruabantur. Quæcunq; autem manibus ipſius repercuſſæ fuiſſent, mergebantur in lacum. Vocē autem tunc ſibi talem ueniſſe referebat. Has omnes animas quas uolantes uides: ſcias animas eſſe iuſtorū, quæ in paradiſi habitatione requieſcunt. Illę autem animæ ad inferna mittuntur: quod patiuntur quicunq; carnali obediunt uoluntati, & quicunq; iracundiam retinentes, reddere malis paria tentauerint. Referebant autē nobis tā Chronius, q̄ ſanctus Hierax, atq; alij plures uicini fratrum, iſta quæ dicam.

Paulus nomine, ruſticus quidam, & agriculturæ uacans, ultra omnes

optimus,ac satis simplex,pulcherrimæ quidem uultu,sed moribus malæ coniunctus uxori. Cum eam per plurimū temporis occulta fraude peccantem,quadam die ex agro reuertens turpiter inuenisset,subitoq; cum alio iacentē uiro depræhendisset (unde tamen diuina,ordinatio memoratum Paulum ad meliorē uitæ tramitem prouocabat)uerecunde aliquantulum risit,tali loquens ad utrosq; sermone.Bene inquit,bene. Vnde certum sciatis,ad me hoc nihil penitus pertinere, & per Iesum qui hæc respicit iuro, quod ego hanc ulterius non habebo. Vade igitur,erit tua cū filijs suis.Ego enim inquit,ibo,& de reliquo me monachum profiteor,& post hæc nulli quicquā dicens; Ascendit octo proximas mansiones,& ad sanctū Antoninm pergit. Qui cū fores eius ab eo percuterentur,egressus est,& quid cuperet sciscitanti: Ait illi,monachus fieri uolo.Respōdit Antonius dicens. Cum sis admodū senex sexaginta homo annos agens, monachus hic fieri non potes,sed magis uade ad uicum tuū,& operi cultoris incumbe,ut & uiuere operariorū uita, & gratias agere Deo possis. Imparem te enim miserijs,ac labori solitudinū scias. Rursum ad hæc senex ille respondit, hoc dicens. Quicquid me docueris,id faciam. Et rursum Antonius,dixi tibi,quia multū senex es,nec uales implere qđ quæris. Discede,& si monachus esse desideras, ad leuiora monasteria magis perge,ad eos fratres,qui possunt infirmitatē tui corporis tolerare patienter.Ego enim hic solus sedeo,post quinque dies, & hoc cum summa inopia,cibum sumens.

His ergo & talibus uerbis excludere Paulum uolebat. Cui cū ille non acquiesceret, intra hostium cellulæ se recludit Antonius propter ipsum per triduū iuge,nec inde progressus est, etiam cum necessitas corporalis urgeret. Neque tamen ille de foribus tandiu exclusus, abscessit. Quarto igitur die sanctus Antonius cū necessitate naturæ compelleretur, egressus est.Iterū dicens ei:Vade inquit,hic senex,quid molestus es mihi? habitare non potes mecū.Ad quē Paulus hoc dixit. Aliud fieri non potest, nisi ut hic uiuam inquit,& moriar. Circunspiciens igitur huc atque illuc sanctus Antonius, uidensq; quod nihil secū ad uitæ alimenta portaret, non panem,non aquā,non aliud quicquam,& quod quarto tamen die in continuo ieiunio permaneret, timensq; ne ignarus longi ieiunij nimia defectione moreretur,& aliquā sibi ex hoc relinqueret maculam, tandē suscepit eū. Tali autē conuersatione uitæ per omnes degere dies cœpit Antonius, qualem se non sciebat expertū, nec cū adhuc iuuenis uideretur. Infusos itaq; cortices dactylorū obtulit ei dicens; Accipe & intexe funes sicut meipsum facere uides. Quod cū arripuisset senex,& quindecim numero,quas orgias uocant, nonā usq; horā cū maximo labore fecisset: Ait illi. Male inquit,intexuisti:solue quod factū est,& rursus intexe: Et hoc seni homini,& per quatuor dies ieiuno tam graue pondus imponens, ut cū ille tanto labori imparem se uideret, à sancto tandē Antonio necessitate tali compulsus abscederet, uitamq; desereret monachorum.

Qui è contra fortior ad opus surgens, detexuit funes eosdem, & rursus intexuit, maxime cum difficilior iterati operis esset labor, eo quod tortũ semel restem, retorquere prius, & reuocare ad formam priorẽ, & sic iterum intexere aliter cogeretur.

Videns igitur Antonius quod eius ista præcepta, & libenter senex, & patienter audisset, neque ægre iteratũ suscipisset laborem, aut in aliquo saltem ad momentũ tristem uultum secum murmurando monstrasset: compuncta mens eius est, & occidente iam sole, sic affatur senem. Vir senex uir edimus partẽ panis? Paulus ait, Vt placet tibi Abba. Talis autem rursus & ista responsio flexit Antonium, quod ad nomen cibi non protinus accurrit, sed quod omnia in ipsius qui iubebat posuit potestate. Pone ergo mensam inquit Antonius, & panes affer. Quod cũ obedienter fecisset, posuit eidẽ sanctus Antonius eos, quos Ægyptij paximates uocant, habentes senas uncias, & suã quidẽ partẽ perfudit aqua. Sicci enim ipsi paximates erant: Ante illũ autẽ tres posuit portiones. Et 1 psalmũ sanctus Antonius quẽ consueuerat dicens; orationes quadraginta fecit, ut & sic Paulum probaret, qui rursus cũ eo patienter ac libenter orauit. Eligebat enim ut arbitror, cum scorpionibus se potius, quàm cum adultera uictitare. Post uero duodecim orationes, profunda uix tandẽ ad manducandũ nocte sederunt. Sũpto igitur uno paximate, sanctus Antonius nõ contigit aliũ. Senex uero tardius comedẽs: cũ adhuc haberet ex uno paximate aliquãtulã partẽ, expectatus ab Antonio est, dũ totũ quod edebat absumeret. Cui rursus hoc dixit Antonius: Manduca senex & alterũ paximatẽ. Respõdit hoc Paulus: Mãducabo & hunc alterũ, si idẽ facere te uidebo. Te nõ edẽte, nõ edã. Ad hoc dicit Antonius, mihi hoc satis est; monachus enim sũ. Respõdit ad hoc Paulus: Mihi quoque sufficit. Nã & ego monachus esse desidero. Post quę surrexit Antonius, & 2 dictis duodecim psalmis, totidẽq; orationibus factis, paulisper in principio noctis quieuit. Rursusq; cõsurgens à medio noctis usque in lucẽ 3 psallendo et orãdo uigilauit. Vidẽs ergo sanctus Antonius tã paratũ ad omnia senẽ: Ait illi: Ecce frater si huiusmodi quotidie agere uitam potes, mecũ manebis. Cui Paulus hoc dixit. Si forte aliquid amplius iubeas ignoro: Nã ista quæ uidi, facile me impleturũ esse cõfido. Sequẽti igitur die dixit ei: Ecce in nomine dñi iam factus es monachus. Tũ igitur sanctus Antonius posteaquam in omnibus sibi ab eo credidit satisfactũ, post certos mẽses, quia perfectã iam esse animã comprobasset, eo quod habitaret in eo uera & tota simplicitas, gratia eũ iuuante diuina, unã ei cellulam fecit, à tertio lapide, uel quarto; dixitq; ei. Ecce quia iã monachus effectus es, solus mane, ut possis & dæmones experiri. Intra unũ igitur annũ illic manens Paulus, diuinã gratiam meruit contra ægritudines hominũ, & contra dæmonũ potestatem.

Vna igitur dierũ cum ad sanctum Antonium quidam fuisset exhibitus, quẽ scelestus durissime dæmon urgebat, tenẽs inter cæteros impuros spiritus principatũ, qui & contra ipsum sacrilega cœlum uerba iacebat:

1 *Vide Christianũ morem etiam antiquitus obseruatum, quod ante cibi sumptionẽ deo oratio fundatur.*

2 *Et hoc de Christiana consuetudine est, ut post cibum deo gratiæ exemplo domini referantur.*

3 *Vide quomodo etiam antiqui monachi psalmodia cũ orationibus & uigilijs utebãtur.*

Viſo eo ſanctus Antonius, hoc ijs qui eũ perduxerant, dixit. Nõ eſt iſtud opus meũ, nec dũ enim diuinã gratiam contra principẽ diabolicæ legionis accepi. Eſt hoc quod quæritur, ſimplicis Pauli. Tunc ipſe igitur benedictus Antonius, ad memoratũ Paulum cũ eis qui aduenerant pergit: Dicitq; ei, Abba Paule, pelle hunc dæmonẽ ab hominis iſtius anima, ut incolumis ad ꝓpria reuertatur, & dñm benedicat. Reſpõdit ad hoc Paulus. Tu enim quid? Dicit Antonius; Mihi non uacat, aliud opus exerceo. Relictoq; eo ſanctus Antonius rurſus ad propriã reuertitur cellam. Tũc igitur aſſurgens ſenex, & orationẽ intentiſſime faciens, hæc ad eũ loquutus eſt, qui dæmone laborabat. Abbas Antonius dixit, ut de homine iſto recedas, et glorificet dñm. Dęmon autẽ in iniuriã diuinitatis proclamãdo multa dicebat, nõ exeo deteſtabilis ſenex. Arrepta ergo pelle, q̃ humeros ſuos tegebat, uerberabat eũ, repetẽs ac dicẽs, Exi qa hoc Abbas Antonius dixit. Iniurioſa autẽ, & in ſanctũ Antoniũ dæmon protulit uerba, uehementioresq; Paulo cõtumelias irrogabat, hoc clamitãs: Deteſtandi ſenes quos obliuio nr̃a pręterijt; inſatiabiles, q̨ proprijs cõtẽti nõ eſtis: Quid nobis uobiſcũ cõmune eſt? Quid in nos exercetis ueſtrã tyrãnidẽ? Ad poſtremum ſic ad eũ locutus eſt Paulus. Egrederis ab iſto, aut uado, et hoc à me audiet Chriſtus? Per Ieſum inq̃t, ſi exire nolueris iã nunc; eã, & hoc Chriſto loquar, & ue tibi erit. Iterũ autẽ dęmon ferocior cõtra diuinitatẽ uociferari cœpit, & dicere; nõ egredior. Iratus itaq; tũc Paulus cõtra dęmonẽ reluctantẽ: Egredit̃ cellã ſuã in ipſis medijs flãmis diei, tales autẽ ſunt ęſtus Ægyptiorꝫ, ut Babylonię fornacis ardoribus pręeſſe credant̃. In ipſo igit̃ ſcopulo mõtis, uelut colũna cęleſtis ſtetit Paulus ĩmobilis, & his ĩ orõne ſua locutus ẽ uerbis. Tu uides Ieſu Chriſte q̨ ſub Põtio Pilato crucifixus es, qd nõ ante ego ex hac rupe deſcendã, nõ cibũ ante ſumã non potũ, ſic ꝓfecto moriturus, q̃ ex hoc hoĩe ĩmundũ ſpiritũ pellas, liberũq; eũ à tali morte digneris efficere. Quo iſta dicẽte, anteq̃ ipſa hęc uerba ſui oris cõpleſſet, maxima dæmõ uoce ꝓclamãs, iſta dicebat: Vade, uade: exeo, uim patior. Ecce diſcedo ab hoĩe; nec accedo ulterius. Simplicitas me Pauli urget, ac proſequitur, & quo eã neſcio. Moxq; ĩmundus ſpiritus egreſſus ex hoĩe, atq; in ĩmanẽ draconẽ cubitorũ ſeptuaginta conuerſus: in rubrũ mare protinus deuolutus eſt, ut impleretur quod dictũ eſt ꝑ ſpiritũ ſanctũ, demõſtrata fide iuſti. Refert & rurſus in alio loco, ſupra quẽ requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilẽ & quietum, & trementẽ uerba mea? Solent enim miſerrimi ac uiliſſimi dęmonũ à magnis uiris ſolo fidei robore: magni autẽ dæmones à ſimplicibus uel humilibus fugari.

Hæc ſunt miracula ſimplicis, atq; humilis Pauli, aliaq; cõplura, his & maiora, qui ab hominibus ſimplex eſt nominatus.

Habetur in libro eo-dem qui Paradiſus Heraclidis dicitur. Cap. 11.

VITA ABBATIS PACHOMII, PER PALladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

12. PAchomius quidã nomine, ſeptuageſimũ ætatis ſuæ annũ agens, in ea

quæ

quæ Scytin dicitur, regione degebat. Contigit itaq; dũ grandis cupiditas actus uenerei me cępisset urgere, grauiterq; ac moleste plus ferrẽ, aduersus sordidas cogitationes, & cõtra insomnia nocturna confligens, qđ me ab his ubi eram solitudinibus, uis ipsius cõpellebat exire. Vicinis quidem meis nihil de pestilentia, & tali ardore dicebam; nec Euagrio quidẽ magistro meo, tale aliquid confitebar. Occulte tamen ad interiora, ac uastiora deserti perrexi, ubi per quindecim dies in eo qui Scytin dicitur loco, uenerabiles multos, qui ibidem consenuerant patres uidi; inter quos, & cũ supradicto Pachomio, potui habere colloquium. Et quia repperi eũ inter cæteros monachos prope palmã tenere: fidenter ad eũ detuli animi mei anxietatem; Qui ita locutus est mihi.

Non sit tibi inquit, noua res ista; quã pateris. Nam quod non ex negligentia mentis, atq; desidia, id quo turbaris incurreris, sufficienter tibi testimonium præbet, & locorũ natura, & inopia omnium rerũ, & ipsarum quod nemini dubium est absentia fœminarũ, sed magis tentatione ista laboras, propter studium, ac desiderium castitatis. Triplex enim ex fornicationis incursu nascitur pugna, & aliquando quidẽ caro nostra, si in nobis fuerit nimis sana, lasciuit. Sæpe autẽ ex cogitationibus uanis, morbus iste procedit. Interdũ dęmon contra nos, dũ nobis inuidet, pręliatur. Ego enim frequenter ista pertractans; ita semper inueni. Nam ut ipse uides, admodũ senex per quadraginta annos in ista cellula degens, maximamq; salutis proprię gerens curã, etiã usq; ad pręsens tẽpus huiusmodi tentatione sollicitor. Cum sacramento autẽ istud sanctus ipse dicebat, per duodecim annos post quinquagesimũ, non nocte, non die, unq̃ hic à me morbus abscessit, usq; adeo ut priuatum me iam dei auxilio suspicare, ob quod, merito me putarẽ dęmonis uirtute superari. Malui tamen eo tempore, irrationabili quadã morte deficere, q̃ tali corporis morbo, cũ tam obscęna deformitate succũbere, moxq; progressus, ac peragrans solitudines totas, speluncã ferę alicuius inueni; in quã me proieci per diem nudũ ut quod sine dubio fore credebã, ab egredientibus ex ea bestijs deuorarer. Cũ autẽ uespertinas usq; ad horas sic iacendo peruenissem (iuxta id qđ scriptũ, sol cognouit occasum suũ, posuisti tenebras, & facta est, nox in ipsa pertransibũt omnes bestię syluę. Catuli Leonũ rugientes, ut rapiant & quærant à deo escam sibi) exeuntes bestiæ, fœmina cũ masculo, odore ad me ducente, uenerunt; à capite usque ad ipsos pedes lingua me blandiente lambentes; Et dum me ab illis arbitror deuorandum, sic me intactum atque incolumem reliquerunt. Iacensq; illic per totam noctem, nihil omnino perpessus sum.

Cogitans igitur & credens, quod mihi prorsus dominus pepercisset, mox reuertor ad cellã. Paucis autẽ diebus, dæmon quieuit, & rursus iterũ mihi uehementius q̃ solebat, incubuit, ut penè me cogeret ore blasphemando peccare. Transfiguratus est enim in quandã Ethiopissam puellã, quã ego meminerã me in iuuenili ætate uidisse mesium tẽpore calamos

colligentem;quæ cũ ſubito ſedere ſupra genua mea cępiſſet, uſque adeo omnia mea mẽbra cõmouit, ut cũ ea me pene ſcelus cõmiſiſſe putarem. Iratus igitur ac ſæuiens, percuſſi eã dextera mea, ſtatimq; (ut uiſum eſt) euanuit. Et ſi mihi dicenti credis, per biennium totum, fœtorẽ eius (qua illa percuſſeram, manus ferre non poteram.

Maxima igitur animi anxietate ac deſperatione perterritus, ad intima atque uaſtiſsima errabundus deſerta perrexi. Vbi cũ aſpidẽ modicã reperiſſem, manu tentam uirilibus membris iratus admoui, ut mortem mihi, uel morſus eius inferret, caput & ſerpentis perfricando his in locis, a quibus mihi tentationis cauſam prouenire arbitrabar, cõtriui. Et ne ſic quidẽ me anguis momordit: diuina ſicut credo me gratia prouidente, & hoc tunc cũ mihi talis in ſenſus uox deſcendiſſet, audiui: Vade inquit, Pachomi, inſiſte agoni tuo. Ob hoc enim permiſi te dæmonis uirtute ſuperari, ne inciperes quaſi fortior ſuperbire. Sed ut agnoſcens infirmitatem tuam, nec ex conuerſatione uitę tuę aliquam fiduciam gerens, ad auxilia ſemper diuina confugeres. Poſtquã igitur mihi ſatisfactum eſt, ad propria ſecreta remeaui, de cætero cũ fiducia ſedens, neq; ullo certaminis angore uel ſolicitudine iam laborans, ſed reliquos œui dies pacatis ſenſibus uiuens. Ille autẽ meus inimicus, cũ ſe ita a me contẽptui eſſe uideret, neq; ultra moleſtus mihi eſſe poſſet: confuſus abſceſsit.

His itaq; uerbis contra inſidiantium dæmonũ pugnas, ſanctus Pachomius me confirmans, fortioremq; faciens, ad certamen aduerſum ſpiritum fornicationis, diuina gratia tolerandum, ſufficienter me exhortatũ remiſit ad cellam.

Habetur in libro qui Paradiſus Heraclidis uulgo dicitur, cap. 12

VITA STEPHANI MONACHI, PER PALLAdium Epiſcopum Cappadociæ ſcripta, in qua etiam nonnullorum monachorum caſus ad aliorum correctionem interſeruntur.

13. STephanus quidam oriundus ex Lybia, in parte eorum locorũ, quibus Marmaricę & Mareotidis nomen eſt: per ſexaginta annos ſedens, uſq; adeo perfectus factus eſt monachus, tantumq; habuit in diſcernenda rerũ ambiguitate iudicium, ut eiuſmodi diuinã gratiam mereretur. Hoc eſt, ut quicunq; ad ipſum, ex quacunq; re triſtis aliquando ueniſſet, poſt uiſionẽ eius atque ſermonẽ, lætus abſcederet. Notus autem hic & ſancto uiro Antonio fuit, peruenit & uſq; ad noſtri temporis dies. Quem ego quidem uidere non potui, eo quod ſeparabant nos longa interualla terrarum.

Sanctus autẽ Antonius, & Euagrius, & qui cũ ipſis erant, mihi aliquãdo referebant, dicentes quod repperiſſent eum quondam tali ægritudine laborantẽ, ut in ipſis naturæ uerendis quodam ulcere (quod quidã fagadenam appellant) cruciaretur. Qui dum a quodã medico curaretur, in-

uenimus inquiunt eũ,opus quidẽ manibus facientẽ suis,& torquentem de palmis funes,ac nobiscũ sermocinantem; cæteras uero corporis partes medico ferroq; præbentem,qui adeo per gratiam patientiæ alienus erat a sensu corporis,ut alterius crederet membra concidi.

Abscisis itaq; uerendis partibus cunctis,nihil penitus sentiebat,intantum separata mens ipsius erant a rebus humanis,& cœlestibus solis cogitationibus occupata,nobis autem tam tristitia repletis q̃ ipsius langoris horrore confusis,cogitantibusq; q huiusmodi illius uiri uita,talem incidisset in morbũ,ut sic eũ necesse esset secari: Hoc ille beatus Dei seruus Stephanus sentiens,sic dicebat. Filij uidete ne animi uestri ex ualitudinis istius contẽplatione lædantur.Nihil enim eorũ quæ facit Deus,ex aliqua malignitate descendit, sed omnia ad bonũ finem, & uotiuũ exitum spectant. Fortasis autem & ipsa pars corporis,talibus dedi supplicijs merebatur, meliusq; illi erat hic recipere uicem, q̃ ad æterna tormenta post hoc seculum reseruari.

Hæc itaq; suorũ contẽplatio sermonũ, ad patientiæ studium nos ædificatos, confirmatosq; dimisit. Iccirco uero hæc retuli, ne quisquã forte miretur, si uidemus sanctorũ aliquem huiusmodi ægritudine laborantẽ, aut deinceps uiderimus.

Cap. 19.

Valens nomine iterũ fuit quidam, Palestinus quidẽ genere,sed mente Corinthius,id est sensu inflatus.In Corinthiorũ enim animis semper tumor quidã, & inflatio mentis apparet. Sicut ad eos scribens beatus Apostolus Paulus,de hoc exprobrat uicio,dicens,Et uos inflati estis.

Hic ipse Valens postq̃ peruenit ad eremũ, in qua per plurimos annos uixit nobiscũ,difficilisq; uitæ assequutus est studium, ad tantũ superbiæ cacumen ascendit, ut diabolicis irrisionibus, ac fallacijs uinceretur. Nam paulatim eum in docendi elatione deceptum, ad hoc dæmon adduxerat, ut ita se nescio quid esse magnũ putaret, tanquã quotidie angelorũ uisione ministerioq; frueretur.

Referebant igitur eius notisimi,quod uno quodam die, dum in tenebris opus faceret,acus illi qua sportellam cõsuebat,excidisset è manibus, & cũ eam non posset (quia in obscuro non cerneret) inuenire, lampade ministerio dæmonis ei accensa,sic acum,quã perdiderat inuenisset. Rursus ex ipsa inflatione refectus,in tantũ superbiæ tumorem elatus est,ut 1 sacrorũ quoq; mysteriorũ Christi,contemneret cõmunionem.

1 *Nota sanctam Eucharistiam uocari sacrorum Christi mysteriorum cõmunionem.*

Euenit autẽ ut quidam illuc peregrini uenirent, uariaq; leguminum genera,nucum,atq; pomorũ ad ecclesiam fratribus exhiberent: Quæ cũ suscepisset sanctus Macarius presbyter noster,misissetq; singulis tantum quantũ manus capere posset unius, inter quos & cũ Valenti partem cũ cęteris destinasset, Valens eum qui transmissa detulerat,iniurijs,plagisq; confecit. Hoc ei dicens: Vade,& dic Macario,quod nõ sum illo deterior, ut benedictiones ad me transmittat. Cunq; hunc eius errorem Macarius sanctus audisset,atq; ad eum alio die solatij causa,consilijq; uenisset,dice-

retq; ei; Seductus es frater Valens, quiesce de cætero, ac dominũ depreca re. Hoc ei persuadere non potuit. Et cũ penitus ab eo nõ audiretur, tristis de eius ruina factus abscessit.

Certus igitur cępit esse iam dęmõ, quod ita ut ipse uoluit, fallacijs eius ac dolis cederet Valens: moxq; de eius perditione securus, ista machinatur. In effigiem Saluatoris transfiguratus, nocte ad eum uenit cum choro quodam mille (ut finxerat) angelorũ, lampades accensas tenentium, & cũ flammea rota, in qua Saluatorẽ sedere simulauerat, præcedẽte uno ex ipsis, eiq; ista dicente. Placuit Christo conuersatio tua, ac fiducia probabilis, & uenit ad te desiderans te uidere. Egredere igitur è cella tua, nihilq; aliud facias, nisi ut uenientẽ eminus cernens, inclinans te, adorare festines, sic deinceps ad proprium habitaculum reuersurus. Egressus igitur ê cella sua, credensq; se cernere diuina ministerij cęlestis officia, cunctaq; lampadum fulgore rutilantia, & ipsum Antichristum non ultra unius spacium stadij constitutum; protinus pronus in terra, & eum quem dominum crederet, adorauit.

Antichristũm diabolum hoc in loco intellige.

In tantum igitur læsa mens eius est, ut cũ sequenti die Ecclesiam fuisset ingressus, collectis in unũ fratribus diceret, Ego iam cõmunione non egeo: Christum enim ipsum uidi hodie. Tunc demũ uenerabiles patres ferreis eũ uinculis illigatũ, per uniuersum annũ proprijs orationibus curauerunt. Hæc autẽ fuit forma medicinæ; secularis eum uitæ conuersationi dederunt, ut ex eo quod nihil haberet cõmune cũ sanctis, inflatio animi ipsius tumorq; cessaret, ut solet dici, contrarias res contrarijs debere curari remedijs.

Valde autem & hoc necessarium credo, legentibusq; arbitror profuturum, quod talium quoq; uitas hominũ paginis libelli huius inserimus, sicut & inter sanctas paradisi arbores lignum illud per quod bonum, malumq; cognoscitur insitum scimus, ut si quando in uita aliquid sua, grande quis fecerit, non ex eo tanquã proprię uirtutis ostentatione se iactet. Frequenter enim & ipsa magnarũ palma uirtutum; causa nobis cuiusdam, & occasio fit ruinæ, nisi ad gloriam propositi, recto itinere uenire properemus. Scriptũ est enim; Vidi iustum in sua perire iustitia, & hoc utique uanitas est.

Cap. 14.

Neron quidam nomine fuit uicinitate proximus mihi, Alexandrinus genere, urbanus & iuuenis, mẽtis argutæ, puræ & probabilis uitæ, & ipse post multos labores, nimiosq; sudores, uitamq; ad summã plenam uirtutibus, animæ quodam tumore sic corruit, ut supra sanctos ac uenerabiles patres esse se crederet: tanq; iniuriosa contra sanctum Euagrium uerba iactaret, ut diceret ei: 2 Maximo errore falluntur qui doctrinæ tuę credunt. Non enim oportet alio præter Christum uti magistro.

2 *Etiam nostri temporis hæretici hoc loquẽdi modo utuntur, quasi doctrinæ sanctorum sint contrariæ doctrinæ Christi, & non ad eam tanquã ad finẽ subordinatæ.*

Abutebatur autẽ & testimonio sancto, ad propositũ stultitiæ proprię roborandum. Dicebatq; quod Saluator ipse dixisset: Nullum in terris uocetis magistrum; qui & ipse in tantam cordis obtusi incididit cęcitatem,

ut eum quoq; postea esset necesse cathenis ferroq; uinciri, eo quod iam nec ad sancta 3 mysteria uellet accedere. Vt autẽ se rei ueritas habet, immensę uirtutis ac uitę fuit, atque subtilis, ita ut multi, qui cũ ipso uixerunt referrent, post tres menses eum cibum frequenter accipere, sola sanctorum mysteriorum communione contentum, herbisq; siluestribus, si quas inuenire potuisset.

3 Ecce Eucharistiã dici sancta mysteria, sic & paulo infra.

Ego quoq; eum uideor expertus eo tẽpore quo simul cũ beato Albano pergeret Scytin. Distabat autẽ ipsa Scytis a nobis quadragesimo lapide. In quibus bis manducauimus, & ter aquã bibimus, ille uero nihil penitus cibi sumens, sed pede iter faciens, quindecim primũ reddidit psalmos. Tunc & illum, qui est maximus dixit. Post modum illam quæ est ad Hebræos Epistolam; & Esaiam; partemq; Hieremiæ; & Lucã Euangelistã; Salomonis prouerbia, ita memoriter ambulans legit, ut eum gradientem assequi non possemus, nimia uelocitate properantẽ. Hic igitur ad postremum, maligni dæmonis fraude, quasi quodam exagitatus incendio; in cellam quidem suam non redijt.

Profectus autẽ Alexandriæ ciuitatẽ, ueluti ordinatione diuina, clauũ clauo, ut dici solet excussit. Incidit enim propria uoluntate in eos, cũ quibus istiusmodi more uiuebat. Vnde tamẽ inuitus, postea remedium salutis inuenit. Intereat enim & circi spectaculis & theatri, & in tabernis diebus, ac noctibus morabatur. Cunq; in his uoracitati, atq; ebrietati se penitus dedisset, in fœminei quoque desiderij incidit cęnum. Et dum peccare meditatur, cũ Mima quadam cępit loqui, proprium ei uulnus insinuans. Pustula enim quædam quã carbunculum uocant: nata est ei in ipsis uerendis, ac tanta per sex menses ægritudine laborabat, ut naturalia ipsius putrefacta, radicitus caderent.

Postea uero cũ sanitatem, excepta illa parte mẽbrorum quã perdiderat, recepisset: ad diuinã sapientiam rediјt, sanctis patribus quæ ei acciderant cuncta cõfessus, pęnitentiam tamen factis implere non potuit, quia post paucos dies, debito fine quieuit.

Alius iterũ Ptholomeus nomine, eo more uiuebat, ut difficile posit referri, quia inenarrabilis uidetur. Habitauit autem inter initia ultra quę Scytin, sæpe diximus loca, in ea parte, quã clima uocant. In quo tamen loco nullus monachorũ ualebat habitare, eo quod octauodecimo lapide, puteus aquæ remotus esse uideretur. Cap. 15.

Ille igitur cilicensis illuc plures lagenas pertulit secum, quas Decembri & Ianuario mense, spongia ex Petris colligens rorem (multũ enim tunc in ipsis regionibus cadit roris) implebat. Idq; ei per quindecim illic habitanti annos, sufficiebat ad potũ, qui penitus separatus a doctrina spirituali, colloquioq; sanctorũ uirorũ, quorũ ei sermo prodesse poterat, & a frequenti mysteriorũ cõmunione, subito quasi alienus effectus, in tantum a recto itinere deuiauit, ut diceret nullam esse prouidẽtiam rerum, sed omnia suis quodammodo motibus ferri.

Persuasit igitur ei uitæ hostis humanæ, in eius animam prorsus ingrediens, atque dicens: His ita se habentibus: quid frustra consumeris Ptholomee, aut qua mercedis retributione laboras? cum nulla sit remuneratio meritorũ; quod si esset etiam retributio, quæ merces pro tantis laboribus tibi sufficeret? quale uero iudicium scripturæ minantur, ubi sine prouidentia cuncta labuntur? His diabolicis cogitationibus miserrimus Ptolomeus infractus, fertur insaniens, & a naturali discedens prudentia, etiam usque ad præsens tẽpus in Ægypto, cũ eiusmodi errore uersari, uoracitati tantũ ebrietatiq; deditus, ut nullum prorsus cũ aliquo soleat habere sermonẽ, sed uelut Æneus reuertens de publico, miserandum lachrymisq; plenũ spectaculum oculis Christianorũ expositus. Irrisio uero atque deceptio cunctis, qui gratiam nostræ conuersationis ignorant.

4 In hanc autem Ptholomeus est dilapsus insaniam, ex 4 irrationali quadam præsumptione, dum putat illusus ab auctore facinorum, quod omnes sanctos patres scientiæ uirtute præcellat, per quã suus hostis effectus, hanc foueam perditionis incurrit, nunq̃ cũ talibus uiris qui gubernaculis sapientiæ spiritualis usi sunt, loqui dignatus. Vnde neglectus, ac negligens, ad mortis profunda dilapsus, sicut arbor foliorum exuberans, repente unius momenti tempore nuda, aridaq; monstratur, secundum quod scriptũ est, Qui non habent gubernacula, cadunt sicut folia.

Aduertis unam hæreseos causam esse, irrationalem quandã præsumptionem qua quis se putat omnes sanctos patres sciẽtiæ uirtute præcellere?

Cap. 16.

Noueram uirginem quãdam de Hierosolyma, cilicio uestitam, & per sex annos semper inclusam, nihilq; eius quod uoluptatem aliquam posset exhibere gustantẽ, quam ad postremum diuino auxilio destitutam, tam immensę superbiæ morbus inuasit, ut talem ruinam qualem dicimus, sustineret.

Aperuit enim subito fenestrã cellulæ suæ, suscepitq; eũ qui consueuerat ei uitæ necessaria ministrare cũ eo concũbens. Hoc autẽ malum inde descendit, quod non secundũ spirituale propositũ, nec propter dilectionẽ Dei, ad monachicã uenerat uitam, sed humanæ uanitatis illecebra, quæ ex inanis glorię cupiditate generatur, & per infirmam atque instabilem animi uoluntatẽ. Dum enim cogitationes suas omnes, alienæ uitę maledicis reprehensionibus occuparet, discedente ab ea angelo sanctitatis, nullum omnino custodẽ proprię reliquerat castitatis.

Iccirco autẽ utranq; uitã religiosissimorũ hominũ, & eorũ qui per neglectum post labores ĩmodicos, & temporũ spacia de summo fastigio ceciderunt describimus, ut unusquisq; de sua conuersatione insidias inimici considerans, occultos eius laqueos posit euadere. Sed cũ sint magnorũ uirorum, fœminarumq; q̃ plurimi, qui abrenunciationis suæ principia, uirtute peregerunt, deinde ab hoste cunctorũ hominũ sunt elisi, ideo ex pluribus, quorũ etiam uitæ socius extiti, paucos enumero, quia neq; illos ad fortia iam reuocare ulterius, nec mihi ꝓdesse præualeo, magnos Christi athletas laudans, nec imitans.

VITA ABBATIS HELIÆ, PER PALLAdium Episcopum Cappadociæ descripta.

Habetur in libro qui uulgo Paradisus Heraclidis dicitur cap. 17

Helias quidam nomine, monachus optimus magnã habuit cõsideratione sexus infirmi deuotarũ Deo uirginũ. Sunt enim tales quorundã animæ, quarũ propositũ ultimi finis testimonio comprobatur. Qui amore uirtutis accensus, & fœminei sexus miseratione, in ea quæ a Triuis ciuitate dicitur, ex pecunijs quæ ipsi suppeditabant, monasterium ĩmane construxit. Ad quẽ locũ plurimas (quæ uagari & errare consueuerant) fœminas congregauit, omniumq; prout necessitas postulasset curã gerebat: quibus cuncta præstiterat, quæ ad uitę solatium pertinebant, ortulos quoq; & instrumenta diuersæ supellectilis necessaria, & reliqua, quæ humani usus ratio deposcit.

Istę ex dissimilis uitæ genere, intra unius habitaculi claustra collectę, frequentibus se inuicẽ iurgijs inquietabant. Vnde interdũ necessitas exigebat, ut inter eas simultatũ talium causas ipse cognosceret, pacemq; repararet. Collegerat enim illuc usq; ad trecentarũ numerũ fœminarũ, nec siue mediatore ipso, conuersatio earũ poterat ordinari. Quòd cũ iam per biennium faceret, & adhuc penè ipse iuuenis uideretur (triginta enim uel quadraginta annos habebat) tentatus est subito corporali desiderio uoluptatis. Relicto itaq; monasterio dum per solitudines totas biduo iugi, ieiunus erraret, huiusmodi precẽ fudit ad dominum: Domine inquit, aut occide, ne uideam illas tristitia laborantes, aut a me tentationẽ huius cupiditatis exclude, ut earũ curam ita ut oportet, aut conuenit, geram.

Vespertinis itaq; horis, subito eũ in desiderio somnus oppressit, & tres numero angelos, ad se uenisse conspexit, ut ipse referebat. Tenuerunt igitur eũ, dicentes: Cur egressus es de monasterio fœminarũ. Quibus cũ ille trãsmigrationis suæ causam referret, & timuisse se diceret, ne aut sibi, aut illis noceret; hoc illi ad ista respondent. Si igitur ab huiusmodi tentatione per nos fueris liberatus, uadis & rursus ipsarũ suscipis curã? Ad quod cũ libenter ille acquieuisset, iusiurandum ab eo huiusmodi, sicut ipse referebat, exigere cęperunt. Iura inquientes his uerbis. Per eũ qui habet curam mei, illarũ curã habiturũ esse me iuro. Cum ergo illis uerba iurasset, tunc unus ex ipsis manus illius tenuit, & alter pedes; tertius autẽ arrepta nouacula illum emasculare uisus est: non quod pro uero hoc faceret, sed quod facere uideretur. Nam in quodam stupore animi, eo tẽpore se esse credebat, atq; hæc sentiebat se ratione curatũ. Tunc igitur angeli interrogant eũ, an aliquid sibi, factum suũ profuisse sensisset. Ille respondit uehementer inquiens intelligo, onus quoddam mihi esse sublatum; & satis credo omni quã formidabam, me molestia liberatum. Dicunt ei: Ergo nunc uade ad monasterium tuum.

Qui post quinque regressus dies, ingressusq; lugentium monasteriũ fœminarũ, in eodẽ exinde loco mansit in cella ex obliquo habitaculi illius

posita, in qua cũ magis ipsis proximus uideretur, frequentibus eas quantum in ipso erat, emendationibus, corrigebat. Vixit autẽ alios quadraginta annos, sanctis patribus asseuerans, quod nunquã ultra in cor ipsius cogitatio talis ascenderit. Hanc ergo beatus ille Helias Dei gratiã meruit, ut sic propria cura, muliebre monasterium gubernaret.

Huic succedit Dorotheus uir beatissimus, qui in moribus laudabilis uitæ consenuit, non quidem in monasterio ipso, ita conuersari præualens ut prior, in superiore tamẽ se condidit colla, ubi unã fecit fenestrã ex qua contẽplari fœminas in monasterio suo posset. Quã fenestrã, & claudere & aperire consueuerat, cui & iugiter assidebat, ad unanimitatẽ pacemq; sorores erudiens. Itaq; in superiore illa monasterij parte consenuit; cum neque mulieres ad ipsum ascendere, neque ipse descendere posset ad eas. Quia nec Scalæ illic unquã positæ erant, per quas huiusmodi cuiquã pateret accessus. Hæc est beati Dorothei in abstinentiæ uirtute perfectio, & finis huiusmodi.

Habetur in libro qui supra cap. 18.

VITA PIAMONIS VIRGINIS, PER Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

1 Si seruare uirginitatem esset impossibile, ut impie garriunt quidã, quõ potuisset hæc per totam uitam suam uirgo permanere? Permansit autem ex gratia Dei q̃ nulli uolenti ut ipsa uoluit, negatur a Deo.

PIamon nomine 1 virgo quædã fuit, quæ omnes ætatis suæ annos cũ matre sua uixit, iugiter faciens opus lini, & post alterum semper diem circa uesperã cibũ sumens. Hæc a Deo meruit accipere scientiam futurorũ. Nam cũ apud Ægyptum quondam in accensu fluminis Nyli, contra uici unius excidium uicus alter ueniret (cũ grandi enim certamine, partiuntur irrigationis uices, usque adeo ut ad uulnera sua, mortesq; descendant) cũ igitur fortior populus ad inferioris uici homines, in quo erat ista, uenisset, numeroq; suæ multitudinis fidens, & tam militaribus q̃ rusticis armis instructus, ad euersionẽ supradictæ possessionis accederet, astitit ei angelus aduentũ inimicorũ nuncians, quẽ nullus illic poterat suspicari. Tunc uirgo memorata, uici presbyteros conuocauit, hoc dicens: Exite & occurrite ijs, qui de uico illo ad internitionem uestrã uenire festinant, ac ne una & ipsi cum cellulis uestris cede pereatis, deprecamini eos, ut ab apparatu certaminis huius recedant.

Cumq; presbyteri admodum ad hæc dicta timuissent, proni ad pedes cadunt, rogantes eam, atq; dicentes: Quia nos non audemus eis occurrere: Scimus enim, & ebrietates eorũ, & audaciam non ferendam. Sed adde hoc quoq; inquiunt, misericordiæ tuæ, supra omnẽ hunc qui tremit uicũ, & super istam quoq; domunculum tuam, & magis ipsa progredere atq; occurre uenientibus, locumq; istum redde pacatũ. At illa hoc quidem se facturã negauit; Ascendit tamen protinus superiora domus propriæ, & tota illic nocte in continua oratione permansit, ne genua quidẽ flectens, atque has domino preces effudit: Domine (inquit) Deus qui omnẽ iudicas terram, cui nihil unquã placet iniustum, ascendat ad te oratio mea, &

aduenìat uirtus tua, quæ in excidium noſtrũ ruentes in eo ipſo, in quo illis occurrerit loco, ueluti clauorũ affixione contineat.

Hoc ergo ſermone, & hac oratione cõpleta, hoſtes eorũ in tertio iam uici lapide conſtituti, circa primã horã diei, ita in memorato hęſerunt loco, ut prorſus moueri inde non poſſent. Hoc autẽ & ipſis reuelatione patefactum eſt, quod molitiones eorũ, 2 orationes, memoratæ uirginis impediſſent. Mox itaq; quibuſdam de ſuis ad uicum ipſius miſsis, poſtulant pacem, iſta mandantes: Gratias Deo agite, qui nos orationibus Piamonis, ab excidio ueſtræ poſſeſsionis auertit.

2 Vide quantum ualuerit apud deum ſanctæ Virginis oratio.

VITA ABBATIS PACHOMII ALTERIVS per Palladium Epiſcopum Cappadociæ deſcripta.

Habetũr in libro eodem cap. 19.

.16.

THebennenſis nomine, in Thebaide prouincia dicitur locus, in quo Pachomius quidam fuit, uir iuſtus in tantũ, ut per diuinã gratiam noſſet futura, & angelica etiam uiſione frueretur. Hic ad perfectũ miſericors & humanus fuit, & ineſtimabili fratres amore dilexit. Ad quẽ in ſpelunca ſedentem angelus domini uenit, dicens ei: Per omnia quæ ad propoſitum tuũ pertinent, ſcias te eſſe perfectum. Vnde iam in ſpelunca ſuperfluo ſedes; Veni igitur, & relicto hoc loco, collige omnes monachos iuniores, & cũ ipſis habita, & eos iuxta regulam uitæ, quam a me diſces inſtitue. Tabulas autẽ illi cereas dedit, in quibus ſcriptum erat, permittes unicuiq; ut tantũ quantũ poſcit, & cibi ſumat & potus, & iuxta manducantium, & bibentium uires, paribus quoque operibus eos ſubiugabis, & neque quenquã ieiunare, neque manducare prohibebis, ita tamen ut fortioribus, & magis edentibus ſemper opus grauius iniungas. Infirmi autẽ & uere monachi, ad operandum leuius urgeantur diuerſas etiam intra atrium domus cellulas facies, & ternos per ſingulas manere præcipies. In uno tantum loco cibus omnium fiat. Somnũ uero capiant non iacentes, ſed ſuper inſtructas, & paululum recliues cathedras, & uelatas pallijs ſuis ſedentes quieſcant. Vtantur autẽ noctibus lineis ueſtibus (quas Leuitonas uocant) cuncti, & ſinguli quiq; eorũ pellibus caprinis bene confectis tegantur. Quas pelles nec tunc quoq; cũ uoluerint cibũ capere, uel ſomnum, deponant. Quando autẽ ad cõmunionẽ ſabbati, uel dominici diei ingrediuntur, unuſquiſq; ſuũ cingulum ſoluat, pellemq́; deponat, & cũ 1 cucullo tantũ ingrediatur. Cucullos autẽ ipſos ſine uillo paruulos fieri, ut infantibus ordinauit; in quibus & quædam ſigna de purpura, fecit intexi. Iuſsit uiginti quatuor eſſe ordines fratrũ, iuxta uiginti quatuor numerũ literarũ: & unicuiq; ordini ſuppoſuit literã græcã ab alpha, & beta, gamma, delta, & cæteris uſque ω.

1 Vide uſum cuculli etiam apud antiquiſſimos monachos.

Dum igitur interrogaret ſanctus Pachomius, & in tanta multitudine ſingulorũ requireret uitã, dicebat ſecũdo illi qui erat in ſuo ordine prior, quemadmodum ſe habet Alpha, uel quomodo habet beta? Et iterum ſa-

lutem per unumquenq; ex proprio signo,& uocabulo literæ requirebat. Et simplicioribus quidẽ perfectisq; monachis inquit angelus, iotę literæ nomen, durioribus autem, ac difficilioribus chi literæ nomen impones. Itaque unicuique ordini tales uocabulorũ imprimes notas, ut mores per eas significentur animorũ. Soli tamen spirituales nouerant uiri, qualem supposita elementa uitã sui ordinis indicare uideantur. Scriptũ autẽ hoc in tabulis ipsis erat. Si quis inquit, de alio monasterio peregrinus aduenerit, aliam regulam sequens, nec manducet cũ illis iste, nec potet, neque in mansionẽ eorũ introducatur, nisi forte in itinere eisdẽ fuerit adiunctus. Quicunque uero icirco ad eos fuerit ingressus, ut cũ ipsis permaneat, non illum nisi trienniј tẽpus impleuerit, in loca monasteriј secretiora recipies. Sed cũ prius per triennium totũ laboriosius opus, duriusq; perfecerit, tunc receptũ intrinsecus eum iam esse permittes. Edentes, cucullis capita sua uelent, ne alter manducantẽ alterũ fratrẽ aspiciat. 2 Nec loqui quicquã dum edit liceat, nec aspicere ad ullam alteram partem, nisi ad solum catinum, & ad solam cui superponitur mensam. Hoc etiam ordinauit & iussit, ut 3 orationes duodecim numero per totum diem facerent, & rursus duodecim alias, quando ad uespertinum lumen uenirent. In nocturnis quoque uigilijs totidem preces effunderent, Tres autem solas, ad horam nonam diei. Quando uero uniuersa multitudo conueniebat ad manducandum, unicuique ordini in singulis orationibus statuit psalmum præcinere.

2 *Ecce quõ antiqui monachi habebant regulas, constitutiones, & modos uiuendi.*

3 *Vtebantur etiam frequẽtibus orationibus & uigilijs.*

Tunc sanctus Pachomius quasi contradicere angelo uoluit, hoc dicẽs: Paucæ sunt istę orationes. Cui respondit hoc angelus. Has orationes fieri icirco præcepi, ut & minores sine aliqua implere tristitia 4 impositã sibi uiuendi regulam possint. Qui uero firmioribus cõsummatioribusq; sensibus uiuunt, non est illis necesse aliena lege constringi. Ipsi enim semetipsos intra cellas, uniuersamq; uitam suam, uisioni & cultui Dei penitus dederunt. His ergo inquit, ista pręcepi, qui nec inuenire possunt uel implere quæ prosint, ut cũ seruili quadam necessitate compulsi, ostenderint dignã in se sub proposito disciplinã, tunc demũ ad fiduciam ualeant diuinæ notitię peruenire. His itaque dispositis, impletoq; ministerio, angelus discessit a sancto Pachomio.

4 *Nota, implere impositam sibi uiuendi regulam possint.*

Plurima igitur sunt monasteria, in quibus ad septẽ milia sunt uirorũ, quæ huiusmodi instituta custodiunt. Sed maximũ id habetur, & primũ, in quo Pachomius ipse degebat, ex quo uidentur & cætera monasteria processisse, quæ ad mille quadringentos fratres habere noscuntur. Inter quos etiam est quidam famulus Dei Antonius nomine, admodum mihi amicitiarũ iure coniunctus, qui secundũ in illo monasterio obtinet locũ. Quẽ de uita ipsius, & conuersatione securi, Alexandriam sepe transmittunt, ut illic ea quidẽ quæ in monasterio fecerint, uendat. Ea autẽ quę scit necessaria, emat semper ac referat. Sunt & alia monasteria ducentenos fratres, & trecentenos habentia, in ea quã panos ciuitate uocant: Quam

ego quadringentos habentē uiros ingressus inueni. Inter quos sartores quindecim repperi, fabriferrarios septem, carpentarios quatuor, camelarios duodecim, fullones quindecim numero, singulos in arte propria laborantes, & ex ijs quę quotidiano uictui superesse poterant, etiam monasterijs fœminarum, carceribusq; uicinis, necessaria quæq; præbentes, & qui sues etiam pascebant. Quod cū ego reprehendendum putarē, hoc quoq; ex traditione maiorū, se suscepisse dicebant. Quia iccirco in monasterijs esse oporteret sues, ne & cribratarū excrementa frugū perirent, & purgatorū folia olerū, & cætera, quæ damnū (si proijcerentur) inferrent. Occidi igitur sues ipsos iubebant, & carnes quidē ipsas ementibus uendi, ungulas tamen, ac minimas partes eorū, in ægrotorū, ac senum epulas deputari, eo quod in regione illa grandis esse inopia rerū, & frequentia hominū uideretur. Blemmyos autē uicinos suis finibus habent.

Antelucanis igitur horis surgentes, qui per dierū uices reliquis seruiebant, alij coquebant cibos, alij mensas parabant. Quas circa tertiam diei horā ponere soliti, perfecto omni opere suo superponebant eisdē panes, & herbulas quasdā suo more cōditas, quas lapsanas uocant. Oliuas quoq;, & caseum præter carnes, cōminuta etiam diuersi generis holera. Quibus in hunc ordinatis modū, alij sexta diei hora ingredientes, sumebant cibū, alij septima, alij octaua, alij nona, alij decima, alij undecima, alij profunda iam nocte uesci cōsueuerant. Quidam autē post biduū etiam capiebant cibū. Ex propria tamen litera poterat hora uniuscuiusq; cognosci. Similiter etiam ipsis erant, & opera diuisa; alij enim agriculturæ inseruiebant, alter ortū colebat, ille officinæ fabricæ uacabat, ille pistoris, alter carpentarij, alter uero fullonis arte clarebat, alter pellium, alter coriorum cōfectione sudabat, alius codicum lectione uel conscriptione gaudebat, alter sportellas grandes intexere solitus erat, alter minores, omnes tamen simul memoriter spirituales libros tenebant.

VITA TABENNENSIOTARVM FOEMINArum, & sanctæ Virginis quæ inter illas stultitiam simulauerat, per Palladium Episcopū Cappadocię descripta.

Habetūr in libro qui Paradisus Heraclidis dicitur, cap. 20, et 21

Est autem apud istos, fœminarū quadringentarū numero 1 monasterium, ijsdem moribus, atque eadem ordinatione uiuentium, excepto uelamento pellium solo. Et mulieres quidem trans fluuium habitant, intra fluuium autē uiri. Cunq; defuncta una uirginū fuerit, uestitam eam ut assolet deferunt aliæ, & supra ripā fluuij ponunt sorores. Quam inde cū olearū ramusculis palmusculisq; nauicula transfretantes uiri, & 2 psalmos canentes, ad suas transferunt partes, & in proprio cū reliquis deputato condunt sepulchro. Nullus tamen excepto presbytero, ac diacono, transit ad monasterium fœminarum, & hoc per dominicum diem tantum.

1 *Ecce quō tēpore Hieronymi & ante fuerunt monasteria Virginum.*

2 *Vide Christianū morem sepeliendi mortuos cum psalmorum decantatione.*

In hoc ipso mulierum habitaculo, res accidit talis. Quidam sartor uestium secularis trangressus fluuium, opus ab ipsis aliquod per ignorantiã postulabat. Cunq; una de fœminis iuuenis processisset (tuto enim uidebatur hoc facere, propter solitudines ipsius, ac deserta regionis) subito eum non sponte conspexit, deditq; illi tale responsum. Nos ad emendandas res nostras, artifices nostros habemus. Alia de feminis cum eos in hac uisione quam retuli notasset, post tempus aliquantulum orto inter eas iurgio, ex diabolica suspitione, & proprÿ cordis malignitate, iracundiæq; feruore memoratæ in conspectu aliarum sororum cœpit calumniari, eiq; nonnullæ ex ipsis, non tamen cum grandi malitia consentiebant. Illa igitur admodum tristis effecta, cum tam manifestã calumniam ferre non posset (sciebat enim se, ne intra sensus quidẽ suos, tale aliquid cogitasse) occulte se præcepitauit in fluuium, atq; hoc fine defecit. Quod ubi quę calumniata ei fuerat audiuit, non ferens tanti sceleris atrocitatem, & ipsa tunc laqueo innexa defecit. Aliæ autẽ sorores huiusmodi factũ, ingresso ad eas presbytero retulerunt. Tunc ille præcepit nullius quidem nomine ex ÿs quæ se tali morte necauerunt debere 3 oblationẽ deo fieri. Quæcunque autem uiderentur ex illius dicti insusurratione discordes, ueluti quæ conscię peccati essent, quia tali calumniæ credidissent, iussit eas per septem annos 4 sanctorũ mysteriorum cõmunione priuari.

3 *Vides quod etiam antiquitus pro animab' defunctorũ, deo oblationes fiebant?*

4 *Sancta mysteria sacratissima Eucharistia appellatur.*

Fuit alia in hoc monasterio uirgo, quæ stultam se esse propter Christum, ac dęmonẽ se finxit habere, ut uirtutẽ sui propositi posset implere. Quæ cum se admodũ humiliaret, atq; deÿceret, usq; adeo omnibus alÿs horrori erat, ut ne cibum quidem cũ ea caperent. Talem ergo gratanter elegerat uitam, & à coquina nunq; recedens, totius illic ministerij tanq; ancilla cunctis obediens, implebat officium, eratq; secundũ uulgare prouerbium, uniuersæ spongia domus. Impletum à se, rebus probans, quod in sancto euangelio scriptum legimus, si quis inter uos uult esse maior, sit omnium seruus, & omnium minister. Et beatus Apostolus: Si quis inquit, ex uobis putat se esse sapientem in hoc mundo: fiat stultus, ut efficiatur sapiens.

Hæc igitur inuolutum pannis habebat caput, & ita omnibus seruiebat. Cæteræ autem uirgines tonsæ 5 cucullis cooperiuntur. Nulla hanc potuit de quadringentis uidere manducantẽ. Nunquã per omne ęuum suum sedit ad mensam. A nulla uel modicam partem panis accepit, sed micas tantũ, detergens illa mensarum & abluens ollas, his solis alimonÿs contenta uiuebat: Nunq̃ calciamentis est usa, nulli unquã fecit iniuriam. Nulla ipsius murmur audiuit, nulli autẽ parum, aut satis unquã locuta est, & certe cum ab omnibus cederetur, cum omnium uiueret odio, cum maledicta omnium sustineret.

5 *Ecce & hic cucullorũ usus.*

De hac sanctissima beato Piterio (cui hoc uocabulum erat) probatissimo uiro, semperq; inter deserta uiuenti, astitit angelus quondam sedenti in porphyrite qui dicitur loco, affatusq; est eum his uerbis. Cur grande

inquit,

inquit, aliquid esse te credis in tuo proposito, & in huiusmodi degens loco? Vis uidere mulierē te sanctiorem? Vade ad Thebennensiotarū monasterium fœminarum, & unam ex ipsis illic inuenies, in capite habentem conscissum pannū, ipsamq; te cognosce esse meliorem. Nam dum contra tantas sola diebus ac noctibus pugnet, cor ipsius à deo nunq̃ recessit. 6
Tu autem uno 6 in loco residens, neq; quoquā aliquando progrediens, per omnes animo & cogitatione urbes uagaris. Statim ad supradictum monasterium uenit, & magistros fratrum rogauit ut transueheretur ad habitaculum fœminarū. Quem mox illi ut uita gloriosum uirū, & iam prouectioris ætatis, cū fiducia grandi fluuium transire fecerunt.

Vides quod non omnes antiqui monachi uagabuntur, ut quidam nunc mentiuntur?

Ingressus autem, post orationē omnes sorores desiderauit inspicere, inter quas solam illam propter quam uenerat, non uidebat. Ait ergo ad postremū, omnes mihi adducite. Deesse enim uidetur aliqua. Dicunt ad eum: Omnes hic sumus. Quibus respondit: Vna deest, quā mihi angelus demonstrauit. Dicunt ei: Vnā stultam habemus intrinsecus in coquina. Sic enim eam, quæ demone uexatur, appellant. Ait ille: Exhibete mihi quoq; ipsam, ut eā uideam. Quo audito, memoratā uocare cœperunt, quæ cū nollet audire, sentiens credo aliquid, aut fortassis hoc ipsum diuina iam reuelatione cognoscens. Dicunt ei: Sanctus Piterius te uidere desiderat. Erat enim famæ ac nominis grandis. Cunq; ad eum fuisset exhibita, uidissetq; panno frontē illius inuolutam proiecit se ad pedes eius dicens, benedic me ama. Procidens autē & ipsa ad pedes eius, dixit: Tu me benedic domine.

Omnes igitur sorores obstupuerunt, simul dicentes: Noli abba talem iniuriam sustinere. Fatua est enim ista, quam cernis. Tunc sanctus Piterius, hoc ipsis omnibus ait. Vos estis fatuæ: Nam hæc uestra & mea, cum sit melior, est amas (hoc enim nomine uocant illi spirituales matres) & precor deum, ut dignus ipsa in die iudicij merear inueniri. Quo audito, omnes simul ad pedes sancti Piterij prociderunt, singulæ uaria peccata propria confitentes, quibus illam sanctissimam contristarunt. Et alia quidem dicebat: ego eam delusi. Alia abluens sordes catini, super eam se fudisse, dicebat. Alia colaphis eam à se uerberatam sæpe memorabat. Alia nares ipsius sinape impletas à se esse, deflebat. Cæteræ quoque diuersas referebant, se ei iniurias irrogasse. Pro quibus omnibus sanctus ille una cum memorata sanctissima uirgine fusis deo precibus, regressus est.

Post paucos autem dies, non ferens illa tantam sui gloriam, tantoq; se nolens sororum honore cumulari, grauariq; se credens satisfactionibus singularum, egressa de monasterio illo, quo ierit, in quem diuerterit locum, uel quo fine defecerit, ad nullius potuit hactenus ad notitiam, peruenire.

Habetur in libro ubi ſupra. C. p 22.

VITA ABBATIS IOANNIS, QVI IN Lyco habitauit, & futura prædicere conſueuerat, per Palladium Epiſcopum Cappadociæ ſcripta.

FVit quidam Ioannes in oppido cui Lycus uocabulum eſt, qui Carpentarij quidē artem, dum adhuc eſſet puer didicit, fratrem tamen tinctorem habuit. Qui͞cq; poſtmodum cum iam uiginti, & quinq; eſſet annorum, huic ſeculo renunciauit. Et per quinque annos in diuerſis monaſterijs degens, ad poſtremū ſolus ſeſe in Lycum contulit montem. In cuius cacumine, trium ſibi uoluminū cellulas fecit. Ingreſſusq; illuc, ita ſe incluſit, ut aditum quoque ipſum per quē introijt, obſtruxerit. Erat igitur unū uolumen ad corporales deputatum neceſſitates, aliud in quo opus facere, & cibū ſumere conſueuerat, Tertium in quo orabat.

2 Hic igitur cum triginta iam annos compleſſet 1 incluſus, per ſolam ſemper feneſtram neceſſaria uictui ſuo ab adminiſtrante ſuſcipiens, meruit talem gratiam Dei, ut haberet ſcientiam futurorū. Nam & ſanctæ memoriæ Theodoſio imperatori frequenter & uaria ex ijs quæ eſſent euentura prædixit. Primū quidē de Maximo, quod & ſuperaturus eum eſſet, & Galliarum ex partibus reuerſurus. Poſtea autem & de Eugenio tyranno, eidem quæ ſubſecuta ſunt, ante prædixit. Quod eū quidē ſuperaturus eſſet, ſed ipſe ibidem uitam finiturus, filiumq; ſuum ſucceſſorē imperij relicturus. De quo apud omnes grandis ſemper fama conualuit. Propter quod & Theodoſius Imperator, prophetali eum uenerari honore conſueuerat, aſſerens illum magnæ eſſe uirtutis. Cū igitur nos, hoc eſt ego, & beatus Euagrius, & Ammonius, & Albinus circa Nytriæ ſolitudines degeremus, cupiebamus diligenter agnoſcere memorati uiri uirtutem. Ait ergo nobis tunc ſanctus Euagrius: Libenter audirem ab eo, qui mentem atque ſermonem bene nouit probare, qualis ſit iſte uir quē loquimur. Si enim eum non prius alio referente, cognouero, neceſſe iam erit, ut ad montem eius aſcendam. Quod cum audiſſem ego, neque cuiq; quicquam tale dixiſſem: Vno die tantum moratus, alio clauſi cellulam meam, & me atq; ipſam cōmendans deo, Thebaidem uſq; perrexi. Diebus decem & octo, omni itinere confecto, partim ambulando pedibus, partim per fluuium nauigando, (agebatur autem hoc eo tempore, quo fluuius ſolebat aſcendere, quando multi ægrotare conſueuerant, quod ſum & ipſe perpeſſus.

Quid hic ais tu qui garris antiquos monachos gyrouagos fuiſſe nec perpetua uſos cella?

Cum ergo illuc ueniſſem, clauſum ſeptum illud inueni, quod ante ingreſſum cubiculorum ipſius erat. Poſtea enim ipſum locū extruxerant fratres. Talis autem erat ædificij ipſius magnitudo, ut ferè centum caperet uiros. Clauſum autem ſemper ipſum habentes locum, ſolo ſabbati & dominico die aperire conſueuerant. Cognita ergo cauſa ob quā. Clauderetur, quieui expectans ſabbati diem. Qui cū aduenisset, ingreſſus ſum circa horam ſecundam, ut ſupradictū uiderem diem. Inueni igitur eum

aſſidentem feneſtræ, ex qua ad ſe ingredientibus ſolebat loqui. Poſt primam itaque ſalutationem hoc mihi per interpretem dixit: Vnde es, uel cur adueniſti? Nam ego de ſocijs Euagrij unum te eſſe conijcio. Reſpódi me eſſe peregrinum, & de galaciæ partibus uenire, & unum me ex Euagrij fratribus eſſe confeſſus ſum.

Interea dum loquimur, ingreſſus eſt ſubito Prouinciæ ipſius præſes Alipius nomine. Ad quẽ relicto quẽ me cum habebat ſermone, ſe contulit. Seceſsi igitur ab hiſdem paululum, & loco cedens eminus ſteti. Prolixas autem eorum fabulationes grauiter, ac moleſte ferens, intra meipſum, bonũ illum ſenem reprehendebã, eo quod meo ſermone contempto, illum potius honoraſſet. Ideoq; cum mihi ingratum fuiſſet, ſpreto eodem, recedere cogitabam. Vocauit itaque ad ſe tunc ille Theodorum nomine interpretem ſuum, dicens: Vade ad fratrem illum, & dic ei. Noli eſſe puſillanimis. Iam nunc enim dimittam præſidem, & tecum loquar. Cognoui igitur ex hoc, eſſe hominem ſpiritualem, & omnia præuidere, & iccirco eo magis cœpi remorari.

Egreſſo uero mox inde præſide, me uocauit, his me alloquens uerbis. (ut inquit) animam tuam, mea reprehenſione læſiſti? Quam in me inueneras culpam, ut ea in tuis ſenſibus cogitares, quæ nec in me cognoſco, nec tuos ſcio mores dicere? An ignoras illud quod ſcriptum eſt, quod non incolumes, ac fortes, ſed quod male ſani medico ſemper indigeant? Nam tu me cum uelis, & rurſus ego inuenire te poſſum, & ſi ex me forſitan nullum, ex alijs tamen fratribus aliquod patribuſq́; poteris habere ſolatium. Iſte uero totus ex ſecularibus rebus diabolicæ deditus poteſtati, uix breuis horæ, ſpatio potuit reſpirare. Et nunc tentans, ſicut quidam ſeruus auſterum dominum ſuum fugiens, uenit, ut ſalutare hic inueniret auxilium. Inconſulta igitur, atque importuna res fieret, ſi illum relinquerem, & tecum morarer, qui iugiter ſalutis tuæ commodis uacare conſueſti. Quem ego magnopere precatus ſum, ut pro me dignaretur orare. Hoc enim mihi ſpiritualem, illum uirum eſſe certiſſime perſuaſit.

Tunc ille iam lætior dextera ſua, in ſiniſtra me leniter uultus mei parte percuſsit, hoc dicens. Multæ te tribulationes manent, paſſus es multa, ut exires de ſolitudine, & interim hoc formidans aliquantulum facere diſtuliſti. Pias autem tibi, & quaſi rationabiles occaſiones afferens dæmon, uentilare te tentat. Admonuit enim & circa patris deſiderium, & quemadmodum frater tuus, ſororq́; conuerti, atque in ſolitudine agere uitam ſuam deberent. Ecce nunc tibi hoc ego renuncio, utroſq; ſaluatos eſſe cognoſcere. Renunciauerũt enim ambo ſecularibus rebus. Et pater inquit tuus, alios ſeptem uicturus eſt annos. Inſiſte igitur ac uiue in deſertis, ut cœpiſti locis, ne ue parentum cauſa tuorum, ad patriam redire feſtines. Scriptum eſt enim, nemo mittens ſuper aratrum manum ſuam, & retro

Habetur in libro ubi supra. G. p 22.

VITA ABBATIS IOANNIS, QVI IN Lyco habitauit, & futura prædicere consueuerat, per Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

FVit quidam Ioannes in oppido cui Lycus uocabulum est, qui Carpentarij quidē artem, dum adhuc esset puer didicit, fratrem tamen tinctorem habuit. Qui postmodum cum iam uiginti, & quinque esset annorum, huic seculo renunciauit. Et per quinque annos in diuersis monasterijs degens, ad postremū solus sese in Lycum contulit montem. In cuius cacumine, trium sibi uoluminū cellulas fecit. Ingressusq; illuc, ita se inclusit, ut aditum quoque ipsum per quē introijt, obstruxerit. Erat igitur unū uolumen ad corporales deputatum necessitates, aliud in quo opus facere, & cibū sumere consueuerat, Tertium in quo orabat.

Quid hic ais tū qui garris antiquos monachos gyrouagos fuisse nec perpetua usos cella?

Hic igitur cum triginta iam annos complesset 1 inclusus, per solam semper fenestram necessaria uictui suo ab administrante suscipiens, meruit talem gratiam Dei, ut haberet scientiam futurorū. Nam & sanctæ memoriæ Theodosio imperatori frequenter & uaria ex ijs quæ essent euentura prædixit. Primū quidē de Maximo, quod & superaturus eum esset, & Galliarum ex partibus reuersurus. Postea autem & de Eugenio tyranno, eidem quæ subsecuta sunt, ante prædixit. Quod eū quidē superaturus esset, sed ipse ibidem uitam finiturus, filiumq; suum successorē imperij relicturus. De quo apud omnes grandis semper fama conualuit. Propter quod & Theodosius Imperator, prophetali eum uenerari honore consueuerat, asserens illum magnæ esse uirtutis. Cū igitur nos, hoc est ego, & beatus Euagrius, & Ammonius, & Albinus circa Nytriæ solitudines degeremus, cupiebamus diligenter agnoscere memorati uiri uirtutem. Ait ergo nobis tunc sanctus Euagrius: Libenter audirem ab eo, qui mentem atque sermonem bene nouit probare, qualis sit iste uir quē loquimur. Si enim eum non prius alio referente, cognouero, necesse iam erit, ut ad montem eius ascendam. Quod cum audissem ego, neque cuiq; quicquam tale dixissem: Vno die tantum moratus, alio clausi cellulam meam, & me atq; ipsam cōmendans deo, Thebaidem usq; perrexi. Diebus decem & octo, omni itinere confecto, partim ambulando pedibus, partim per fluuium nauigando, (agebatur autem hoc eo tempore, quo fluuius solebat ascendere, quando multi ægrotare consueuerant, quod sum & ipse perpessus.

Cum ergo illuc uenissem, clausum septum illud inueni, quod ante ingressum cubiculorum ipsius erat. Postea enim ipsum locū extruxerant fratres. Talis autem erat ædificij ipsius magnitudo, ut ferè centum caperet uiros. Clausum autem semper ipsum habentes locum, solo sabbati & dominico die aperire consueuerant. Cognita ergo causa ob quā. Clauderetur, quieui expectans sabbati diem. Qui cū aduenisset, ingressus sum circa horam secundam, ut supradictū uiderem diem. Inueni igitur eum

assidentem fenestræ, ex qua ad se ingredientibus solebat loqui. Post primam itaque salutationem hoc mihi per interpretem dixit: Vnde es, uel cur aduenisti? Nam ego de socijs Euagrij unum te esse conijcio. Respŏdi me esse peregrinum, & de galaciæ partibus uenire, & unum me ex Euagrij fratribus esse confessus sum.

Interea dum loquimur, ingressus est subito Prouinciæ ipsius præses Alipius nomine. Ad quē relicto quē me cum habebat sermone, se contulit. Secessi igitur ab hisdem paululum, & loco cedens eminus steti. Prolixas autem eorum fabulationes grauiter, ac moleste ferens, intra meipsum, bonū illum senem reprĕhendebā, eo quod meo sermone contempto, illum potius honorasset. Ideoq; cum mihi ingratum fuisset, spreto eodem, recedere cogitabam. Vocauit itaque ad se tunc ille Theodorum nomine interpretem suum, dicens: Vade ad fratrem illum, & dic ei. Noli esse pusillanimis. Iam nunc enim dimittam præsidem, & tecum loquar. Cognoui igitur ex hoc, esse hominem spiritualem, & omnia præuidere, & iccirco eo magis cœpi remorari.

Egresso uero mox inde præside, me uocauit, his me alloquens uerbis. (ut inquit) animam tuam, mea reprĕhensione læsisti? Quam in me inueneras culpam, ut ea in tuis sensibus cogitares, quæ nec in me cognosco, nec tuos scio mores dicere? An ignoras illud quod scriptum est, quod non incolumes, ac fortes, sed quod male sani medico semper indigeant? Nam tu me cum uelis, & rursus ego inuenire te possum, & si ex me forsitan nullum, ex alijs tamen fratribus aliquod patribusq́; poteris habere solatium. Iste uero totus ex secularibus rebus diabolicæ deditus potestati, uix breuis horæ, spatio potuit respirare. Et nunc tentans, sicut quidam seruus austerum dominum suum fugiens, uenit, ut salutare hic inueniret auxilium. Inconsulta igitur, atque importuna res fieret, si illum relinquerem, & tecum morarer, qui iugiter salutis tuæ commodis uacare consuesti. Quem ego magnopere precatus sum, ut pro me dignaretur orare. Hoc enim mihi spiritualem, illum uirum esse certissime persuasit.

Tunc ille iam lætior dextera sua, in sinistra me leniter uultus mei parte percussit, hoc dicens. Multæ te tribulationes manent, passus es multa, ut exires de solitudine, & interim hoc formidans aliquantulum facere distulisti. Pias autem tibi, & quasi rationabiles occasiones afferens dæmon, uentilare te tentat. Admonuit enim & circa patris desiderium, & quemadmodum frater tuus, sororq́; conuerti, atque in solitudine agere uitam suam deberent. Ecce nunc tibi hoc ego renuncio, utrosq; saluatos esse cognoscere. Renunciauerūt enim ambo secularibus rebus. Et pater inquit tuus, alios septem uicturus est annos. Insiste igitur ac uiue in desertis, ut cœpisti locis, ne ue parentum causa tuorum, ad patriam redire festines. Scriptum est enim, nemo mittens super aratrum manum suam, & retro

aſpiciens aptus eſt regno cœlorum.

Vehemẽter igitur atq; mordaciter ex huiuſmodi uerbis inſtructus, ac doctus, gratias egi Deo. Maxime poſtea occaſiones quæ me ſolitudinem relinquere compellebant, iuxta uotum meum, impletas eſſe cognoui. Rurſumq; mihi hoc cum riſu placido, & iocis dixit: Vis inquit, epiſcopus fieri? Ego autem me iam eſſe reſpõdi. Interrogabat ubi? dixi ego in coquinis, menſis, tabernis, officinisq; figulorum, hæc enim cuncta inquam, diligenter inſpicio, & ſi fuerit acidum uinum, a prandio meo illud excludo, quod autem fuerit bonum, bibo. Similiter inſpicio & ollas coquorum, & ſi deeſſe ſales uidero, aut aliquod condimenti genus, addo, meliusq; conditos cibos comedo. Hic eſt epiſcopatus meus. Voracitas enim mea, talem me epiſcopum fecit. At mihi hoc ille ſanctus ſubridẽs, Remoue inquit iocos. Nam epiſcopus es futurus, plurimumq; tribulationum habiturus es, ac laborum. Si igitur iſta uis fugere, noli relinquere ſolitudines noſtras. Nullus enim te in deſertis degentem locis, epiſcopum faciet. Deſcendens autem tunc ego a memorato uiro, regreſſus ſum ad deſerta, in quibus eſſe conſueueram, uenerandis illis patribus hæc ipſa quæ illic cognoueram de ſpirituali, diuinoq; referens homine, qui poſt duos menſes ad eundem beatiſsimum, nauigando uenerunt. Ego autem miſerrimus dictorum eius immemor fui.

Poſt triennij igitur tempus, ualitudinem ex infirmitate ſtomachi, ac ſplenis incurri. Et ex ſupradicto loco a fratribus Alexandriam uſq; tranſmiſſus, atq; illic hydropem medicans. Ab Alexandria quoq; profectus ſuadentibus medicis, peto Palæſtinam cauſa commodarum quæ eſſe ibidem putabantur, aurarum. Tenuiores enim aeres, magis ægritudo mei corporis requirebat. De Palæſtina autem ad Prouinciam Bithiniam ueni. In qua neſcio quomodo, utrum ſtudio hominum, an uoluntate diuina (hoc deus nouit) epiſcopus ultra meritum meum factus ſum. In quo tempeſtatis illius quæ ſub ſancto Ioanne commota eſt, interfui malis, & per decem menſes in obſcuriſsima cellula ocultatus, cœpi illius ſancti dicta reminiſci: cum ea illic quæ prædixerat, ſuſtinerem. Hæc autem forte mihi, tunc ille magnus athleta Chriſti dicebat: cupiens me ad ſuſtinendam ſolitudinum uitam, huiuſmodi prænunciationibus prouocare. Nam 2 quadraginta octo annos in eadem cellula ſua ſe habitare dicebat, nullius ſe unquam fœminæ uultum uidiſſe confirmans, 3 ne ſororis quidem, neque ſemetipſum edentem, aut bibentem ab altero uiſum.

2 *Quadraginta octo annos in eadẽ cellula ſua ſe habitare dicebat. Vagabantur ne ergo omnes antiqui monachi?*

3 *O quot quot Lateribus fœminarum ſemper adhæretis ſacerdotes & Monachi, inſpicite ſancti huius patris continentiam, qui ne ſororis quidẽ uultum aſpicere uoluit nedum alterius mulieris.*

Ad hunc uidendum, & ancilla Chriſti Pœmenia uenerat. Cui ille nõ uiſæ quædam per alium ſecreta mandauit, admonuitq; eam ne de Thebaidis regione proficiſcens, diuertere Alexãdriam uellet. Quod ſi eum nollet audire, in tentationem eam quandam neceſſe eſſet incidere. Sed cum ille ſeu per negligentiam, ſiue per obliuionem ſuam, non ita ut

iuſſerat

iusserat sanctus ille, fecisset, Alexandriam uenit, ut cerneret sibi incognitam ciuitatē. Dum ergo iter conficeret iuxta oppidū, cui Nicius nomen est, applicuerunt naues eius ad resoluendum, longæ nauigationis laborē. Ingressi igitur pueri ad terram, quadam proteruitate ducti, contra loci illius rusticos, quorū superbiam, audaciamq; nullus fert, iurgia excitare cœperunt. Ex quibus multitudo memorata, eunucho quidem uni, digitum abscidit, ac rapuit: & alium trucidauit, sanctum autem Dionysium, quem uulgus esse episcopum nesciebat, prope mersit in fluuium, ipsam uero iniurŋs, terroribusq́; confecit, reliquis omnibus pueris uulneratis.

VITA BEATI POSSIDONII MONACHI Thebei, per Palladium Cappadociæ Episcopū scripta.

Habetur in Paradiso Heraclidis cap. 13.

DE Posidonio Thebeo uiro probatissimo atq; patientissimo inenarrabilia quædam & multa memorantur. Tam autē mansuetū uirum, tam uere monachū, tamq; nihil habentem in se malitiæ, nullum ego alterū uidi. Nam apud Bethleem cū eo per annū integrum uixi, eo tēpore cū sederet in illa regione, quā pemenion dicunt, & multo plures in eo scio me uidisse uirtutes. Inter quas hoc mihi quondā & ipse referebat, dicens: Vno anno cū in eo loco, qui Porphyrites uocatur, habitarem, nullum hominū dum illic degererem uidi, sermonē nullius audiui, non 1 attigi panē, sed de paucis tantū dactylis uixi, & herbis agrestibus, si quas inuenire potuissem. Interea aliquando cū penitus alimenta, quibus sustentari poteram, defecissent, egressus sum de spelunca mea, & usque ad eas partes, quę ab hominibus inhabitantur accederem, & per totam ambulans diem, uix habitaculum meum, duobus milibus abesse cognoui. Circūspiciens igitur uelut equitem quendam uidere me credidi, habentem militis speciem, & casidem capite suo gestantē, cui in thyaræ modum crista surgebat. Quem cū militem uere putarē, ad speluncā redire properaui. Inueni autem illic reuersus, continuo cistellam, quę uuas & ficus recenter lectas habebat. Quā stati rapui, & sic speluncā lætus intraui. Per duos autē menses cibus ipse, maximo mihi solatio fuit.

1 Ecce uictus tenuitatē & asperitatem sancti huius patris.

Miraculum uero sanctissimus Posidonius circa Bethleem fecisse memoratur huiusmodi. Quædam mulier prægnans a spiritu ĩmundo fatigabatur, & tēpore partus sui cū maxima difficultate pariebat. Eam enim spiritus ille cruciabat. Cū igitur mulier infelix sic uexaretur a dæmone, maritus eiusdē ad sanctū Posidonium decucurrit, rogans eum ut dignaretur uenire, atque orare pro ea. Ingressisq; nobis ad orationē simul, cum ille stans cępisset orare bis in terra tantū modo fixis gonibus, impurum illum spiritū mox fugauit. Assurgens autē de solo, dicit hoc nobis, orate rogo; iam nunc enim dum spiritus ille expellitur, signum quoddam mōstrabitur nobis. Et ut satis fieret nobis post hæc ipsius sancti dicta, a fundamentis Parietem uestibuli dæmon abscedens, eruit totū, atque deiecit.

Per totum autẽ ſeptennium ipſa muliercula, ſemper muta permanſerat. Poſtea uero q̃ a ſancto illo, qui eã a dæmone liberauit, uiſitata eſt, mox & peperit, & loqui promeruit.

Huius uiri etiam prænunciationẽ (quã propheticã uocant) aliquãdo cognoui, Poſtea & Simonẽ admirabilem uirũ, quẽ interim ego notaſſe, ac noſſe me memini. Hic mihi beatiſsimus atque abſtinentiſsimus Poſſidonius, etiam iſta referebat: Quod a quadrageſimo ſui œui anno, uſum 2 panis in uictu proprio nõ haberet, neq; uſque ad medium diei ſpaciũ, iracundiam aduerſus ullum tenuiſſet. Hæc ſunt miracula, atq; ſigna fortiſsimi in Chriſto Poſsidonij, quæ diuina gratia operatus, in his uitam famatam finire promeruit.

2 Vides quod quandoq; ſancti uiri in uictu ſuo, pane nõ ſunt uſi.

Eſt in libro ubi sup. cap. 24.

VITA SERAPIONIS MONACHI, PER Palladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

20.

ALius quidam Serapion nomine fuit, qui Sindonius cognomẽ acceperat, quia nulla alia ueſte, 1 niſi ſola Sindone utebatur. Quẽ nihil unquã habuiſſe uel poſſediſſe ſatis notũ omnibus fuit, propter quod & apathes, ideſt impaſsibilis uocabatur, quia nullum patiebatur deſiderium poſsidendi. Peritiſsimus autẽ erat ſcientia literarũ ſcripturasq; omnes tenaciter, memoriterq; recolebat. Qui ex nimia abſtinentia omnium rerũ, & ex iugi meditatione diuinorũ librorũ, cellulę unius quiete, non poterat eſſe contentus, ſed per diuerſas mens ſemper ipſius trahebatur. Toto igitur mundi fine diſcurrens, ad talis gloriæ uirtutẽ aſcendit. Huius enim habitus, ideſt uoluntatis mens eius erat. Vnde & uoluntatũ, affectionumq; differentias, non ſubſtantiarum uocamus.

1 Vide in ſancto ueſtitus ſimplicitatem.

Hoc autẽ de eo patres ſancti aliquãdo referebant, quod per monachũ aliquem conluſorem ſuũ, in oppido quodã uiginti ſolidorũ precio paganis ſemetipſum diſttaxerit nimis. Et quos ſignatos pro ſe acceperat ſolidos, apud ſe ipſe ſeruauerit. Tandiu ergo cũ prædictis qui eum emerant nimis, in tali ſeruitute permanſit, quandiu & Chriſtianos eos faceret, & a ludis theatralibus ſepararet. Nullo autem alio ad uictum ſuũ, excepto 2 pane & aqua uti ſolebat, neque unquã ſcripturas ſanctas legere ceſſabat. Interea longi tẽporis ſpacio, prior mimæ maritus, animo ſtimulante cõpunctus eſt, tunc & ipſa eius coniunx, ad poſtremum etiam domus tota. Dicebatur autẽ quod anteq̃ aliquis eius cognoſceret uitã, pedes quoque ipſis lauaret, ut dominis. Poſtea uero q̃ ſpirituale lauachrũ uterque ſuſcepit, uterque a theatrali actu receſsit, conuerſiq; ſunt ad caſtam pariter ac piam uitã. Vehementer autẽ memoratũ ac dulciter diligebant uirũ, hoc dicentes ei: Veni frater iam te libertate donamus, eo quod ipſe nos prior de turpi ſeruitio liberaſti. Ad quos magnus ille Serapion reſpõdit: Nunc uobis ego iam neceſſarius non ſum, opus in uobis ſuũ Deus per me impleuit, & utriuſque ueſtrũ anima ſaluata eſt. Vnde ſecretũ meum uobis,

2 Ecce panis & aqua beati uiri cibus & potus.

atque hoc quod hactenus celauerã pando. Ego inquit, miseratione uestrarũ adductus animarũ, quas magno errore implicitas uidebã, cũ essem liber monachus, ex Ægypto genus ducens, propterea meipsum uendere uolui, ut uos liberi a magnis peccatis esse possetis. Quia igitur ad plenũ per humilitatẽ meam hoc fecit Deus gaudeo. Iccirco aurũ quod pro me dedistis, accipite, ut alios quoq; quibus subuenire possim, reperiam. Qui cum illum frequenter atque instanter rogarent, uera assertione dicentes, quod tanquã suarũ dominũ animarũ, patrẽ habiturũ essent eum, si unà cũ ipsis manere dignaretur ac uiuere, neque tamen ullo modo persuadere hoc ei possent, tunc dicunt ad eum: Dabis ergo ipse aurũ illud pauperibus, quod nos ueluti arras quasdã pro nostra salute dedisse cognouimus, & ait illis: date hoc uos, quia uestrũ est. Ego enim alienas pecunias nõ dono pauperibus. Dicunt ergo ei. Saltem hoc te magnopere deprecamur, ut uel post anni circulum nos requiras Athenis.

Hic itaque sanctissimus famulus Christi frequenter peregrinãdo, ad Hellada peruenit, ac per triduũ moratus Athenis, a nullo panẽ quo uesceretur accepit. Nam neque pecuniam habebat, non pellem ille nõ peram, non quicquã aliud secum præter sindonẽ, qua fuerat amictus, ferebat. Cũ iam ergo usque ad quartam diem nihil penitus edendo, uenisset, esurire uehementer cœpit. Nihil enim eo ieiunio peius, quod extorquetur inuito, ex cuius necessitate procedit sępe perfidia. Stetit ergo supra quendam colliculum ciuitatis, ubi primates eiusdẽ oppidi concilium habere cõsueuerant, & illic manus etiam suas percutiendo clamabat: Vi se maximam pati his sermonibus dicens: Athenienses uiri, succurrite. Cõcurrentes autem omnes simul quoscunque pallijs, quoscunq; cernimus birris esse uestitos: Interrogant eũ quid haberet, unde uenisset, uel quid diceret se pati. Tum ille respondit: Ab Ægyptiorum quidẽ genere descendo, conuersatione monachus. Ex quo tamen de patria mea, quæ erat mihi uera, discessi, in trium fœneratorum manus incurri; ex quibus duos quidẽ, quocunq; modo debitũ soluens, potui declinare, & sic ea quę ab ipsis obijciebantur effugere, tertius autẽ adhuc ille me retinet, nec habeo unde ei satisfacere possim. Cumq; illi requirerent ab ipso fęneratores, quibus se debitorẽ esse diceret, sciscitabantur ab eo qui illi essent, uel ubi degerent, uel quis ille, qui ei molestus esset. Quẽ si ostenderet, adiuturos se in omnibus eũ pollicentur. Tunc ille: A principio inquit, iuuentutis meæ, hi tres mihi semper molesti fuerunt. Cupiditas pecuniæ, desiderium uoluptatũ, & uoracitas uentris, ex quibus rebus duas, hoc est pecuniæ, ac uoluptatũ cupiditatem euasisse iam uideor, neq; mihi ulterius sunt molestæ. Tertiam uero (quã dixi uoracitatẽ) ferre non possum. Nã cum quarto die iam ex necessitate ieiunẽ, urget me illa sicut seuerissimus fœnerator, exigens debitũ solitum semper ac flagitans, & nisi reddidero, mortẽ minatur. Tunc quidã philosophorũ putantes eum, cõposita quędã & ficta narrare, unũ solidum offerunt ei. Quo ille sumpto, & cuidam qui panes uendebat, dato, unoq; tan-

tum ab eo pane suscepto, mox ab eadẽ profectus est ciuitate, neq; tamen unq̃ postea ad ipsam reuersus est. Cognito autẽ eo philosophi illi, omniq; rei ueritate perspecta magnũ nescio quem uirum esse firmantes, reddito unius precio panis, solidũ ab eo (quẽ ille susceperat) receperunt.

Cum ergo uenisset beatissimus ille circa Lacedemonis loca, unũ illic de prioribus ciuitatis, bonũ in cęteris rebus uirũ, omnesq; de dono ipsius, Manichęos esse cognouit. In hac rursus iuxta exemplum superius uendidit se, & intra duos annos, tam ipsum domus dñm ab execrabili secta, q̃ coniugem eius, totamq; familiam abstractos, ecclesię tradidit. Quem illi iam non quasi famulum diligebant, sed quasi fratrẽ attendebant potius, aut patrem, uerum benedicentes deum.

Post paululum tempus, cum ab eis discessisset hic spiritualis adamas Serapion, cũ multis aliis, & ipse ingressus est nauem, reddito precio prius quod acceperat a dominis, quasi Romã nauigaturus. Nautæ uero suspicãtes quod sumptus haberet, & quod quasdã secũ auri species attulisset, susceperunt eũ, nihil ab eo penitus requirentes; nec ambigentes quod unus aliquis ex ipsis, res eiusdẽ quoque ut cæterorũ, in parte nauis cõstituisset. Dum igitur nauigarent, & iam abesse quingentis ab Alexandria stadiis uiderentur, cęperunt omnes qui cũ ipso ingressi fuerant, circa solis occasum sumere cibum, quod & nautę ipsi iam fecerant. Cunq; eo primo die non uiderent edentẽ, causam esse aliquã de nauigationis molestia crediderunt. At cũ nec tertio quoque, nec quarto die cibũ caperet, epulantes ipsi iam quinto die in summa illum quiete perseuerantẽ sic alloquuntur. Cur inquiunt, homo hic solus ipse nõ comedis? Respondit; Non habere se dicens. Quo audito uicissim se nautæ interrogare cęperunt, quisnã res eius ac sumptus suscepisset in naui. Et cũ nulli ab eo datũ aliquid repperissent, obiurgabant eũ ista dicentes. Quemadmodũ ascendisti sine sumptibus nauim? Vnde mercedes daturus es nobis? Vnde ipse uicturus es? Ait ille uirorum patientissimus, ad me nihil pertinet; Educite me atque proiicite ad illum ubi me inuenistis locũ. Nautæ indignantes dicebant: Ora etiam si centũ solidos dares, nunquã hoc libenter faceremus, cum sit nauigii tanta prosperitas, quapropter propositũ cęptæ nauigationis implemus. Ita igitur mansit in naui securus, ut ei usque Romã nautę omnes alimenta præberent.

Vbi ergo attigit Romã athleta Christi fortissimus, cępit requirere curiosius quisnã illic magnus esse aliquis monachus diceretur, uel quæ uirgo Dei prædicaretur a cunctis. Cũ interea Cleomoni cuidam fortissimo atque abstinentissimo, miraculisq; famigerato factus est notus, cuius 3 lectulus post ipsius mortẽ solebat curare languentes, uiso hoc, ab eodem, & ædificatus & doctus ad perfectum. Ille enim uir eruditus atque instructus scientia & bonis moribus erat. A quo forte cum quæreret, quis alter monachus, uel quænam uirgo deuota in urbe memorata degere diceretur, cognouit esse illic uirginẽ quandam, quę se ab omnibus separata clau

3 *Vides hic quod non sanctorum modo reliquiæ, sed eorum etiã res exteræ gratiarum beneficia præstant?*

sisset intra cellulam suam, atque illic quiescens, nullum hominũ unquam uideret. Quærit mox ipsius domum. Quã cũ inuenisset, accedit ad uetu lam quandam, quæ in ministerio memoratæ uirginis erat, hoc ei dicens: Vade & nuncia uirgini, quia necessario eã uidere desidero. Illa uero reddi dit responsum dicens; quod ex multis annis neminẽ uidet. Dicit ei: Vade nuncia ei. Deus enim me ad colloquium ipsius misit. Illa uero nec sic qui dẽ uoluit nunciare. Cum itaque illic duos uel tres dies obseruasset, & tum demũ ab ea susceptus fuisset, ait eidẽ: Quid hic sedes? Illa respondit: Non sedeo, sed ambulo. Dicit ille: Quo ambulas? Illa ad dominum inquit. Ait ille: Viuis, an mortua es? Illa respondit; Credo in Deo meo esse me mortuam seculo; nã 4 carne qui uiuunt, ad dominũ ire nõ possunt. Ait ille: Si igitur hoc ipsum persuadere uis mihi, fac ipsa quod facio. Illa respondit, si posibilia tantũ iusseris, faciam. Tunc ille respondit: Posibilia cuncta sunt homini huic seculo mortuo, prçter solam impietatẽ. Deinde ait: Egredere & procede. Et illa respondit. Vicesimũ & quintũ annũ ago, ex quo nunquã ex hoc loco egredior, Quã ob causam ergo uis hodie procedam? Ait ille: Vah nonne tu dixisti, quod seculo mortua sis? Vnde manifestũ est, quod & seculum tibi. Quod si uerũ est, & mortuus nihil sentit. Vnũ ergo est, siue non procedas, siue procedas. Ergo progredere. Hçc au diens uirgo, procesit.

4 *Audiant hoc dictum nostri temporis hæretici, qui nullam carnis afflictionem pati uolunt propter assequutionem regni cœlorum, sed tantũ fide sua inani saluari se posse putant.*

Postquam autẽ procesit è cellula sua, & ad quandam basilicam uenit: rursus ille sanctisimus illic ad eã loquitur. Si ergo uis suadere mihi certissime, quod mortua sis, nec iam hominibus placens, uiuas, fac & ipsa quod facio, & uere te mortuã seculo scio. Et ait uirgo: Quid uis amplius faciã? Exue te inquit, uestibus tuis, & omnes res quibus uteris ita ut ego super humerũ tuũ pone, & sic transi per mediam ciuitatẽ, & eodẽ more, me nu dum, nec aliqua uerecundia perturbatũ sequere præcedentẽ. Ad hoc illa respondit. Sed multorũ animas, quæ me tam deformiter ambulare uide rint; lædo, & aut insanã cuncti esse credent, aut dæmonẽ pati dicent. Ait ille. Et quid hoc ad te, si aut dæmoniosa credaris, aut uoceris insana? Tu enim apud illos qui hæc loquuntur (ut dicis) mortua es. Mortuo autem nunquã curæ est siquis ei uel detraxerit, uel irriserit. Nihil enim horũ potest sentire. Tunc dixit ei uirgo: Obsecro te qcquid aliud uis in meo proposito; iube, & faciam. Ad hanc enim usq; uitæ mensurã nondum perueni. Oro autẽ peruenire quandoq;. Tunc ille famulus Christi dixit. Vide ergo soror, ne magnũ iam aliquid esse te credas, & tanquã cunctis hominibus sanctiorẽ, & te mortuã rebus secularibus glorieris. Didicisti enim quod uiuis, & adhuc hominibus places. Nam longe plus te mortuus ego sum, qui per memetipsum omnibus opere monstro, uerũ esse quod dico, faciens hoc quod ipsa non potes facere. Nec pati me aliquid, nec in ali quo deformari puto. Tunc igitur eam talibus uerbis in studio humilitatis edoctam, & de quadam superbiæ uel tumoris arce depositam, reliquit abscedens.

Multa præterea ſunt magna, admirandaq́; quæ fecit, ex quibus non ſentire ſe quod in mundo eſſet probauit. Sexageſimo autem anno finiuit hanc uitam, & in deſertis ipſis ſepultus eſt locis.

Habetur in libro qui uulgo dicitur Paradiſus Heraclidis. Cap.25.

VITA EVAGRII DIACONI MONACHI, PER Palladium Epiſcopum Cappadociæ ſcripta.

DE Euagrio diacono qui ubique memoratur uiro, qui Apoſtolorum moribus uixit, non eſt iuſtum tacere, ſed oportet nos ipſius facta monumentis tradere literarum, ſine dubio legentibus cunctis, & gloriam bonitatis ſaluatoris noſtri agnoſcentibus, profutura. Dignum igitur exiſtimo, ut à principio uitę eius incipiam, diligenter exponens quemadmodū ad propoſitū tale peruenerit, quā congruo ſtupendę ac prædicabilis uitæ fine defecerit in ipſis ſolitudinibus conſtitutus, quinquageſimū ætatis & quartū annū agens. De quo ſcriptura ſancta, quod dixit, probauit. In paruo tēpore multos impleuit annos. Vere enim placita erat domino anima eius.

Hic ergo genere ponticus fuit, ex oppido quod hiberorū nominatur, filius .A. presbyteri, multarū eccleſiarum curam gerentis, quos periodeutas uocant. Primū factus eſt lector à ſancto Baſilio. Eccleſiæ Cæſarienſis Epiſcopo, circa fines montis argei. Poſt mortē autem ſancti Baſilij, uidens eum ſpecialibus aptiſſimū rebus, benedictus atq; uenerandus Gregorius. Nazanzenę epiſcopus ciuitatis, ille qui inſignis prouidētia, doctrinaq́; præclarus, nulla ſe humani generis paſſione læſum probauit, diaconum ſupradictū Euagrium fecit. Vnde cum ſanctus Gregorius ad maximum conuentū epiſcoporū uocatus Conſtantinopolim uſq; ueniſſet, ſancto eum Nectario epiſcopo tradidit, ac reliquit, grandi ſcripturarum peritia hæreticorū omnium nenias deſtruentem.

.A. Quod Euagrius fuerit filius presbyteri non te ſcandalizet, mos enim fuit Orientalis, nō Occidentalis Eccleſiæ, ut promoti ad Sacerdotium uterētur matrimonio ante promotionem contracto.

Cum igitur uehementer impugnans peruerſarum uanitatem, erroremq́; ſectarū, in urbe memorata floreret, ac maximo omnium honore frueretur, prior quidē ut ipſe referebat nobis, poſtremū laqueis deſiderij muliebris implicitus, ex his tamen ipſe continuo liberatus, amari ab eadē muliere quā amauerat cœpit. Quæ quidē cuiuſdam illuſtris & unius de magnatibus uiris coniunx erat. Euagrius igitur deū ante omnia metuēs, tum autem & conſcientiam erubeſcens ſuam, atq; ante oculos dedecoris execrandi magnitudinē ponens, & omnium hæreticorū ex alienis malis gaudium atq; lætitiam, intentiſſime deprecabatur Deū, ut conatus tantos ipſe qui ſolus poterat, impediret. Cunq; prędicta ei mulier inſiſteret, neq; poſſet ille prior à uoluptate rabiei ipſius ſeparari, eo quod multis irretitus iam eſſet, ac uarijs eius officijs, ipſaq; inſiſtente paratū eſſet periculum, poſt paululum tēpus ſuſcepta à Deo oratione quā fecerat, anteq; eius quo flagrare cœperat, mali experiretur incendium, uiſio quædam ei oſtenditur angelorū, habentium militū ſpeciem, quæ ad præfecturæ offi

cium pertineret. A quibus ad exitium ſuũ miſſis teneri ſe ſubito uidebat, ferroq; per totum corpus ligatum in carcerẽ tradi, nec ab aliquo tamen cauſam ob quam talibus pœnis ſuccumberet, audiebat.

Ipſe autẽ conſcientiam cogitans ſuã, cum intelligeret ac uideret quod propter illa quæ norat, iſta pateretur, putaretq; quod ad præfectũ omnia maritus mulieris detuliſſet, dumq; ſub tali metu ante fores iudicis intremiſcit, qui quaſi aliam in manibus habens cauſam, & de ſimili crimine occupatos uarijs quoſdam tormentis conficere uidebatur. Dum ergo fortiter timet, atque ultra modum anhelare ſe ſentit, ſubito angelus ille qui tali eum uiſione tremefecerat, in cuiuſdam amici ipſius conuertitur formam, ac ſic eum quẽ cũ quadraginta reis alijs uidebat, alloquitur. Quid inquiens domine diacone ſic teneris? Ille reſpondit. Quantũ ad rem quidem uerã ſpectat, ignoro: ſuſpicor tamen quod quidã ex præfecturæ officio me incuſauerit, matrimonio me ſuo credens inſidiari; & uereor ne forte corruptus pecunijs ipſius, iudex ſupplicio me mortis addicat. Tũc ille ſi conſilium inquit, amici tui accipis, non expedit tibi diutius in hac ciuitate uerſari. Ad hæc dixit Euagrius. Si me deus ex his liberauerit malis, & ulterius in Conſtantinopolitana urbe me uideris, ſcias tales me modo pœnas merito ſuſtinere, & maioribus his debere torqueri. Tunc ille ait, Si hæc uera ſunt, affere tibi Euangelium in quo ſi iuraueris mihi quod ex hac ciuitate diſcedas, & animæ tuæ de cætero curã geras, faciam te de neceſſitatis huius periculo liberari.

Exhibito itaque euangelio, atq; in eodem ſacramento ipſi dato, quod præter unam diem quo reculas ſuas deferret ad nauẽ, non eſſet Conſtantinopoli moraturus, cœpit uidere quod iuſiurandũ quod eidem præbuerat profuiſſet, & quod quaſi à quæſtione illa iudiciorũ, quod in præſenti nocte metuerat, fuiſſet penitus abſolutus. Conſurgens ergo de ſomno, ſecum cogitabat hoc dicens: Quanuis in ſomnis iurauerim, tamen iuraſſe me memini. Mox igitur ingreſſus cũ reculis ſuis nauim, Hieroſolymam nauigauit. Quo cũ eſſet aduectus, atque illic a ſancta Melania Romana illa fœmina fuiſſet exceptus, iterũ cor ipſius ut Pharaonis aliquando, dæmon obdurat. Et quanuis adhuc in ipſis ardoribus iuuenilis œui erat, quędam rurſus, & illic alia tentatio ſenſus inuaſit, nulliq; quicquã tale ſignificans, cępit illic iterũ ueſtes ſibi ſępe mutare, & diſſerendo cũ multis gloriæ uanæ illicitamenta ſectari. Sed ille qui ſemper perditiones noſtras impedit Deus, memoratũ grauiſsimo febriũ igne corripuit. Ex quo eũ longa ægritudine domuit, & per ſex mẽſium ſpacia corpus eius attriuit, carneſq; conſumpſit, unde habere proprij mali fomenta conſueuerat.

Cum igitur plurimorũ ars exquiſita medicorũ omnia quidem facere tentaret, neq; ullum tamen curationis genus quod ad ſalutẽ ei proficeret inueniret; hæc ſancta Melania ad ipſum locuta eſt. Multum inquit, mihi diſplicet huius tuæ ægritudinis longitudo; Dic ergo mihi, quæ ſunt tui cordis arcana? Infirmitas enim iſta ſinè uoluntate ac iudicio Dei non eſt.

Tunc ille omnē fœminæ sanctæ confessus est causam. Cui hoc illa respon-
1 dit. Promitte inquit, mihi ante conspectū Dei, quod ad 1 propositū mo
nachorū habitantiū solitudinē reuertaris, & ego quanuis ipsa peccatis ui-
dear inuoluta, tamen precabor dominū, ut tibi uiuendi tribuat cōmeatū.
Cunctꝫ hoc se facturū fuisset pollicitus, intra paucos dies recepit sanitatē.
Et de lectulo surgens, mox cępit de profectione quā spoponderat cogita-
2 re. Tunc benedictæ ipsius Melaniæ studio, ueste 2 mutata inde descen-
dit, & ad Ægyptiacū Nytrię proficiscitur montē. In quo degens cū bien-
nij tempus impleſſet, tertio anno ad interiores solicitudines pergit. Vbi
quatuordecim annos in ijs locis, quas cellas nominant, uixit, unā quotidie
3 panis librā edens, unumq; sextariū assumens olei in mensibus tribus,
ille qui inter copias magnas, atque delitias cū maxima semper uoluptate
3 uiuebat. Faciebat autē quotidie centum orationes, hoc tantum per singu
los annos scribens, quod ex mercede operis sui, posset ei ad emendatioris
uitæ alimenta sufficere. Similiter etiam illam scribebat manu, quā Oxy-
rincham uocant Græci.

1 Vides non licere monacho institutum suū deserere, & à proposito incœpto resilire?

2 Ecce quomodo antiqui monachi habebāt proprias uestes, quibus alij præter ipsos non utebantur.

3 Considera beati huius uiri abstinētiam.

Intra quindecim ergo annos ad perfectum mente purgatus diuinam
gratiam meruit, ita ut haberet & notitiam & sapientiam spiritualem, ut
& bonorū ac malorū spirituū differentias nosset. Scripsit iste libros, quos
his uocabulis nominauit, unum epeta, alterū nonaxon, tertium antiphy-
ron, artesq; monstrauit quibus possent dęmones subiugari fortiter. Huic
spiritus fornicationis incubuit. Nam sicut nobis & ipse referebat, per totā
4 4 noctem hiemis tēpore nudus stabat in puteo, ut gelu quoque carnes
eius constringerentur.

4 Hoc si nostri quoque temporis hæretici facerent, & afflictionibus prurientem carnē suam macerarent, luxuriæ tentationibus facile resisterent, & possibile esse cognoscerent, quod impossibile esse mentiuntur. Ita enim fecerunt B. Benedictus, B. Frāciscus & alij Sācti, quoties hoc uitio impetebantur.

Aliquando iterum blasphemiæ species eū cępit urgere, & ad sacrilega
eundē contra Deum uerba cōpellere ob quod quadraginta iugiter dies,
sine tecto fuit ut ipse dicebat, in tantū ut per corpus ipsius totū quædam
papulæ illi, quas sæpe in corporibus uidimus exirent.

Huic quodam die tres simul dæmones astiterunt in specie clericorū,
de fide cū eo tractare cupientes, ex quibus unus Arrianū, alter Eunomia-
num, tertius Apollinarium se esse dicebat. Quos omnes sapienter ac bre
uiter disserendo superauit. Idem iterū quadā die eum ecclesiæ claues pe-
rissent, inuocato Christi nomine signauit illam hostij partem, unde erat
clauis, & aperuit manu pulsans fores. Hic ipse tam uehementer expertus
est dæmones, atque ab his toties uerberatus est, ut numerus esse non pos-
sit. Vni quidē discipulorū suorū omnia quæ ipsi post decem & octo an-
nos essent futura singulatim res ipsas prophetando prędixit. Dicebat au-
5 tem ex quo inquit, ad solitudines ueni, 5 non lactucę, non siluestris ole-
ris cibum sumpsi, non uiride attigi, non uuas, non poma, non carnes, non
balneas uidi. Ad postremū sexto decimo talis uitæ suæ anno, in qua ni-
hil quod coctum est edebat, cum necesse esset corpori eius propter sto-
6 machi infirmitatem ut coctum sumeret cibum, 6 panem quidem atti
git nunꝙ, olera tantum, & poscam, & lenticulam per solum biennium

5 Nonne est o hæretice hæc abstinentia & ciborum delectus?

6 Vide quō etiā ab esu panis abstinuerit.

gustans;

gustans; ita exiuit a seculo, ut tantum in ecclesia per 7 sanctam Epiphaniam communicaret.

Circa ipsum igitur uitæ suæ finem, referre cōsueuerat, quod tertium egit annum, ex quo se carnali desiderio intelligeret esse liberatum, & hoc 8 post talem ipsius uitam, post sudores tantos, post tantos labores, post illas tam iuges orationes. Nunciata est huic patris sui mors quondam, atque hoc ei qui nunciauerat dixit, Quid inquit, blasphemas o homo? immortalem ego patrem meum noui.

7 *Etiam tunc sanctæ Epiphaniæ solennis erat festiuitas sicut & modo.*

8 *Quid facies tu qui nullas uis pati tribulationes, nullos labores sustinere ut regnū cœlorū acquiras, nec crucē tuā tollere, et post dominum Saluatorem ire?*

VITA PIORIS MONACHI, PER PALladium Episcopum Cappadocię scripta.

22.

Habetūr in libro ubi supra, cap. 26, et 27.

PIor quidam Ægyptius iuuenis, cū huic mundo renunciasset egressus è paterna domo, tanti animi circa religionem fuit, ut statueret ante conspectū dei, ne ullum iam suorū unquam uideret. Post quadraginta igitur annos, soror ipsius senio admodū grauis, cum fratrem suum uiuere comperisset, amentium modo cœpit ardere, donec ad conspectum ipsius ueniret. Cunq; ad uastissima illa non posset accedere, ab Episcopo loci illius petit, ut ad sanctos scriberet patres, qui in solitudinibus ex more degebant, ut uidendū sorori transmitterent fratrē. Qui uiq; maxima patrum uenire cōpulsus, cum alio quodam itineris sui socio, ad sororis propriæ domum uenit, ubi se uenisse significauit, hoc dicens: Pior inquit, frater tuus uenit, & pro foribus assistit. Datoq; ianuæ sono, putans quod anus ipsa in occursum fratris exiret, clausis 1 ad eam oculis proclamauit, nomine suo illā uocans, & dicens. Ego sum Pior frater tuus, ego sum inquā; quantum uolueris aspectu meo fruere. Cunq; illi satisfecisse propriis sensibus credidisset, proiecit se in orationem, & cū penitus ei ut surgeret soror eius persuadere non posset, benedicens gloriam dei ingressa est ad habitaculum suū. Ille uero oratione in limine domus facta, ad solitudinum secreta remeauit.

1 *Quando uidisset hic extraneas mulieres, qui sororem propriam uidere noluit?*

Hoc autem ipsius miraculum fertur, quod cū in eo ubi degebat loco fecisset sibi puteum, & aquā illic amarissimā repperisset, ibidem usque ad finem ultimū uixit, contentus inuente amaritudinibus aquæ, ut patientiam cunctis propriæ uirtutis ostenderet. Multi tamen postea monachi, post illius mortē degere in cella ipsius pertinaci uoluptate cupientes, ne uno quidem anno illic habitare potuerunt. Habet enim ipse locus, & timorem maximum semper, & solatium nullum.

Moyses quidam de Libia oriundus fuit, uir mansuetudinis summæ, & dilectionis immensæ, qui cœlesti gratia ægros curare promeruit.

Hic retulit mihi quod cum adhuc iuuenis in monasterio suo esset, ac puteum maximæ capacitatis effoderet, uiginti in lato habentem pedes, cū in tanto profundo nullum aquæ signū uideret, præsertim cū iam intra ipsum nulla inditia, in quibus esse aliquid humoris putabatur appare

rent, ducentos pene alios effodiſſent pedes, ac nec tum quidem humorem aliquē inuenire potuerunt. Triſtes inquit, admodū facti, a tam inutili opere cogitabamus abſcedere. Ecce autē ſubito Sanctus Pior de ultimis ſolitudinum locis, in maximo ardore æſtus, hora ſexta diei admodū ex pelle uellatus aſtitit nobis, & his poſtremo locutus eſt uerbis.

Quid homines paruæ fidei anguſtiamini, & deſperare uoluiſtis? Ab heſternæ enim die ſpacio uſque nunc, triſtitia abſorbemini. Deſcendens ergo in profundū, per eas quas illi fecerant ſcalas, oratione illic cū omnibus facta, ter ferro quod in manu cœperat, ſolum putei percuſsit, hoc dicens, Deus ſacrorum Patriarcharū te inquit, precamur domine, ac petimus, ne ſine cauſa impenſi ſint, tanti fratrū labores, ſed præſta ipſis uſum eius, quā deſiderant aquæ. Continuo ebullientes de uiſceribus ſoli latices perfuderunt precantes. Cunq; rurſus oraſſet, cœpit ad propria uelle remeare, qui cū ad ſumendū cibum ab illis retineretur, hoc illis locutus eſt, Propter quod tum inquit miſſus hoc factum eſt, nam ut cibum caperem, nemo me miſit.

Habetur in libro eodem, cap. 28.

VITA EPHRÆM DIACONI EDISSENI PER eundem Palladium Epiſcopum ſcripta.

.23.

De Ephræm Diacono Ediſſenę Eccleſię, multa te audiſſe nō dubito. Dignus enim fuit, qui eſſet in ore Sanctorum. Qui cum ita ut oportebat, iter uiæ ſpiritualis impleſſet, neq; unq̄ à recto tramite deuiaſſet, meruit per gratiā Dei naturalium habere notitiam rerū. Cui benedictio diuina ſucceſsit, atq; illa quæ exinde naſcitur beatitudo. Semper igitur uitā quietam agens, atq; omnes qui ad uidendum eundē ꝯuenie bant, per annos plurimos docens, ad poſtremum de cella ſua talis rei neceſſitate proceſsit.

Cum fames admodum grauis in Ediſſena Ciuitate ſæuiret, miſeratus ille pereuntem multitudinē ruſticam, acceſsit ad diuites hoc eis dicens, Quare nulla uos humanæ naturæ ſic ante oculos ueſtros deficientis miſericordia mouet, ſed putrefacta intrinſecus ad condemnationem ueſtrarum ſeruatis animarum? Tunc illi non habemus inquiunt, quibus pecuniam egentibus ad comparationem ciborum credere debeamus. Omnes enim negociari pro ſuis cōmodis uolunt. At ille iſta dicentibus; Qualis inquit, uobis uideor? Habebat autem magnam apud omnes homines ipſe uir famā. Qui tunc ei non falſa dicentes, iſta reſpondent: Scimus te hominē dei eſſe. At ille: Credite ergo mihi pecunias ueſtras. Etiam nunc propter uos ego ordino me ipſum, ſuſcepturus miniſterium peregrinorum atque miſerorum.

Accepta igitur pecunia interclufit certis parietibus porticus ciuitatis, & trecentos in ipſis lectulos poſuit, in quibus fame pereuntes reficiebat, morientes quidē ſepeliens. Eos autē quibus adhuc ſpes aliqua uitę erat, in

ipsis eorũ laboribus curans. Omnibus pereuntibus fame qui illuc undecunq; confluxerant, quotidianũ ministerium suũ ad necessariã solicitudinẽ præbens, ex ijs quæ ad eum singuli quique diuites deferebant.

Impleto autẽ memorato anno, postqua copiæ frugum grandes fuerunt, singulis quibusq; ad domicilia propria regressis, cũ quibus uel circa quos faceret non haberet, confestim ad suã reuertitur cellulã, in qua obijt post spacium mensis unius. Huiusmodi autẽ occasionẽ circa finẽ illius, ad exemplum Stephani, pietas diuina præstiterat. Multa uero reliquit, quæ ipse conscripsit. Ex quibus plura, magna laude celebrantur.

Necessarium autẽ ualde & hoc puto, ut mulieribus quoque sicut præfati sumus, uiriles mores habentibus, atque honestos, ad memoriã sempiternã libelli nostri paginã præbeamus, quibus deus noster non inferiora sexu uirili certamina donauit & pręmia, ut demeret alijs negligentibus omnẽ excusationis occasionẽ. Quæ quia sexus inferioris uidentur, non posse se dicunt, ad consumandam uirtutis gloriam peruenire.

TESTAMENTVM SANCTI ET DIVINO afflati spiritu Patris nostri Ephræm Syri, Iulio Clemente Canonico Seculari congregationis sancti Georgij in Alga Interprete.

Habetur in libris eius Græce conscriptis, nũc primum latinis cognitum.

EGo Ephræm morior, notũ igitur uobis sit omnibus ò uiri Edesseni. Testamentũ enim uobis relinquo monumenti symbolum doctrinæ ueritatis, ex ea quæ mihi gratia & dono impartita fuit ut in
1 orationibus mei memoriam faciatis, scientes & cognoscentes me.

1 Vides quod orationes uiuorum prosunt animabus defunctorum? Id nisi ita esset, non mandaret sanctus sui in orationibus post mortẽ memoriã fieri.

Hei mihi, quod laquei mortis præuenerunt me. Hei mihi, meæ uitæ dies defecerunt me, & uestimentũ corporis mei pręcisum est, & tela perfecta est, & omnino ablata. Defecit oleum terrestris lucernæ, & piratæ scaphę prope facti sunt. Mercenarius enim cũ essem, meos impleui annos, & incola, cũ meum perfecerim tẽpus, abeo. Circundederunt me utrinq; populares, qui seueri sunt inquisitores, & subiecere ceruicem meam graui supplicio tanquã homines malefici.

Quid igitur? plorem? At non est qui attendat. Clamem? At ubi est, qui me exaudiat? Hei mihi ab expectatione increpantis iudicij, cũ astitero ante tribunal formidabile Domini. Ibiq; dijudicabunt me utrinq; circũsedentes, qui nouerunt me. Verè enim ibi est horrenda confusio. Væ autẽ erubescenti. Domine Iesu Christe ne intres in iudiciũ cũ seruo tuo, & ne des alteri iudiciũ meũ, sed ante gloriosum tribunal tuũ fac ut dignè astare queam. Quẽ enim Dominus iudicat, misericordia dignus existimatur. Cũ audiuerim autẽ hoc à sapientibus, inquã, & prudentibus, apostolis sanctis, nẽpe quod quicunq; Regẽ uiderit, quamuis peccator extiterit, hic misecordia dignus existimatur. Væ autẽ mihi fratres.

Quid est, quod me coarctaui? Plorate, ululate propter contritionem

meam. Appropinquauerunt enim custodiæ, ex spelunca eijcientes me in regionē suscipientē homines à seculo. Magniuocus prophetarū Osee ualde me terret. Obiurgans enim clamat, & dicit mihi: Canicies dealbauit Ephræm, ipse autē ignorauit, neque reuersus est. Et rursus. Ephræm iuuenca furore agitata, docta diligere uictoriam. Et rursus. Ephræm tanquā auis euolauit. Si quis dicat de Ephræm qui fuit filius Ioseph, Prophetam hæc dicere. At & ego idē sum. Quando enim Propheta hoc lamentabatur pacto, nō distinxit Ephræm alterū ab altero. Dauid rursus uicissim admonet me dicens: Ephræm robur capitis mei. Et rursus, coram Ephræm, Beniamin, & Manasse. Non arrogantia elatus hoc dico, neque ad me accedet. Nam testis mearū cogitationū est Dominus.

2 *Ecce rursus orationes pro defunctis. Nō ergo nouū inuentum.*

Et nunc uolens fratres mei admonere uos, & firmiter stabilire, ut post
2 transitū meum assiduè in uestris orationibus mei memoriam faciatis, accedentes nunc claudite mihi oculos, super eos manus uestras imponentes. Deficit enim me spiritus. Iam me deficiente, & ea quæ de me sunt finem habent, & uerus adest iam terminus. Per uestrā enim uitā & meam ex lectulo hoc, in quo detentus sum, non descendā. Et ex omni parte langueo, & non possum ferre, & doloribus sum confectus. Memoriam autē uobis omnibus relinquā, & speculum īmaculatū, in quo diligenter prorsus inspicientes, omneq; studium adhibentes, semper hanc assimilantes diligenter curate.

In tota autē uita mea nemini maledixi, in uniuersum, & cū nemine ex notis contendi. Etenim cum apostatis omnibus docens & obiurgans omnibus diebus meis, & admonens non torpui in memoria sanctorum. Scitis enim & ipsi fratres, ꝙ si quis paterfamilias canē habeat ouile negligentē, uel intuentē lupum in ouium septa irruentē, ac minime latrantē, aut ipsum non insequentem, prorsus hunc percutit, & tanquā inutilem eijcit longe à domo.

Igitur scitis fratres, ꝙ sapiens uir neminē odio ꝓsequitur, & insipiens neminē diligit. Quòd si diligat, similem sibi diligit. Vos autē carissimi nolite mirari de ijs, qui mihi rebelles facti sunt, propter obedientiæ disciplinam. Nam inter duodecim Apostolos unus fuit proditor Iudas. Scitis autem ꝙ etiam inter uineam rubus præter intentionem germinare consueuit, & spinæ inter rosas nutriuntur. Firmamentū autē fidei in uos corroborari uelim, tanquā legitimos, & concordes fratres. Immutabilem autē & firmam fidem facio per iuramentum.

Volo enim uos de incōprehensibili, & indissolubili, & unica fide optimè sentire. Et iuro uobis per eum, qui in natura ignis descendit in montē Sina, & per eum, qui in aquæ fusione de petra durissima locutus est, & per illud uerbū, quod dictum fuit in cruce ad exemplum nostrum. Eloi, Eloi lamazabachthani, & omnes finium terræ renes coarctatæ sunt, per illum, qui in Iudæa à proditore uenditus fuit, & flagellatus in medio Hierusalem, per maiestatem ab iniquis se conspui æquo animo ferentem, &

per

per ineffabilem potentiam ab hominis manu alapis cęsam, per ignē trinonimum diuinæ maiestatis, & per infinitam & solam Dei potentiam, per tres nouelli ignis substātias, quę sunt altitudo & uoluntas in 3 nulla re separatus sum ab uniuersa ecclesia, neq; dubitaui de Dei potentia.

Hic locus mancus est.

3 Aduertis quod uiri sancti nulla in re separantur ab uniuersali Ecclesia.

Si autē in meo templo Deum & patrem plusquā ipsius filium magnificauerim, nō respiciat ad me in pietatis miserationibus. Sin ex Deo spiritum sanctum imminui, longe ab eius aspectu me tenebrosum reddat. Et nisi nunc etiā dico, sicut in principio confessus sum, mittar in tenebras æternas & caliginosas. Et si per hypocrisim hæc loquar, in gehennæ igne portio mea cōputetur. Si etiā adulans hæc subseminem, in iudicio non mei misereatur Dominus.

Per uestram ueram uitam qui mecū perseuerastis discipuli, & per uitam ipsius immutabilē filij Dei marsupium Ephræm nequaquam habuit, non baculū, non peram, non argentū, uel aurum, uel super terram alias adeptus sum possesiones. Audiui enim bonū magistrum in euangelijs dicentem suis discipulis: Nihil super terrā posideatis, neq; cū affectu huiusmodi quicquam habui. Accedentes igitur fratres mei, pacem tandē mihi date. Et dimittite me, propterea quod deficiens abeo. Reminiscamini autē mei abiecti in uestris 4 pijs sanctis orationibus. Etenim in uanitate, & iniquitate uitam peregi meam.

4 Vides quoties repetat orari pro se cum mortuus fuerit.

In timore autē uestro adiuro uos uiri sancti, & habitatores ciuitatis Edessæ, per immutabilem fidē immortalis Dei, ne obliuiscamini præceptorū meæ paruitatis neq; aspernemini, pro nihilo habentes mea uerba. Nā hęc ex diuina dicta sunt gratia. Et ne permittatis me in domo Domini poni sub altari. Non enim hoc decet uermē putredinē emittentem, sed neq; alibi me poni permittatis. Nā neq; homo dignus habeatur templo gloriæ regni cœlorū, qui contumax hoc fecerit. Vana enim gloria homini indigno nihil prodest, & cui non conuenit. Quapropter nudi omnes creati sumus, similiter etiā resurgentes nudi sumus appariturі. Et omnes astantes ante Christi tribunal, ibi eorum quæ in uita gestimus, rationem reddemus.

Vt quid uos igitur me afficitis honore, qui actionum appellatione me ipsum non honoraui? Qui enim seipsum bonis operibus, & bonis actionibus non exornauerit, quælibet hominū uita huic addita existimationi, quā non est adeptus, nihil prodesse poterit. Omne autē creatū esse etiam corruptibile fratres secundum illud quod scriptū est, per Deum audistis. Quapropter & flens dico, sicuti percepistis, dissoluitur, & corrumpitur hoc tēplum manufactū, & tēplum corporale spiritualiter suscitatur, non corporale & transitorium, corruptū secundū carnis concupiscentiam, sed ipsum corporale, spirituale, incorruptibile suscitatū, ut amplius ad corruptionē nequaquā conuertatur, quando Christi tuba sonans à somno excitabit à sęculo ibi dormientes. Non enim iudiciū erit propter lapidea templa, neque lapides Deus iudicabit, sed tēpla quæ sunt in corpore, quæ sa-

piunt naturã humanã, in tẽplis continentibus unumquenque. Dico autẽ hominẽ secundũ proprias actiones iudicabit Deus, & secundũ uniuscuiusquã certamen, & laborẽ, præmium 5 etiam pro meritis reddet.

Attendite autẽ carissimi ne pannos 6 meos tanquã reliquias monumenti gratia habeatis. Memoriæ enim habetis præceptum Saluatoris nostri Dei, quod acceptũ ab ipso didicistis, ut ipsius reditum expectetis. Cur enim præter cætera laborẽ, & onus graue mihi imponitis: ne quando in inquisitionis iudicium ueniam? Non enim melior sum hominibus à seculo sanctis, & poenę propter uos subijciar. Et redarguens meam stultitiam Dominus dicat ad me: O' Ephræm in te plusquã in me homines credidere. Si enim ex te monumenta sibi suscipere uelint, fortasse non credide runt in mandatorũ obseruationes quas illis tradidi. Propterea tua magis memoria, quam mea delectantur.

Præterea hortor uos ò mea desideratissima uiscera, quemadmodum à Christi doctrina accepistis, ne me inter sanctos referatis. Sum enim peccator, & minimus, & stultitiæ meæ causa timeo illis appropinquare. Si enim lignũ sarmenticium appropinquat igni, uel etiam aggeritur, totũ cõbustum ab ipso consumetur. Hæc autẽ non eo dico, quod eorũ societatem, & coniunctionẽ asperner, sed respiciens ad infinitã multitudinẽ peccatorũ meorũ, horreo, & contremisco. Audio enim prophetã dicentem quod quidẽ Noe, & Iob, & Daniel non liberabunt filios suos, & filias, frater non redimit, non redimet homo. Sic etiã Giezi à lepra non liberatur.

Ne quis uestrũ satellitij munere fungens in 7 pompam progrediens ad ostentationẽ me circumferat, sed super humeros tollentes me, & cursim comitantes funus curantes sepelite, tanquã opprobriũ despectũ. Propterea quod in doloribus dies uitæ meæ præteriere. Ne quis uestrũ me pconijs extollat, uel etiã laudet. Abiectus etenim sum corã Deo, & meis confusus operibus. Et ualde timeo. Quia corã Deo sum, ut eorũ aliquis, qui fari non audent. Quis enim mihi ostẽdet debitã mea, nisi omnes horrueritis meã ruditatẽ? Et quę collatio putredinis cũ uirtute? Vel quę peccatoris, ut appropinquet iusto? Quę collatio est inter lucẽ, & tenebras? Si enim senseritis odorẽ actionũ mearũ, omnes utiq; fugã arripietis, inhumatũ me relinquentes, fœtorẽ non ferẽtes peccatorũ. Qui autẽ me uestimento indutũ ornato deponet, in tenebras proijcietur exteriores. Si quis autẽ myrrha me condiet horũ pars erit in ardẽtẽ fornacẽ, & in ignẽ gehennę. Sed in mea tunica, & in meo pallio deponite me, in quibus fui toto tẽpore uitę meæ. Nã peccatori non conuenit cultus, & uermi, & pleno putredine. Neq; lætificat, neq; exornat peccatores, qui sunt in terra uiuentium gloria. Peccator autẽ sum, sicuti dixi.

Nemo igitur me beatum appellet. Omnes enim meæ actiones notę sunt Deo, omnesq; meę prauitates, quas gessi. Inquinatus sum propter iniquitates meas, & abiectus sum propter scelera mea. Quę enim iniquitas non est à me perpetrata? Vel quale, uel quod in me non extitit

5 *Præmiũ reddet deus pro meritis secũdum uniuscuiusq; laborẽ. Ergo boni habẽt meritum apud deum.*

6 *Non per uerba quæ in hoc capitulo dicuntur, tollitur sanctorũ debita ueneratio, sed eorũ abusus, qui sanctorũ cultum deo stultissime preferunt.*

7 *Nec hic tollitur honesta sepultura, sed põpatica & ambitiosa.*

peccatum? Quia omnes iniquitates, & peccata aſsidue extitere in meo mortali corpore.

Cæterum omnes, qui patrum munere fungimini, & filiorũ, & fratrũ, & diſcipulorũ, uiri, qui habitatis Edeſſam, ferte fructum iuſtitiæ ueſtræ quicunque conſtituiſtis ponere mecũ quodlibet in perpetuam ueſtram memoriam, ut ego precio his ſtatuto, parato ex his uaſe aliquo precioſo, mercede conducam operarios dignos ueſtro fructuoſo propoſito. Dico autem pauperes, & orphanos & uiduas & egenos, & peregrinos, nudos, famelicos, & omnes laborantes, ut ueſtrum ſalutis monumentũ fiat perfectum in regione uiuentium. Nã uobis eueniet ad ſalutẽ, mihiq; computabitur uoluntaria merces conſiliũ quod uobis dederim. Sed alia eſt merces, quæ operibus, & alia, quæ uerbis datur. Maior autẽ eſt fratres qui dat, q̃ qui accipit, ſicut etiam à Domino audiſtis. Sicut unuſquiſq; ueſtro decreto fieri uoluit, ſic & faciatis. Et habeo ueſtram gratiam & abundo.

Adiuro autem uos fratres per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, ut omnia pauperibus diſtribuantur, ſatis mihi ſuperq́ue eſt charitas ueſtra. Quia omnibus uiribus me honoraſtis, & ego indignus ſum. Verũ enim qui honoratus eſt, ipſe uobis ſuperabundantẽ mercedem reddat. Et ſicut audiſtis ſapientem præceptorem dicentem: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet. Ipſe enim Chriſtus accipiet munus ueſtrum perfectum. Quia in ſpe propter ipſius nomen me huiuſmodi affeciſtis honore.

Suſcipiatur munus ueſtrum ſicut illud Noe iuſti, & illud antiqui patris noſtri Abraham, & ciuitas ueſtra, in qua habitatis benedicta ſit. Ipſa enim eſt ciuitas, & mater ſapientum Edeſſa, quæ quidem etiam palàm ex ore domini benedicta eſt per ſuos diſcipulos, noſtros autẽ Apoſtolos, quando Abagarus Rex, qui eam ædificauit, ſalutem dixit Domino Saluatori omnium, & Domino Chriſto cũ miſiſſet ex Iudæa dicens: Audiui omnia, quæ à te facta ſunt, & quæcunq; paſſus es à reprobis Iudęis. Veni igitur huc, & meo utere hoſpitio. Habeo enim hanc ſanè paruam ciuitatẽ, quæ mihi & tibi ſatis erit. Cuius fidẽ Dominus admiratus, mittens per nuncios perpetuo benedixit ciuitatem, firmans ipſius fundamenta. Benedictio illa hic inhabitans permanebit, donec è cœlo ſanctus apparebit Ieſus Chriſtus filius Dei, & Deus ex Deo.

Ne quis ueſtrũ à propoſito deficiens infructuoſus recedat. Qui enim quippiam afferre inſtituerit, & illud deſeret, iniuſti Ananiæ mortẽ paciatur, qui uoluit homines latere, & redargutus eſt incidens in eorũ pedes.

Cũ adhuc ea ipſe loqueretur, uir ex illic aſtantibus ualde illuſtris, correptus à ſpiritu ĩmundo, ſtatim cecidit ad lectum, & clamans uolutabatur. Qui dixit ad illum: O homo dic quod à te factũ eſt. Et in uerbi præcepto exurgens ille reſpondit. Statueram (inquit) in animo meo quoddã precioſum ueſtimentum afferre, & tecũ deponere. Quia uero uetuiſti ne quicquam amplius tecũ tumularemus, hoc mecũ ipſe cogitabam di-

cens. Si prorsus in ijs non deponitur, quid opus erit, ut etiam proferatur? Si autem præcipit, ut pauperibus aliquid demus, aliarum diuites rerum egentibus dabimus, quæcunque ipsis opus erunt.

Respondens autẽ beatus dixit ad eum. Abi, & perfice quod te facturũ decreueras. Et 8 cum pro eo orasset, & manus super eum imposuisset, eum sanum reddidit à spiritu ĩmundo. Et rursus admonens dixit. Si quis 9 cereum mihi in exitu accederit, ipse consumatur in ęterno igne. Quid enim proderit homini corruptibilis splendor ignis, qui à proprio combu retur 10 igne? Quãdo enim ille terrificus apparebit ignis, illi obnoxius in eo consumetur. Satis igitur sit mihi meus dolor neque alia mihi à uobis superinducatur pœna. Et plorate fratres mei super me. Dies enim mei in doloribus præteriere. Et ille me circundedit laqueus, quẽ non animaduertebã. Et uenit inquisitor meus, & laqueis molestis uexantes me, adducunt ad pœnam, tanquam satellites, & trahunt me in terram mortuorum, & regionem quam ignoro.

Obsecro te saluator Dux meus ne eijciens me, miserũ reddas, & contemnens me condẽnes. Si enim digne de ijs, quæ à me gesta sunt, perscruteris, timor utrinq; me circundabit. Quando enim hæc omnia recenseo, intolerabilis super me irruens tremor me conterit, & graui quoddã conficior horrore, & comprehendor tremore propter pœnarũ expectationẽ, quæ in illo conspiciuntur seculo, & nequaquã ferre possum. Et palàm dentes mei perturbant me, illic propter dolorem stridentes.

Hortor uos ne me cũ aromatibus tumuletis. Nã neq; stultũ delitiæ decent, sed neq; gloria in gloriã, neq; alius boni odoris fumus illum, qui est putredo, & terræ puluis. Sed date uaporationẽ fumi boni odoris in domo Dei, & pro 11 me orate. Potius autẽ 12 simul comitamini, & aromata date Deo, me autẽ fletibus sepelite in doloribus conceptũ. Et hortor uos, ut loco suauis aromatum odoris, uestris me adiuuetis 13 orationibus, in ipsis continue mei memoriã facientes. Quid enim proderit 14 suauis odor mortuo sensu carẽti? Vestra autẽ incensa adolete in domo Domini ad ipsius laudẽ & honorẽ. Qm̃ & ipse ibi inhabitat. Cur autẽ induis corpus corruptibile splendida & egregia ueste, quę quidẽ illud nequaquam calefaciet? Sed terrestre corpus relinquite ipsius matri terræ. Quandoquidẽ ex ea sine spiritu confectũ est. Et illud sequitur uanagloria. Virũ autẽ inclytũ decẽt diuitiæ. Pauperi cõuenit humilitas. Generosos quidẽ decet regnũ, Infimos autẽ militię consolatio, agnoscens cõsolationis gratiam.

8

Nota, Orauit pro eo & manus super eum imposuit, & sic sanũ reddidit.

9

Ne credas sanctum uirum uelle Christianum sepeliendi morẽ tollere quo lampades in tumulandis fideliũ corporibus accenduntur, sed cæreum sibi accẽdi ex humilitate uetat ut pote sancto, cuiusmodi in sanctorum cultu multi etiã poni solent.

10

Credimus rationabiliter eũ de igne purgatorij hoc in loco loqui, non autẽ de igne inferni.

11

Ecce iterum oratio pro mortuo.

12

Vides sepulturam nõ esse negligẽdam sed curandam potius, quo modo sanctus uir fieri curat? at modestam & humilem, & non tanquã hominis sãcti sed peccatoris.

13

Quoties orationem inculcat? Nẽpe quia illa defunctorum animæ à pœnis purgatorij releuantur, alioquin frustra fieri mandaretur.

14 *Nec hic credas sanctum uirum communem Ecclesiæ consuetudinem traducere, qua fideles defuncti cum tumulantur, incensi odore fumigantur. Sed uanam duntaxat eorum cogitationem, qui illo incenso aliquid utilitatis mortuo afferri putant. Cum incensum illud super mortuo quod ad laudem & honorem domini in Ecclesia offertur (quod etiam hic fieri non prohibetur) pias orationes fidelium designet quæ pro mortuo funduntur, ut in conspectu domini sicut incensum illud ascendant, iuxta illud Psalmi, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Pro hoc uide Damascenum in sermone, Viuorum suffragijs mortuos iuuari.*

Neq;

Neq; me in uestris deponite monumentis. Nam neq; loculi uestrorũ monumentorũ, ex meis me eripient captiuitatibus. Rationẽ autẽ habeo cũ Deo meo habitare cũ hospitibus. Quandoquidẽ sum aduena, quẽadmodum & illi. Cũ illis igitur quiescere me faciatis. Quia omnis caro fratres mei adhęret ei, cuius est particeps. Et quilibet homo suo gaudet consorte. In 15 cœmeterio (inquam) ubi iacent contriti corde, ibi me tumulate. Vt quando Dei filius resurgere illos fecerit, & reformauerit, cũ illis me suscitare faciat.

15 *Vides sanctum uelle sepeliri in cœmiterio cũ alijs fidelibus sed aduenis: & non in cãpo cum bestijs, ut faciunt quidam nostro tempore male de fide sentientes.*

Respice Domine ad humilitatẽ supplicationis meę, & precor te, ut miserearis mei. Dignũ me reddas unigenite fili Dei, neq; iuxta ea, quę in uita gessi, mihi retribuas. Si enim iniquitatem obseruaueris Domine; Domine quis sustinebit? Si etiã secundũ maiestatẽ tuã reddes nobis, quis in tuo iudicio misericordia dignus existimabitur? Etenim (ut ait scriptura) quodlibet os obturabitur, & totus mundus Deo fiet subditus. Non hoc dico gratiã contemnens. Dico enim ea quę scripta sunt clementissime Christe. Quę utilitas in sanguine meo, si in ignẽ ardentẽ mittor? Fac igitur mecũ iuxta miserationes tuas. Et in hoc gratia tuę dignoscetur pietatis. Si uero totã iudicabis terram, sicut remuneratio tua manifesta, unus non saluabitur ex milibus, & ex decẽ milibus duo non redimentur.

Quid igitur? Ego enim infelix Ephręm prę dolore deficiens loquor. Sic aliquis asserens dicit, mortaliũ non fieri iudiciũ, sed æquabuntur iniusti, & peccatores iustis, & probis, & ueridicis. Et humiles & boni improbis, & impijs. Non possunt hæc inter se adæquari. Lux enim offuscat tenebras. Qui enim fieri potest, ut iustus Abel fratricidę, & iniusto Cain adæquetur? Vt hoc euidentius fiat. Qui cohabitare faciet iustos & iniustos in eodẽ loco? Clamantes enim intolerabiles dabunt uoces. Precor te Saluator ne exæquens peccatores iustis, te oro probitatis fili. Sed miserationes tuas extendere digneris super me, & super pauperes meos.

Quod igitur prius dixeram, dicam rursus, neq; ab eo recedã. Quia, nisi tuas super nos extenderis miserationes, nemo uidebit uitã. De uno enim Deo omnino perhibetur, quod unus sit bonus ex omnibus, qui mortale sortiti sunt corpus. Non autẽ quòd sim peccator hæc dico. Consueuit enim diuina scriptura ea, quę à me dicta sunt sparsim dicere. Quiesce ô Ephræm, angelus apprehendens me, & redarguens mihi dicit. Continua suspiria non tibi proderunt, quando acres satellites ad te missi non corrumpentur donis. Et asperè respondens dicit ad me: Os tuũ obtura. Non enim consortes tui perditi sunt. Inter hominum generationes peccator omnes sibi similes esse existimat, & cęcus sibi ipsi similes existimat propinquos.

16 *Ecce hic multa de Christiana traditione cõtra nouos hæreticos. Sepelire mortuos cum psalmis et orationib'. Missas celebrare, & sanctissimam Eucharistiam pro eisdẽ offerre. Trigesimo mortis die defuncti memoriam facere. Mortuos iuuari beneficijs sanctorum uiuentium.*

Accedite igitur ad me fratres, & cõponentes collocate me. Spiritus enim meus defecit fortiter. Et 16 comitamini me psalmis, & orationibus uestris. Et assidue pro mea paruitate offerre dignemini. Et cũ trigesimum diem cõpleuero, mei memoriã faciatis. Mortui enim beneficio affi

ciuntur in oblationibus recordationum sanctorum uiuentium.

Videtis exemplũ ex particularibus Dei creaturis, ueluti infoetu uitis. Vua acerba in agro, & uinũ, quod in dolijs positũ est. Quando igitur racemus in uitę uiget, tunc de statu suo mouebitur, quod est ĩmobile in domo. Vinũ mei simile intelligitur: Cepa etiã quæ posita est in agro, cũ tẽpore suo uirescere incoeperit, arida, quæ est in domo germinat. Si igitur rerũ foetus sic inter se consentiunt, quanto magis .A. mortui in memorijs uestrarũ oblationũ oblectantur? Et si quis diceret ò sapiens, redde rationem quare hoc ita naturaliter fiat. Nosces teipsum esse quandã creaturarum Dei primitiã. Et nisi exemplũ cõpertũ habeas, nisi testem tibi adducam, patienter audi ea, quæ scripta sunt. Et si quidem uolueris prudenter suscipe ea quæ dicuntur.

.A. Nota defunctos oblectari memorijs nostrarum oblationum.

Seruus Dei Moyses in benedictionibus, Rubem ad tertiam usq; generationẽ nonne benedixit? Si igitur non redimuntur mortui, qua ratione benedixit Rubẽ Moyses? Et si non est resurrectionis memoria audi quid Paulus dicat. Si prorsus mortui nõ resurgunt, cur baptizantur pro mortuis? Qui enim erant sub lege, ad expectationẽ resurrectionis in mysterio occlusi detinebantur in fidẽ, quæ reuelanda erat. Sicut legisti, quod in oblationibus diuini cultus sacerdotes in lege mundabant, & qui in bello in inquinationibus uulnerati pleni actionibus orant inquinatis, ijs quæ scripta erant tenebantur. Quomodo non magis noui testamenti sacerdotes Christi delere possunt? Quũ uerisimiliter debita iam prætererint in sanctis oblationibus, & suarũ precationibus linguarũ?

Quũ autẽ ad memoriam faciendam accesseritis, cauete fratres, ne quis in sancta peccet, sed attentè & reuerenter, & humiliter, & sanctè, & purè inuigiletis. Non quia grauiori damnatione dignũ existimatũ sit peccatũ propter lubricã carnẽ cõmissum supra cętera. Siquidem sunt longè hoc grauiora. Sed hoc mihi impendit miserabile, ne quãdo pro memoria, honorum gratia pro uobis rationẽ reddam Deo meo. Fortasse enim in iudicio obijciet mihi hoc. O' Ephræm horũ omnium autor fuisti tu, ut potè qui congregaueris eos ad lasciuiendum. Scriptũ est enim, Adulteros & moechos iudicabit Deus.

Et quid dicemus in hoc fratres mei carissimi, quod antea dixi timore detentus, & nunc dicã, ꝙ scilicet quẽ Deus iudicabit, uenia dignus existimatur. Iudicati autẽ à Domino corripimur, ne in hoc mũdo iudicemur. Et hoc dicente Apostolo. Sicut enim parũ fermenti totã massam corrũpit, sic malorũ cogitatio diffusa cõburit totũ corpus. Et quemadmodum ferri rubigo ipsum consumit, sic etiam ex hominibus peccatũ perpetratum repugnat grauioribus eorũ institutis, & moribus, & perpetratũ consumit corrũpens eos, qui ipsius adimpleuere uiam. Qui autẽ ipsum non perpetrauerit, est ueluti pmanens paradisus, & postquã manserit in quodam diuersorio, abit; simili modo moratũ apud eum aliquandiu exilium recedet. Præterit enim hoc mortale corpus, & induit ĩmortale & cęleste.

Quando corruptionis periculum fecerit, tunc strenuè incorruptibile resurget omnis corruptionis expers.

Ecce clara & potens ecclesiæ lucerna Paulus, ex uobis imbecilles his alloquitur uerbis, & dicens asserit: Quod seminatur in corruptione, colligitur in incorruptione. Sed enim huc agite quod mihi relinquitur discipuli, sitis benedicti in fortitudine boni pastoris, & magistri sancti Domini nostri Iesu Christi, qui quidẽ est Deus ex Deo. Et ego quãuis non sim ut Noe, uos tamen sitis benedicti, & efficiamini ut Sem & Iapheth. Et quãuis non sim ego Melchisedech, at uos efficiamini ut Abrahã. Et quãuis non sim ego ut Isaac, uos tamen accedentes sitis benedicti ut Iacob. Et quãuis non sim ego Moyses, uos sitis ut Iesus Naue. Et quãuis nõ sim ego ut Elias, petentes uos eũ duplicẽ recipite spiritũ, ut Eliseus petiit. Veniam autem ad uos mei discipuli uestri causa. Abba uir admirabilis Christus magnificet monumentũ tuũ. Et fiat psona tua propè angelos maiestatis Dei. Et fias similis magno Moysi. Vt omnes inspicientes intelligãt quod seruus es Dei electus. Et tu Abraham, quia libens adhæsisti mihi, Deus Abraham exaudiet te in orationibus & precationibus, & priusquã aperias os tuũ, illud implebit sapientia & intellectu. Sicut dicit Propheta. Aperi os tuum, & implebo illud.

Symeon exaudiet te Deus, & in supernã ciuitatẽ ingrediaris. Impleatur eius ecclesia sicut poculum mixtũ populorũ non credentium in saluationẽ. Ingrediantur sponsæ in uisionẽ tuam inclusę doctrinã tuã. Quarũ quidem sponsæ sunt matres, clausę uero in iugo aduersarij detinebantur. Cum uenisset autẽ Christus has obscurauit audientes à te parabolas prudentiæ, ut perciperent à te doctrinã uitæ spiritus sancti. Consequentur à te salutẽ sapientũ, Et sicut sapiens medicus in parabola inopũ, sic in creatura auditus tuus percurrat, Maràs uir Galilæus, mansuetus non natura, sed libera uoluntate, tanquam certans in spe Dei, in meis adiuuisti me passionibus. Ipse igitur Deus reddat tibi mercedem tuam inter pios, quã accipies cũ sanctis omnibus.

Zenobius uir Zigaræus, uir exercitatus, inter fortes bellator, sermo tuus fiat tanquã ignis, & consumet iniquorũ multitudinẽ. Et sicut flãma pertransiens Syluas condensas, sic disciplina tua ipsos insequetur. Sapienter etiam doctus sis quãcunque Dei scientiam. Et ut Dauid illustris aduersus sceleratũ Geliath declaratus est, tu etiam parta uictoria uinces errantium animas. Induere armaturã sanctorũ, galeam, spem salutis, forte scutum sanctorũ, quæ sanctorũ armatura est spiritus sanctus, & ipsorum roboris galea est digitus Dei, sit tibi comes & auxilium, quod nunquam in aliqua re deficiat.

Væ tibi Apollo, mater tua ex mulieribus maledicta. Væ uentri, qui te peperit, quia perditionis omnium hęresum factus es particeps, & quamlibet extremitatũ ingrederis ianuam. Opera sunt enim cuiuslibet laboris tui. Denudatus, proiectus factus es à gratia tanquã Iudas proditor, & ex

omnibus ipsius studijs confusus. Columna enim huius sedes est, quã dereliquisti. Horribilem autẽ finẽ ostendet in corpore tuo ipse, qui cęlum sustinet, & in quo quidẽ cuiuscunq; creaturæ natura posita est. Nam quælibet creatura in ipso fundata est, mare & eius plenitudo. Confisus es etiã in arundine fracta derelinquens Christi baculum, quod infirmos consolidat, & quamlibet medicatur passionẽ, & animarũ, & corporũ.

Igitur uir perdite, quia uoluisti congregationes Dei ecclesiarũ à spiritu sanctissimo congregatarũ perdere, ex ea, quæ sub cęlo est extinguetur memoria tua, & non inuenietur in libro uiuentium. Quia dereliquisti uinũ uitæ, hoc est sanguinẽ Christi, & panẽ cęlestem, hoc est corpus Dei & Saluatoris nostri, & comedisti cibos uictimarum fędatarum, & bibisti fecem peccatorum, fel turbidum.

Verbũ Dei, & filius patris in quem os tuũ impium insultauit, subtili inquisitione exquirat à te ipso exprobrationẽ in se factã, & similiter ab omnibus hæresibus Arrianis, inquã, & Manichæis, & Catharis, & Ophitis Marcianistis, Eunomianis, & Euchitis, & Cauchitis, & Paulianis, & Vitalianis, & ĩpuris Borianis, & ab omnibus reliquis nefandis, qui lignis & lapidibus sacrificant, & Soli, & Lunæ, & augures, & astronomi, qui segregati sunt diuersimode aduersus diuinã maiestatem æternæ trinitatis, Patris & filij, & spiritus sancti.

Benedictus qui elegit catholicã ipsius ecclesiam, ueluti sanctã agnam, quã Lupus depopulator non contriuit, & ĩmaculatam columbam, quã nunquã apprehendit insequens opprimendi causa, & eò cucurrit uenator accipiter. Nam poculum in manu Domini est uini fęculenti: & ex eo bibunt omnes Apostatæ Christi, diuisores sanctę & omni principio carẽtis Trinitatis, & ueritatis hostes, Iudęorũ inquã, genus, quũ bibissent euomuerunt, & ĩmaniter impetũ fecerunt aduersus Saluatorẽ nostrũ Christum. Et nihil mirũ. Siquidem rabidus canis quũ furore percitus est, proprium mordet dominũ. Nos uero glorificabimus exaltatũ Deũ omniũ, cui appropinquare nequeunt apostatarũ germina. Nam si illis fuisset aliqua opinionis ratio, quod in cœlum ascendere possent peccatores, omnino dissentientes, ibi etiam discordiam disseminassent in domo pietatis in cœlestibus tabernaculis, quemadmodũ priscis tẽporibus horũ maiores in chalanes turris ædificatione omni studio in cœlum ascendere contenderunt, & a gratia repulsi sunt. Ignari quid agerent, ac frustra iniquè agentes, posteaquã incõposita separatione diuisæ sunt omnium eorũ linguæ. Si igitur eos, qui hoc facinus ausi sunt tã uehemens inuasit calamitas uolentes ascendere in chorũ cęlestium sanctorũ, & uigilantium diuersoriũ, & merces eorũ sic manifeste in eorũ capita recidit, quanto grauiore supplicio digni iudicabuntur fratres, qui apostasiæ separationẽ cogitant disseminare in cordibus hominũ, aduersus Deum patrẽ & spiritũ sanctũ.

17 *Vides hæretice quod à fide catholica nunquã desciscendũ est: Ea autem est quæ a seculo prædicatur, & quã sancti præcedentes professi sunt, omnesq; in toto mundo cõstitutæ seruant Ecclesiæ, & non quæ a paucis seruatur.*

Mea igitur præcepta consideratote discipuli mei, & 17 ne à catholica desciscatis fide, quã & ego à pueritia acceptã ĩmobilem seruaui, neque

ab illa deflectamini in aliquo schismate. Siquis autem dubitauerit, & 18
separatus fuerit contra Deum, & sanctã eius ecclesiã, spirans, & uiuus in inferno detrudatur: particeps etiam hæreditarius maledictionis Cain, gemens super terrã & tremens erit. Et quicunque patre filiũ minorẽ fecerit, inhumatus & ipse pariter in terrã descendat. Qui uero dissenserit aduersus spiritũ sanctũ, hic in iudicio misericordiã non consequatur. Et si qs
19 separatus fuerit aduersus catholicã ecclesiam, leprosus fiat, haud secus ac stultus Giezi. Quicunq; reliquerit rectã fidẽ suspendatur iniquitatis funiculo proditoris Iuda. Et quã ego noui fidẽ, hanc accepi ab Apostolis
20 sanctis, hanc didici, & ipsi cũ hanc à Deo percepissent, omni creaturę prædicarunt. Intolerabilis igitur & euitanda iniquitas est in Deũ blasphemia, cuius escã fugite ò mei discipuli. In Deũ enim prorsus apostasiã prædicat is, qui blasphemat, ut pote emouens fundamentum uerbi fidei. Nosq; graui mole oppresi erigere nos non possumus sub ea, quæ serui est carne, ueluti sub pædagogo constituti.

Ne igitur addamus nobis metipsis peccata ꝓpter iniquitates nostras. Expectationẽ autẽ habeo spei in hoc, & cõsolationẽ corã Domino, quod nunquã in tota uita mea Dominũ maledictis incessi. Et sermo stultus nõ exijt ex labijs meis. Qui enim oderunt te Domine, perfecte odio habui, & inimicos tuos prorsus abominatus sum. Eorꝫ quæ dico fratres, memoriam infigite in cordibus uestris. Nam eorum mihi ab initio autor extitit Deus. Et hoc opus in Deũ agricolationis uobis esto. 21 Vt uigilias assiduè cantusq; & ieiunia & fidẽ diligatis. Speretis atque expectetis Dominum omnium, & Saluatorem nostrum Christum.

Habere nos oportet prȩterea hospitũ suscipiendorum curã. Nam qui peregrinũ suscipit, prorsus is Deum ipsum suscipit. Videte ne quis peregrinũ hunc appellet. Sed singuli ex uobis potius estote proprium alter alterius membrũ. Et estote maximè in fide constantes, 22 cauentes ab aduersarijs, ab ijs, inquã, qui contraria uobis operantur, uaniloquis & deceptoribus. Quod quidẽ apostolus etiam docere non neglexit, sic dicens, Scientes quod post discessum meũ uenient ad uos lupi graues, nõ parcentes gregi, loquẽtes peruersa, ut auellant discipulos post se. Et alio in loco. Qui uenient ad uos in uestimentis ouium, cũ sint ipsi lupi rapaces, uerba quidẽ dulcia habentes, cor autẽ plenũ felle, & amaritudine. Et ueste quidem induti lugubri, cũ sint ipsi discipuli ab initio decipientis nos Diaboli. Quapropter & illius sunt Zizaniorum semina.

Omni igitur cauentes diligentia fugite horũ consuetudinẽ. Hoc autẽ perspicuũ do uobis exẽplum, quod uos etiã scitis; Quòd quilibet peregrinus si stans inuentus fuerit in loco regio, licet nihil mali uisus fuerit perpetrasse, nihilominus ut temerarius male plectetur, & in iudiciũ ductus correptione corripietur illa, quæ est secundum leges, tanquã peregrinus huiuscemodi loci. Ne igitur 23 stetis in consessu uanitatis eorum, & ne inuestigetis uiam cogitationis eorũ. Nihil enim interest utrũ cũ Demo-

18 Ecce quod si quis deo coniunctus sit per fidẽ ab eius uero Ecclesia diuisus, nihil agit. Nã duo hæc copulatiue requiruntur ut quis maledictionem incurrat, et in infernum detrudatur, separatũ uidelicet esse a deo, & separatũ esse a sancta eius Ecclesia.

19 Nota hæretice qui te ipsum aduersus sanctam Ecclesiam separas, cum quibus depereris.

20 Vides & hic quæ fides sit tenenda.

21 Si sanctus uir hæc mãdat discipulis moriens ut uigilias, cantus, ieiunia, & fidem diligant, constat hæc omnia & singula bona esse, deoq; placentia. Quid ergo hic garriunt hæretici?

22 Vide si toto hoc capite tacite indicat nostri temporis Nouatores.

23 Omnes sancti patres hoc documentum dedisse fidelibus reperiuntur, non esse cum hæreticis cõmunicandum, sed ab eis fugiendum.

ne quis habitet, an cũ uiro inconstãti, & iniquo, Ascitus enim in cõtubernium Dęmon timens aufugiet, eo quod non possit manere ubi Christus contra illum nominatur.

Tu uero ò homo cũ foris in Christi corpore sis, si intus etiã in spiritu eius es, perfectus homo es Dei. Quoniã uir, qui non accepit baptisma similis est cuidã domui paratę Regi, quã neutiquã habitauit Rex, at si adiuraueris iniquũ, & infidelẽ, dupliciter hic utetur sua malitia, neque de insania sua quicq̃ remittet. Adiurari autẽ potius possunt scelesti Dęmones, quã persuaderi iniquitatis filij. Siquidẽ Dæmones fatentur: Tu es Christus filius Dei. Et uide obstinatos & amaros eorũ mores. Princeps apostasiæ eorũ exclamat, & dicit. Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Et ipsi negãt

24 *Ecce uerum quod uulgo dicitur, Apostatarum post agnitã ueritatis uiam, per pauci sunt qui ex corde in statum pristinum redeant, sed magis in sordibus positi, amplius sordescant.*

assiduè. 24 Si ergo fieri potest, ut sterilis salix in loco arido germinet, fieri etiam potest, ut apostata aliquando erudiatur. Consilia enim mentis elatæ loco suo humiliabuntur, quemadmodum Prophetæ uidetur Esaiæ dicenti, Omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in uias planas.

Si igitur sterilis salix in aspreto germinabit unquã, propheticus etiam sermo confirmabitur uobis. Et ĳs plura contingent. Et accedent sponte iniusti ad discendam ueritatẽ. Sicut uero coruus albus nunquã fiet, ac si is inalbuerit, malus etiã efficietur bonus. Et accedens, quod rectũ est discet. Euenit autẽ aliquãdo, ut hiberno tẽpore cadente niue, aliquãdiu candens apparuerit coruus, tametsi suapte natura is niger esset. Cæterum ubi se ad uolatum incitauit, tota à se niue excussa, eodẽ, quo prius colore apparuit. Similes huic sunt peccatores, cũ enim ad breue tẽpus cõpuncti ostẽderint pœnitentię tẽporariæ fructus, territi excõminatione futuri iudicĳ, propterea quod in proposito stabiles non permanserint, haud ita multo post omniũ obliti, in pristinũ suorũ uitiorũ detrahuntur locũ.

Audite præcepta mea discipuli, eaq; assiduè memoria tenete. Neque excedatis à uia ueritatis, neque monita mea fugiatis. Quũ autẽ bella audieritis, & tumultus in creatura, scitote, quod in ianuis adest. Et spem uestrã constanter retinete. Scriptũ est enim fore ut omnia fiant, quæ in ea scripta sunt. Cœlum enim (inquit) & terra transibunt, uerba autẽ meá non præteribunt. Iota quoque unum, atque unus apex de lege præterire non poterit. Quemadmodũ magister noster iurauit per semetipsum, & dixit: Scitis autẽ eũ ueracẽ esse, & nunquã mentiri. Vt igitur astare ualeamus ipsi ĩmutabili iustæ sententiæ Iudici, operã demus ut nosmetipsos p̃ bona opera in patientia confirmemus.

Interim autẽ dum hæc cũ lachrymis præciperet, & mandaret beatus uir, & uniuersa ciuitatis multitudo circũstaret, ac fleret, mulier quædam nomine Lamprotate, filia magni Aristidę summota hincinde turba uirorum, & mulierũ, procidit, & ait illi. Per Deum tuũ, quẽ à iuuentute tua ad senectutẽ usq; dilexisti, permitte mihi ancillæ tuæ, ut minutũ loculũ, quemadmodũ mandando adiurasti nos, faciã, atq; in eo 25 uenerabiles

25 *Vides sanctorum reliquias esse uenerabiles ?*

tuas reliquias reponã. Porrò ille probato illius propositi feruore, dixit ad illam, Mulier uade, Fac quemadmodũ statuisti. Et alias hoc uolentes facere ne impedias. Ex marmore autem caue, ne mihi facias monumentum. Nihil enim mihi proderit uana gloria.

Mandatũ autẽ hoc grauissimũ mando tibi quod uide ut serues. Ne sedeas omnino in lecticis. Neque enim pium uel fas est, ut homo ceruicem ad lecticã reclinet, & satellites circũferant super humeris perniciosum nobis & mortis autorẽ. Siquidem Christũ, ad cuius adorationẽ uenis, ipsum iugo subijcis. Nunquid non audisti & legisti, quod cuiuslibet uiri caput est Christus? Et quũ quid alicui metiris, memẽto resurrectionis, & actionum nostrarũ retributionẽ fore nobis à Deo. In qua enim quis metietur mensura, eadẽ remetietur illi. Fortè & ipsum Deũ audisti dicentẽ: Quẽlibet iuxta uias uestras iudicabo uos, & secundum studia uestra. Domus Israel dicit, Viuo ego dicit Dominus.

Tunc iurauit puella corã circũstante populo, dicens, Per Deum, cui constanter seruiuisti à iuuentute tua ad senectutem usq;, in posterũ non ingrediar lecticã, & non subibit homo gestaturus lecticã meam. Quod si mentita fuero, ueniat rõphæa resolutionis in illa hora in iuuentute mea, & in æternũ ignẽ gehennæ portio mea cũ iniquis cõputetur. Et si mandata tua trãsgressa fuero, in 26 exẽplum ostendar corã Christi ecclesia.

26 Scire uellem an hæc Ecclesia Christi corã qua hæc mulier ostendi uult in exemplum, inuisibilis sit, an uisibilis. Puto quod non inuisibilis. Ergo præter inuisibilem quæ est in cœlo, necessario fateri cogimur esse Ecclesiam uisibilem in terra.

Beatus uir respondens dixit ad illam. O' filia anteq̃ moriar, benedicã tibi secundũ desiderium tuũ. Non deficiat ex semine tuo sanctorũ doctrina usque in secula. Quũ uenerit Christus ad mutandũ cœlum & terrã, ipse inscribet memoriam tuã in libris uiuentium in regno cęlorũ. Et pax Dei, quæ sanctos coronat sertis ĩmaculatis, præmiũ tribuat tibi. Quoniã Deo & Patri gloria, & filio adoratio, & sancto spiritui maiestas ante oĩa secula, & nunc & semper, & in sęcula sęculorum. Amen.

CATALOGVS SANCTARVM FOEMINARVM per Palladium Episcopum Cappadociæ scriptus.

Habetur in libro qui Heraclidis Paradisus dicitur, Cap. 29.

MVltas fœminas uidi, plurimasq; tam uiduas q̃ uirgines noui, inter quas Paulam Romanã, matrẽ Toxotij, fęminã ad genus uitę, quod est secundũ spiritũ dexterrimo ingenio, cui quidẽ, quominus ei se daret, impedimento fuit, 1 Hieronymus quidã genere Dalmata, qui mulierẽ optima indole ad genus uitę perfectũ, cũ in eo multos, ne dicã omnes, longissimo post se interuallo uideretur posse relinquere, ipse inuidia motus ad suũ peculiare uiuendi institutũ pertraxit. Eius filia nomine Eustochia in Bethlehem uitã adhuc monachalem exercet, quã quidem ego nunquã allocutus sum. Cæterũ fertur insigni esse pudicitia, & regere societatem uirginũ quinquaginta.

1 Ex hoc loco manifeste colligitur simultates aliquas inter Palladium & D. Hieronymum intercessisse, forte quia is eum Origenianæ (ut diximus) hæreseos fautorem appellauerat. Qua de re hic exacerbatus, minus digne quã par erat de sancto & optimo patre loquitur.

Noui etiam Venetiam nomine, quandã comitis Vallacini relictam, quæ diuisit bene, atque dispersit onus cameli, seq; uulneribus, quæ solent

Sed nō eius uerba pon deres pie Lector, sed sanctarum mulierum optima instituta, & præclaras uiuendi rationes.

fieri ex nimio opum pondere, liberauit.

Theodoram quoq; tribuni alicuius coniugē quandam, adeo nihil de proprijs sibi bonis reliquisse cognoui, ut ante mortē suam, aliorū ei misericordia stipem ad alimenta præberet.

Defecerat autē in monasterio quod escyca uocabulo nominatur, proximo mari, fœmina iustę semper ac per omnia probabilis uitæ, cuius sororem etiam Adoliam noueram. Quæ & si non potuit germanæ meritis comparari, dignam tamen pro modo uirtutis propriæ famam habuisse fertur & uitam.

Basianillam quoq; nomine fœminā uidi, magistro quondā militum Candidiano relictam prompta mente & moribus sanctis usque ad præsens quoque tempus, uehementer institutione monachicæ uitæ, ac labore sudantem.

2 Presbyter potuit habere filiam de matrimonio ante sacerdotium contracto, more Orientalis ecclesiæ.

Est & alia Photinæ nomine, 2 presbyteri Theoctisti filia, uirgoq; ualde honesta & sancta.

Antiochiæ quoq; Sabinianā nomine diaconissam, honestissimā uidi: quę cum ipso colloqui putabatur deo, quæque amita beati Ioannis Episcopi fuit.

Romę etiam Asellam nomine bonam ualde Christi uirginem, noui in monasterio senuisse, fœminā mitem, atq; mansuetam, multorumq; curam illic gerentem. Vbi uiros etiam con coniugibus suis uidi: monachorum eo tempore, uitas & instituta discentes.

Ad uitam aliquā deo dignā cū Apreniano quodā ipsius uiro, & filia eorū Eunomia uidi, adeo placentes Deo, ut transferri ad cœlestem uitā, ante conspectum ipsius 3 mererentur. Et ipsi enim iam ultimo fine naturæ nunc in Christo quiescunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus absoluti sunt. Diuinarum autem rerum peritiam atque notitiam, semper habuerunt.

3 Nota, meruerūt trāsferri ad cœlestem uitam. Ex quo constat regnum cœlorum dari propter merita.

Habetur in Paradiso Heraclidis, cap. 30.

VITA BEATORVM IVLIANI ET ADVLII monachorum, per Palladium Cappadociæ Episcopū scripta.

DE Iuliano quodam in Edissenę prouinciæ partibus sito uiro (qui uere monachus dicebatur) audiui, quod usq; adeo 1 omnes corporis sui carnes ad nihilum redegisset, ut pellē in se solam, & ossa monstraret, ob quod ipse mercedem a Deo, curationum gratiā in ultimo uitę suę fine promeruit.

1 Ecce quō sancti carnis cōcupiscentiam robusto & integro sanctimoniæ & cōtinentiæ rigore calcabant, quod nostri temporis hæretici facere nolūt.

Alium quoq; uidi apud Hierosolimā Adolium nomine, ducentem ex Tarso oppido genus, qui cū uenisset illuc, à nullo penè detritam, ingressus est uiā. Quiq; non tale quale nos plurimi, iter tenuit, sed nouum sibi quoddā, & ultra homines propositum conuersationis inuenit. In tantum, ut dæmones quoq; contremiscerent 2 austeritatem eius, ac fugerent ab ingenti eius abstinentia, cōtinuationeq; magnarum uigiliarum,

2 Vide austeritatem uitæ, ingentē abstinentiam, & continuationem uigiliarum.

Vt prope id quod dicunt phantasma, hoc est nõ res uera, sed imago esse aliqua, putaretur.

Per 3 quadragesimam quidem quinto quoque die edebat. Reliquo uero anni tempore, post biduum semper cibũ capere consueuerat. Hoc autem in eo magnũ, quod à uespertinis 4 horis usq; ad tempus matutinorũ, quo rursus cæteri fratres ad oratorium colliguntur, ille in monte Oliueti stans in eo loco unde Saluator assumptus est, psallendo & orando pernoctare consueuerat, & siue sub nimbis, siue sub pluuijs, seu pruinis, ĩmobilis permanebat. Qui posteaq̃ hoc modo solitum tempus impleβet, signo mallei quo fratres cæteros excitabat percutiens, fores omnium cellularũ, ad propria oratoria deducebat. In quibus cũ unoquoque eorum unum uel alterum in 5 antiphona psalmum canens, totidemq; cum singulis preces fundens, sic ante lucẽ adhuc reuertebatur ad cellam suam. Quem fratres (uere enim sub deo loquar) spoliatum uestibus suis sæpius aquã distillantibus, alijs induebant, donec illæ siccarentur. Si ergo paulis per somno refectus usq; ad horã tertiam, iterum psalmos canens, uenire ad alterius diei uesperam nitebatur.

3 *Semper ieiunium Quadragesimale solennius cæteris ieiunijs fuit.*

4 *Habes hic nocturnas & diurnas horas, habes lõgas in oratione uigilias, habes cantũ & psalmodiam cõtra nostros Nouatores.*

5 *Ecce uetustißimum Antiphonarũ usum.*

Hæc Adolij Tarsensis uirtus fuit. Quiq; Hyerosolimã consumatis patientiæ moribus, uixit, & ultimo ibidem fine defecit.

VITA INNOCENTII PRESBYTERI, per Palladium Episcopum scripta.

Habetũr ubi supra. Cap. 31.

DE beatissimo Innocentio, qui in ea quæ est ad oliuam ecclesiam presbyter fuit, à multis quidem & magnis audisti, nihilominus tamen etiam à nobis, qui cum eo annis tribus uiximus, pauca cognosces. Nam quicquid aliorũ oculos latuit, nobis non potuit occultari. 26.

Hic ergo simplicissimus omnium fuit, qui cum sub Imperatore Constantio, in principijs eius Imperij in magnorũ uirorũ ordine militasset, quiq; cum usque ad illud tẽpus cum propria uxore uixisset, habuissetq; filium nomine Paulum domesticum militantem; ad postremũ renunciauit secularibus rebus. Maledixit autem proprio filio pater, eo quod 1 presbyteri alicuius filiam corrũpisset, deprecatusq; est dominum dicens: Da illi domine spiritum talem, ut nullum unq̃ ad peccandũ in carne sua, tempus inueniat, rectius fore credens: Si cum atrocitate dæmonis, q̃ cum corporeæ uoluptatis impuritate certaret. Quod quidem ita ut dixit: Factum est. Nam & usque in præsentem diem Paulus ipse ferreis cathenis uinctus, in eo qui est Olineti monte consistit, & ab ĩmundo spiritu pro criminis sui correptione cruciatur.

1 *Filiam presbyteri ut supra intellige.*

Hic ipse Innocentius q̃ misericors fuerit, si ueraciter referre uoluero, delirare me in quibusdam forsitan, pro eius simplicitate quis iudicabit. Nam frequenter eum surripuisse suis fratribus cibos, & egentibus dedisse cognoui. In ĩmensum enim modum simplex erat, neque quicquam

mali cor ipsius norat. Vnde diuinam quoque hic gratiam contra dæmones meruit.

Ad quē cum aliquando uidentibus nobis, iuuenis quidam fuisset exhibitus, quem spiritus immundus impleuerat, & omnibus totum soluerat membris. In tantum, ut ego uidens eum eminus talem, neque ambigens non posse curari, matrem eius qui uidebatur exhibitus, aliosq; qui eum deduxerant, propelli iuberem. Euenit autē inter hæc, ut superueniret senex, ac stantem & cum lamentatione deflentem, propter tam inenarrabilem filij morbum matrem uideret. Victus ergo continuo, uir ille uenerabilis lachrymis eius, ex affectu sancti cordis ingemuit, iuuenemq; apprahendit manu, & intra oratorium suum, quod ipse construxerat, & in quo reliquias sancti Ioannis Baptistæ collocauerat duxit, atque illic 2 orationem pro eo faciens à tertia nonam usque horam diei, incolumē eū ipso die reddidit, purgatum demone, atque constrictum omnibus membris; quæ usque adeo fuerant dissoluta, ut quoties infelix puer uoluisset expuere, in tergum sputa iactaret, ita eum distorserat dæmon.

2 A tertia nonam ūsq; horam orationem fundens Innocentius, iuuenem à Dæmonio obsessum curauit.

Anicula quædam adijt memoratum uirum, quærens ouem quam se perdidisse deflebat. Dicebat ergo ei: Ostende mihi ipsum, in quo perdidisti locum. Quē mulier cum ad illa quibus Lazarion nomen est deduxisset loca; stetit illic, & instanter 3 orauit. Iuuenes autē qui furati ouē fuerant, iam etiam occiderant eam. Dū igitur precem fundit, nullo penitus confitente, carnibus autē ipsius pecoris intra uineam quæ adiacebat abstrusis, subito supra ipsas uolitans coruus stetit, partemq; inde auferens carnis, rursus abscessit. Quo uiso, ille uenerabilis senex, furtū quod celabatur inuenit. A quibus postea precium, quod iustū uidebatur exactum est, & mulieri restitutum.

3 Orādo etiam furtūm inuenit.

VITA PHILOROMI PRESBYTERI, PER eundem Palladium Episcopum scripta.

Habetur in libro qui uulgo dicitur Paradisus Heraclidis, Ca. 31.

27.

PHiloromum nomine presbyterum quendam, in Galaciæ regione cognoui, cum quo multo etiam tempore fui. Quē uirum patientissimæ fuisse uirtutis ac perfectum per omnia monachū comprobaui; qui ex ancilla quidē matre, ab ingenuo tamē patre fuerat procreatus. Tantæ autem conuersationis & libertatis, quæ ad Christum pertinet fuit, ut etiam illi qui nobilitate generis insuperabiles uidebantur erubescerent, ac stuperent mores eius, atque uirtutes.

Hic eo tempore quo Iulianus infelix, tenebat imperium, secularibus renunciauit rebus, magnaq; idem interrogatus ab eo, cū auctoritate respondit. Quem tunc ille (caluitie eidem prius facta) iussit à pueris uerberari. Qui supplicium plagarum patientissime ferens, maximas ei gratias egit, sicut postea nobis & ipse referebat. Huic tamen inter principia 1 cum fornicatione, ac uentris uoracitate; grauissima fuit pugna; Quos

1 Vides quòd sancti uiri decertādo uiriliter fornicationem, uētris uoracitatem, & omnia uitia superabant, nec statim succūbendo cedebant ut modo faciunt qui Christianæ disciplinæ contradicere uidentur.

ille animi, & corporis morbos ita superauit uelut si quis imensum incendium ualidissimis aquis extinguat. In quadam enim se cellula clausum, ferro semper onerauit, non 2 panē factum ex tritico edere uoluit, nullum coctum ignibus cibū sumpsit. Ac tum demū in decē & octo annis, memoratis passionibus domitis, dignum tali uictoria hymnum deo cecinit, dicens. Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Cui frequens semper & uarius cum spiritibus impuris ꝑ quadraginta annos, patientissime intra unius monasterij 3 claustra degenti, conflictus fuit.

2 *Ecce quomodo quandoque sancti homines pane triticeo non sunt usi, sed crudis tantū cibis.*

3 *Aduertis quomodo etiam prisci monachi sunt usi cella perpetua, contra id quod quidā nūc garriunt.*

Hoc quoque nobis solebat idem referre, quod per triginta ac duos annos, ex nullo 4 pomorū genere gustasset. Cum autē metus illum mortis aliquando uexaret, per sex annos clausisse se intra memoriā mortuorum, ut dæmonē quem ex formidine sepulturæ terribilem sentiebat, in sepulchris habitando superaret. Libenter hunc sanctus Basilius Episcopus habuit, districtos in eo mores semper ac simplices, intentionemq; ad dominū, diligens. Qui usq; ad præsentes dies, non desinit libros propria manu scribere, etiam cum octoginta annos agat.

4 *Vide mirā abstinentiam cum ciborum delectu.*

Dicebat hoc etiam ipse beatissimus, quod ex quo accepisset lauacrū regenerationis, atque mysterij gratiam spiritualis, usque in præsentem diem, sine causa se alterius pane usum fuisse nesciret, sed quod ex laboribus proprijs, sicuti persuadere ante deum nobis solebat, ducentos solidos quinquaginta elephantioso laborātibus morbo dedisset, memoratamq; pecuniam non ex cuiusquam alterius uel leui damno, sed ex manuum suarum operibus præstitisse.

Qui pedestre iter omne conficiens, 5 Romā usque peruenit, atque in Ecclesia sancti Petri, Pauliq;, orationibus factis, rursus ad Alexandriā pedester remeauit. Vbi 6 iterum precem fudit in Basilica martyris Marci. Hierosolymæ etiam secundo fuit, pro honore sanctorum locoꝝ, proprijsq; semper sumptibus, ac pedibus martyres sanctos in omnibus sufficienter honorauit. Qui & hoc ad nostram ædificationem sæpe dicebat, non se meminisse quod unquam sensibus suis à deo fuerit separatus.

5 *Ecce quomodo sancti uiri usi sunt peregrinationibus ad uisendum loca sacra, quod quidam nunc insulsissime reprehendunt.*

6 *Simulq; cōsidera ideo etiam templa constructa, ut in eis orationes fiant.*

Hæc sunt beatissimi Philoromi certamina, quibus inuictus apparuit, & hæc sanctorum patrum immarcessibilis ei gloriæ corona donata.

VITA BEATARVM MELANIÆ, SYLVIÆ, Olympiadis, Candidæ, ac Gelasiæ, per Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

Habetur in Paradiso Heraclidis, Cap. 33.

SAncta illa, & multum beata Melania, de Hispano uel urbico genere descendens, filia quidem Marcellini cuiusdam exconsulis fuit, uxor autem cuiusdam honorabilis uiri, cuius nomen meminisse nō possum. Quæ uicesimo ac secundo ætatis suæ anno, ad uiduitatem redacta, diuinitatis amore, æterno sponso meruit copulari, usque in finem

uitæ suę diligens eum. Quæ nulli secreta animi sui prodens (prohibebatur enim inter principia Valentis Imperij, procuratore ante filio suo cõstituto) ea quę habere in mobilibus uidebatur, cũ certis pueris ac puellis in nauẽ misit. Itaq; festinans Alexandriam nauigauit. Ex qua (posteaq̃ illic omnia uendidit, & in pecunias totũ atque in aurum redegit) Nytrię attigit montem; atq; ibidem uenerabiles patres uidit Pambo beatissimũ, Asisium famulum Christi, Serapionemq́; maiorẽ Scytensem, Paphnutium, & Isidorũ confessorẽ atque Episcopum illius ciuitatis, quę uocatur Hermopolis, & sanctum Dioscorum: Apud quos in desertis locis sex mensibus tantum cõmorata, omnes qui illic erant sanctos uiros peragrauit, ac uidit.

Post hęc autem cũ Alexandrię pręfectus augustalis Isidorũ, & Pithimum, Adelphium, Paphnutium, Pambo, inter quos etiam & quendam senem Ammonium unam habentem auriculam, & duodecim Episcopos presbyterosq́;, & alios quosdam, usque ad centũ duodecim numero circa Palæstinam & diocęsaream damnasset exilio: istos hęc beatissima omnes secuta est, & proprijs facultatibus eis ministerium suum prębuit. Cunq; ab illis qui in memoratorũ custodia erant, prohiberetur hæc facere (sicut mihi & ipsi sępe referebant; nam & ego sanctum Pithimum, & Isidorũ, & Paphnutium uidi) benedicta tunc illa; sumpta ueste puerili, circa uespertinas horas, omnia eis uitæ necessaria referebat.

Quo cognito Palęstinæ prouinciæ cõsularis; credens quod sinus suos posset, fumo quodam atque terrore ex pecunia eius implere, iussit eam (ignota enim ipsis erat) corripi atque in carcerẽ trudi. Ex quo loco tunc ei per internuncios quosdam sancta illa mandauit. Ego inquit, illius filia, & illius coniunx fui, ancilla uero nunc Christi sum. Ne ergo me ob uilitatem præsentis habitus contemnendam putaueris, quia facile extollere si uelim, ipsa me possum. Nec terrere igitur me in aliquo uales, neq; quicq̃ mihi de meis rebus auferre. Atque ideo ne fortassis ignorans periculum aliquod, aut crimen incurras, iccirco ista tibi mandaui. Quasi quæ diceret, interdum enim necesse est aduersus imprudentes hæc agi, & ueluti accipitre, uel caue, contra eos arrogantia uti, quæ congruo tẽpore, superbos cõprehensura imitatur. Talibus ergo uerbis mox ipse territus iudex, excusauit eidẽ factum suũ, & ita eam ut meruerat honorauit. Et iussit ut ad illos uiros, quoties uellet, accederet. Hæc autem reuocatis ab exilio memoratis uiris, monasterium apud Hierosolymã sibi fecit, in quo uiginti & septem annorũ tempus impleuit, quinquaginta secũ sorores uirgines habens. Erat etiam cũ ea Rufinus quidam nomine, ciuis Italus ex Aquileiensi oppido, uir nobilium, & in proposito singulari satis fortium morum. Qui & ad presbyteratũ postea meruit peruenire. Quo nullus mãsuetior, fortior, & placidior tanquã omnia sciens, in sexu uirili potuit inueniri. Isti igitur in uiginti & septem annis omnes apud Hierosolymã sanctos atque peregrinos episcopos, monachos, uirginesq́; (hoc enim uo-

uerant

nerant à Deo) suscipere proprijs sumptibus ac fauore consueuerant, omnesq; ad se uenientes meliores tantarũ ac talium rerum contemplatione fecerunt. Illos etiam quadringentos numero monachos qui propter Paulinum se ab ecclesia separabant, sanctæ rursus ecclesiæ reddiderunt, omnesq; etiam præter hos, peruersæ sectæ homines, & contra spiritum sanctũ sacrilego ore certantes, ad ecclesiam nostrã uera suadendo, ac iugiter cunctos docendo reuocauerunt, honorantes quidẽ ac sæpe pascentes eiusdem loci clericos. Et hæc pariter facientes, uitam suam pio studio finierant, nulli quidẽ ex se uel leuẽ dantes scandali suspitionẽ. Totũ uero orbem terrarum spirituali ædificatione plenissimũ relinquentes.

Ecce quomodo uota etiã antiquis sanctis fuerũt in usu, et post emissionem ab illis impleta.

Vbi supra. Cap. 42.

Quantum igitur opũ illa sancta Melania disperserit, amore maximo Dei, ueluti flamma ignis accensa, meũ non est referre, sed illorũ quoque qui in Persidis regionibus uiuunt. Cuius memorabilia in bonis facta, oẽs cœli quatuor plagæ norunt, atque senserunt. Per triginta enim atque septem annos suscipiens ac pascens semper miseros aduenasq;, proprijs sumptibus alimenta ac necessaria omnia ministrauit Ecclesijs, monasterijs, carceribus, atque peregrinis. Cui parentes quoq; eius, ac filij procuratores ipsius, ex facultatibus proprijs multa præbebant. Quæ in tantum atq; ita iugiter in suscipiendo omnes ac fouendo permansit: ut ne unius quidẽ in solo palmæ spacium uoluerit possidere. Vt nunq̃ sic unici desiderio filij & amore caperetur, ut aliquando à dilectione Christi posset auelli. Cuius orationibus magnis atque perpetuis, & ipse ille iuuenis eruditione laudabili, moribus bonis, & secularibus quoq; honoribus creuit, peruenitq; ad nobilium matrimonium nuptiarum, ex quo & filios suscepit duos.

Post multũ uero tẽporis cum audisset cuidam nupsisse neptem suam Melaniam uiro, renunciare autẽ post nuptias seculo huic uelle cognouisset, metuens ne qui malę uitę homines ac malę sectę, peruersęq; doctrinę, eidem iungerentur, ob hoc ipsum cũ iam admodũ senex, hoc est sexaginta esset annorũ, de Cæsariensium ciuitate ad urbẽ Romã, intra dierũ uiginti spacium nauigauit, atque illic propter quos uenerat uisis, benedictum illum quidẽ neptis suæ maritum Pimanum nomine, honestum ac nobilem uirum, paganũ tamen instantissime docuit, & Christianũ protinus fecit, cui persuadere spiritualiter potuit, ut etiam à concubitu propriæ se coniugis abstineret.

Confirmatos hos ergo simul, hoc est Melaniam neptem suam, & Pimanũ eius maritum, Albinam quoque cũ ipsis nurũ suam, hoc est uxorẽ filij sui, per omnia docuit. Itaque istis omnibus suasit, ut rebus quascunq; habebant in urbe distractis, ad castum, atq; tranquillum uitę portũ uenirent. Contra omnes autẽ alios Romani nominis uiros atque matronas, ueluti cõtra feras aliquas quotidie dimicabat. Prohibebant enim illi eam ab omnibus cęteris, uerentes ne & alios ad tale propositum doctrinæ suæ sermone conuerteret. Illa autem ipsis ista dicebat. Scriptum est ante qua-

dringentos numero annos; quia hora iam uenit extrema. Quid ergo tā libenter moramini in uanitate istius uitę? Timere debetis ne Antichristi tempus adueniat: neque uobis diuitijs uestris, ac parentū bonis frui iam liceat. Et hos igitur omnes secularibus laqueis liberatos, ad solitudinum uitā fecit uenire. Filium quoque admodū iuuenē, consilio docuit ut uolebat, & ad Siciliam usque perduxit. Omnibusq; rebus suis ibi distractis, atque auro de prædiorū annumeratione collecto, Hierosolymam usque transuexit. Vbi omnibus suis opibus ex propria uoluntate diuisis, intra quadraginta dies, optima ac mansuetissima fœminarū, beato fine requieuit, relicto apud Hierosolymam monasterio sufficientibusq; ei sumptibus deputatis.

Vbi uero omnes isti abscesserunt e Roma, tempestas quędam ac procella, barbarica oppressio ipsam urbē repente, & usque adeo omnia eius inuasit ac rapuit, ut ne ęs quidem quod in publico stare consueuerat reliquerit. Ita cuncta hostilis impetus prædæ euertit ac perdidit, ut illa Roma quę in mille & ducentis annis aucta semper fuerat, ac semper ornata, una subito quędam ruina ac solitudo maxima uideretur. Tunc igitur & illi qui saluberrimæ doctrinæ obtemperauerant, lætabantur, quod intolerandis malis, quorū mater est semper obsidio, substracti fuissent. Et illi quidē qui obedire noluerunt, stupuerunt uirtutē & gloriam dei, qui tali permutatione rerum, credere persuasit incredulis, quia omnibus alijs, sub captiuitatis iugum missis, memoratæ solæ euaserunt, atque seruatæ sunt domus, quæ studio sanctæ Melaniæ tanquā sacrificium illud (quod holocaustoma uocant) à Deo fuerant reseruatæ, cæteris in urbe qui corꝫ aduersabantur saluti, sera pœnitentia, infructuosaq; conclusis.

Euenit autem ut postea simul ad Ægyptum ex Helia proficiscerentur, sanctam Siluiam deducentes uirginem Dei, Rufini autem ex præfecti sororem. Erat etiam nobiscū Iouinius tunc diaconus, nunc uero ciuitatis Ascolenensium episcopus, uir admodū sanctus & amator, & lector studiosissimus literarum. Cum ergo in itinere, nos æstus uehementissimus occupasset, & Pelusium oppidum fuissemus ingressi, sanctus Iouinius æstu nimio fatigatus, cęperat manus ac pedes proprios, frigidissimę aquæ refouere infusione. Quo ita ut desiderauerat facto, super pellitam se atque in solo stratam proiecerat plumam. Ad quem sancta illa Siluia ueluti filium uerū, sapiens mater accessit, & mollitiem ipsius deliciasq; reprehendens, ista dicebat: Quemadmodū ausus es, hanc ætatem agens, in qua adhuc sanguis tuus uiuit, sic curare ac fouere corpus tuum? non intelligis, quæ ex hoc nasci soleant animæ læsiones? Crede igitur mihi confidenter loquenti, quod sexagesimum ipsa æui annum agens, excepta summitate digitorum meorum, non ora, non pedes, non partem aliquam membrorum aqua laui, & hoc cum uarijs semper ægritudinibus laborarem, & ab ipsis quoque cogerer medicis uti lauacro, nunquam tamen uolui antiquum corporis mei morem palpare, non in lecto quieui,

non in lectica recumbens iter feci.

Hæc ipsa eloquentissima fuit, magnumq; amorem habuit literarum, ita ut legendo, noctes in dies uerteret, omnes antiquorũ interpretum libros notissimos habens. Inter quos tricies centena milia uersuum legendo transierat: Gregorij, Pierij quoque & Stephani, Basilijq; & aliorum studiosissimorum uirorum uicies centena milia. Quæ tamen non quasi perfunctorie transcurrebat, sed unumquenque septies auctorem reuoluens. Vnde mendacij scientia nominum atque sectarum penitus liberata, cœlestibus pennis per gratiam literarum ad æternam spene Saluatoris, gallina spiritualis effecta, potuit euolare, ĩmortales ab eo uicissitudines receptura.

Huius uestigia subsecuta Olympias nomine, castissimis moribus fœmina, ac Dei amore flagrantibus, proposito eius exhibuit parem uitam, in omnibus diuinarum sequens scripturarum consilium. Quæ Seleucij quidẽ excomitis secundum carnem filia fuit, neptis uero Abladij præfecti, nurus autem paucis tantum diebus Hebridij, qui præfectus Constantinopolitanæ urbis fuit, sed uxor omnino nullius. Dicunt enim eam 2 uirginem esse defunctam, uerbi ueritatis magis coniugio gloriantem. Quæ omnes facultates suas in pauperes fratres dispersit, atque diuisit. Cui non paruum fuit semper pro ueritatis assertione certamen. Multas etiam alias fœminas docuit; multos ut oportebat presbyteros atque Episcopos honorauit. Ad confessorum quoque palmam, pro ueritate q̃ coluit, meruit peruenire. Cuius nomen ac uitam in Constantinopolitana urbe degentes, ipsis ut dixi, student confessoribus comparare. Nam talis in hoc mundo finis quoq; ipsius fuit, omnibus ad postremũ periculis se propter nomen Dei opposuit.

Cap. 43.

2 Vides tot Virgines? Non ergo impossibile seruare Virginitatẽ, sed modo uelis, cum dei adiutorio omnia facere potes.

Quam rursus secuta est similis moribus uitæ, beata mulier nomine candida, Traiani magistri militum filia, magna Christiani nominis & cultrix egregia, & castitatis cõuersatione laudabilis, ecclesias sanctas atq; episcopos colens. Quæ filiam quidem propriam, doctrinæ suæ uirginitatis ordine copulatam præmisit ad Christum, ut maximũ donũ laterũ suorũ, atq; uirtutum. Post modũ uero consumato castitatis ac sanctitatis officio, bonis omnibus, rebusq; suis competenti distributione dispersis, & ipsa suam filiam subsecuta est.

Cap. 44.

Hanc ergo laborantem noctibus ac proprijs manibus molentẽ, semper ad infringendas uires corporis sui noueram, atque hoc referentem sæpius audiebam: Quia 3 cum ieiunium ei solum sufficere non posset, etiam laboriosas sibi uigilias addidisset, quæ aduersum incorporeas potestates unà cum ieiunio dimicarent, quo superbiam mentis, tumoremque deponeret. Hæc ipsa ab 4 omni animalium carne semper abstinuit. Piscem autem & olera cum oleo, festis autem ac sanctis diebus sumere solens; per reliquum æui sui tempus postea & sicco pane contenta uiuebat.

3 Ecce quomodo ieiunijs uigilijs & laboribus sancti carnem lasciuientem domabant, ac spiritui seruire compellebant.

4 Vide ciborum delectum & à carnibus abstinentiam.

Cuius deinceps imitata est uestigia Gelasia nomine castissima mulier, quæ sensibus pijs ad iugum uirginitatis accessit. Tribuni autem cuiusdam filia fuit. Huius & optimæ fœminæ memorabilis uirtus refertur, quod nunquam iracundiam ipsius uiderit solis occasus, siue contra seruum, siue contra ancillam, siue contra quenque alium fuisset irata. Fugiebat enim hæc beatissima memoriã malitiæ, sciens quod iter eius ad æternam mortem perduceret.

Habetũr in libro ubi supra. Cap. 34.

VITA CHROMI PRESBYTERI, ET Iacob Monachi, per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

29.

CHromus quidã nomine, oriundus ex uico, cui phenesis uocabulũ est, quiq; desertis est proximus locis quindecim milibus passuum, dextro pede numerans à proprio uico usq; ad certum desertorũ emensus est finem. Vbi facta oratione, puteũ effodit sibi, in quo optimæ aquæ repperit uenam, septem tantũmodo (quas orgias uocant) ad putei ima descendens. Circa quem & cellulam sibi paruulam fecit.

Ex quo die in eadem mansione se constituit, summis Deum precibus orauit, ne ad ea quæ ab hominibus habitantur loca ulterius accederet. Post paucos autẽ annos, meruit presbyter fieri. Habuitq; secũ collectos ex diuersis fratribus, usque ad ducentos numero uiros.

Magnã uero hanc ipsius dicunt fuisse uirtutẽ, quod per sexaginta annos altari seruiens Dei, ac fungens officio sacerdotis, nunquã de solitudinibus egressus est, nec nisi proprio opere ac sudore q̃situm, attigit panẽ.

Cap. 35.

Iacob etiam nomine, aliquis cui Clodus nomen acceperat ex uicinis eidẽ coniunctus est locis, unaq; ambobus uita pfecta in monasterio erat. Vtrosq; autẽ benedictus Antonius norat.

Quodã igitur die, cũ sanctus quoq; Paphnutius quem cephalam cognominabant, unà cũ ipsis degeret, uir magnã Dei dono scientiam scripturarũ habens, qui tam uetus testamentũ omne quã nouũ interpretari solebat, cũ tamen ipse nihil de scripturis sanctis aliquando legisset. Adeo autẽ erat mitis & placidus, ut propheticã quoque posset mansuetudine uitæ superare uirtutẽ. De quo tale refertur præconium: quod per octoginta annos nunquã habuerit duas simul tunicas.

Hos igitur cũ ego, & sancti diacones Euagrius & Albinus uidissemus simul, quærebamus ex ipsis scire cupientes quæ esset causa, quæ nonnullos fratres errare faceret, interdum & peccatũ aliquod incurrere, aut penitus a recti itineris proposito deuiare. Acciderat enim illis ipsis diebus ut Cheremon nomine monachus, residens in cathedra sua repente moreretur, defunctumq; in ea ipsum atque in manibus opus quod faciebat tenentẽ, subito alij fratres uiderent. Euenerat etiam ut unus ex fratribus dũ puteum conatur effodere, terræ molis aggere obrutus interiret. Vtq; alter

ter

ter quoque de Scytensibus locis ueniens, in ipso itinere cũ sitim non posset ferre, deficeret. Inter quos eo ipso tẽpore, & Stephanus quidã relicto monasterio fratrum, libidinis causa ad secularem descenderat uitã. Et de Eocapio, & de Nerone Alexandrino, & Palestino Valente, & de Ptholemeo Ægyptio qui in Scytensibus degebat locis, quæcunq; ipsis aduersa prouenerant, referebãtur. Propter quæ omnia sanctos illos precabamur uiros, ut nobis causas earũ exponerent rerũ, quæ tam probabilis uitæ in desertis degentes, aut mente mutari, aut ad turpia ac libidinosa trãsferri, aut quibuscunq; alijs modis decipi, uel perire compellerent.

Illi uero nobis huiusmodi dedere responsum, pariterq; cũ illis etiam ipse Paphnutius, in quo maxima omniũ rerũ scientia erat, quod omnia quæcunque in hoc seculo fiunt, dupliciter diuiduntur in uoluntatem, & in permissionem Dei. Quæcunque igitur ex animi uirtute procedunt, & ad Dei gloriam fiunt; ex Dei uoluntate proueniunt. Quæ autem periculosa sentimus atq; damnosa in quibus aut peruersitatem aliquam deprehendimus, aut ruinã; hæc rursus permissione Dei fiunt. Permissio autem ipsa ex ratione descendit, id est ex peccato aliquo, uel infidelitate surrepente paulatim. Non potest enim fieri, ut is cuius sapientia probatur & uita, in peccatum alicuius turpitudinis ruat, aut dæmonum dolis in laqueos præcipitetur erroris. Cap. 36.

Quicunq; igitur corrupto mentis proposito, quicunq; temeraria uoluntate a tramite uirtutis exorbitant, illi facile peccare consueuerunt. Deseruntur enim diuinitatis auxilio, ne possint intelligere profutura. Vt cũ se a Deo intellexerint derelictos, casumq; peruersæ mutationis agnouerint; incipiant uel propositũ suũ, uel factũ emendare. Interdũ autẽ actus ipse noster, in ipso crimine est, quando non ex recto proposito, nec ex eo quo conuenit more, a nobis aliquid perpetratur. Quod nouimus frequẽter accidere. Vt si is qui turpiter uiuit, flagitioso animi proposito circa iuuenem puellam misericors esse uideatur, propter finẽ quidem ipsius rei turpẽ, sed per actum rationabilem qui quasi puellæ ac desolatę defensionem sui præbere demonstret. Euenit rursus ut & proposito quispiam recto, misericordiam quidẽ ægroto impendat, aut seni, & ex diuite se pauperem faciat, parca tamen manu, & cũ mœrore quodam mentis inuitæ, ut rectum quidem uideatur esse propositum actus autem ipse indignus suo proposito iudicetur. Oportet enim misericordem cum lætitia, & cũ largitate misereri.

Præterea memorati uiri, prærogatiuas quasdam in sensibus plurimorum esse dicebant. Quorundã enim faciles ad uirtutem & acutas animas prædicabant habere, optimos mores proposito institutisq; monachorũ. Sed quando aliquid nõ fit propter idipsum quod nouimus bonũ, neque factum, neque ingenium mentis humanæ, neque illæ ipsæ prærogatiuæ quæ infixę sunt mentibus plurimorũ, imputantur datori bonorũ omniũ Deo, sed magis totũ ascribitur uoluntati propriæ potestatis. Tunc cũ ne-

cessario relicti à Deo fuerint, incidunt in turpitudinẽ aliquã, in qua erubescenda multa uel patiuntur, uel faciunt per eum ipsum, qui in his turpis uitæ actu lapsus cecidit. Cumq; paulatim sobrietate mentis admoniti, ab eo animi tumore discedunt, quã putabant magnã aliquã esse uirtutem (donatore cognito) damnare coguntur.

Quoniam uero ille qui arrogantia eloquentiæ suę & ingenio, uel acumine mentis inflatus est, non ascribit ante omnia originẽ atque fomenta ipsorũ bonorũ Deo, quæ ex ipsius tantũ fonte descẽdunt, sed sui hoc esse existimant studij, suæq; naturæ remouet tunc ab ipso prouidentiæ suæ angelum Deus. A quo cum fuerit destitutus, ille qui ex alienis sibi donis placens cęperat superbire, a dæmone inimico suo expugnatur ac uincitur, & aliquod turpitudinis crimen incurrit. Ex quo irrationabilium animalium uel canum more, usque ad diabolicã illam persuasionem quæ superbia est, insaniendo descendit. Illo enim semel castæ ac probabilis uitæ teste sublato: quodcunq; hi tales & qualecunq; iam dixerit, nec credi ab aliquo, nec suscipi potest. Nam quicunq; sancti, differentes eos audire cõsueuerant, incipiunt ipsos fugere, execrantes flagitiosi animi morisq; doctrinam, uelut fontem qui sanguisugis plenus est, licet quisquã sitiens, tamen uitare cogatur, ut sermo diuinarum scripturarum probetur, hoc dicens: Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Et uere similes esse peccantium mentes, pollutis fontibus putes. Nam uoracitati atque ebrietati studentes, cęnosis locis cõparantur. Pecunię cupidi uel rapaces, ijs quos impleuerunt ranæ. Illi uero qui sunt inuidi uel superbi, habentes in se aliquã tamen scientię peritiæq; notitiam, pares ijs fontibus iudicantur, qui serpẽtes inter latices suos nutriunt. Quibus semper quidem sermo facundus ut utilis humor exuberat, sed a nullo tamen possunt libenter hauriri, propter suorũ amaritudinẽ morum. Vnde sanctus Dauid hæc tria sibi dari a Deo dona postulabat; bonitatem & disciplinã & scientiam. Sine enim bonitate, & disciplina & scientia, nimis inutilis est. Et siquidẽ iste qui talis est, se emendare festinet, relicta ea causa, ob quã deseruit eum Deus (superbiam loquor) uolueritq; mensurã sui cognoscere, ut iam de reliquo, neque contra alios se ut melior, aut maior extollat, sed Deo semper gratias agat, rursus ad eum profecto remeabit. Scientia nisi cũ honestis moribus uitæ, castisq; concordet, illis erit similis spicis, quæ uentorum corruptione uiciatæ speciem tantũmodo spicarũ gerunt, non tamen habent ea quæ possunt hominẽ iuuare uel pascere.

Omnis igitur lapsus hominis, qui uel linguæ, uel sensus uitio procreatur, quicq; ex uniuscuiusq; actibus, uel ex omni corporis nostri parte descendit usq; ad superbiæ magnitudinẽ, ex eo semper accidere solet, quia Dei fauore nudamur. Qui tamen hoc ideo facit, ut parcat magis ijs hominibus quos relinquit. Nam si cũ damnabili illa (quã in se habent) morum peruersitate, ingenijs quoque eorũ eloquentiæ fomenta suppeditas-

ſent,quaſi teſtimonio quodam ſuo animaret eos dominus; ſine dubitatione perfecti dæmones fierent, cũ intelligerent ſe uitæ ſordibus inquinatos ad ſublimia conſcendere.

Hęc quoq; nobis cõmemorati dicebant ſanctiſsimi atque optimi uiri; quando aliquẽ uideritis peſsimæ quidẽ uitæ, eloquentiæ tamen magnæ, dæmonis illius meminiſſe debetis,quẽ cũ Chriſto loquentem legimus in ſcripturis ſanctis. Recordari etiam uos oportet & illius loci in quo nouimus ſcriptũ:ſerpens autẽ ſapientiſsimus ferarum omnium in terris erat, cui illa ſapientia obfuit:quia nullum in ſe habuit alterius uirtutis auxiliũ. Oportet enim bonũ ac prudentẽ uirum,ſapere quidem illa quæ ei Deus dederit,loqui autem illa quæ ſapit, 1 & illa facere quæ loquitur.Nam ſi non occurrat eloquentiæ ueritas cũ uirtutibus uitæ, moribusq́; honeſtis, panis profecto ſine ſalibus, fatuus eſſe uidebitur. Qui manducari iuxta Iob dicta,nõ puterit,aut mortis cauſa ijs qui eũ comederint,erit. Si enim panis ſine ſalibus edi poteſt:potent eſſe & aliquis bonus guſtus in ſermonibus uanis,& qui non bonorũ actuum teſtimonio roborentur.

1 *Vides quod ſemper cum doctrina concurrere uirtus uitæ? & morum honeſtas? Nã ualidiora ſunt exẽpla quam uerba, & plenius eſt opere docere quam uoce.*

Diuerſis autẽ modis famulos interdum ſuos deſerit Deus; aliquando enim hunc propter alicuius occultam uirtutem,ut cæteris reuelari poſsit ac prodi,ueluti in ſancto illo athleta Iob,cuius Deus ſecreta manifeſtans, iſta dicebat:Noli mecũ recuſare iudicium,neq; ob aliam cauſam putaueris me tibi hęc dediſſe reſponſa,niſi ut iuſtus omnibus demõſtreris. Mihi quidẽ cui nihil poteſt eſſe cęlatum, notus admodum eras, ſed quia alij te homines neſciebant,qui me propter diuitias (quas acceperas) a te exiſtimabant coli:Iccirco huiuſmodi tentationem ad te uenire permiſi,iccirco omnes opes tuas abſtuli,ut oſtenderem cũctis ſapientiam tuã,quæ etiam in illo ſtatu poſſet gratias actitare.

Alio iterũ modo relinquere homines uidetur Deus: quando eos a ſuperbiæ malo auertere cupit. Quod in ſancto nouimus Paulo. Nam & Paulus tunc a Deo putabatur relictus,cũ tot ac tantis opprimebatur undique colaphis,tamq; diuerſis quas ſcriptura ſancta numerat tribulationibus fatigabatur (datus eſt mihi inquit,uelut angelus Sathanæ qui me colaphizet ut non extollar) ne forte ſi cũ his quæ per diuinã gratiam miranda faciebat,aliquam habuiſſet quietẽ,aut abundantiam rerũ,cum illo tanto honore, quantus illi ab hominibus deferebatur, diabolus eum palpatum pluribus bonis, atque reſolutum, ſuperbia quadam noui tumoris extolleret.

Relictus eſt a Deo quondam paralyticus & ille propter propria delicta,cui dixit Ieſus:Ecce factus es ſanus,noli amplius peccare,ne quid tibi deterius fiat.

Iudas quoque relictus eſt,qui uerbo Dei præpoſuit argentũ, ob quod laqueo ſe ſuſpendit & perijt.Relictus eſt & Eſau,& peccati crimen incurrit. Inteſtinorum enim maluit ſordes,quã benedictiones paternas. Quæ omnia cogitans ſpiritu ſancto plenus beatiſsimus Paulus, dicebat de tali-

bus qui deſeruntur a Deo, & ſicut non probauerunt in notitiam habere, tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum, ut faciant ea quę non conueniunt. De alijs autē quibuſdam qui putant diuinā habere notitiam, ſed qui corrupte & ſuperbæ eſſent mentis, ſic dixit: Quoniā cũ cognouiſſent Deũ, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorũ. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, elationis atque tumoris dæmonis copulati. Vnde ſequitur: Propter quod tradidit illos Deus in paſsiones ignominię, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Iccirco hoc intelligere nos oportet, non poſſe eſſe ut quis peccati grandis alicuius crimen incurrat, niſi ante, eum diuina prouidentia pro malis moribus derelinquat.

Habetur in libro qui uulgo Paradiſus Heraclidis dicitur, ca. 37.

VITA ABBATIS ELPIDII ET SISINNII eius diſcipuli, per Palladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

3o ELpidius quidam fuit de Cappadocia genus ducens, qui poſtea & ad presbyteratus honorē meruit peruenire. Erat autē de monaſterio Timothei Cappadocis cuiuſdam coepiſcopi, uiri admodum magni. Qui Elpidius in una de memoratis ſpelũcis habitaculũ ſibi fecit.

1 *Habes hic abſtinentiam, uigilias, orationem, & pſalmodiam.*

Tantum autem 1 abſtinentię ſtudium in ſe eſſe monſtrauit, ut uinceret cunctos. Per uiginti enim & quinque quos uixit annos, ſolo dominici, ac ſabbati die ſumebat cibũ, & per noctes totas ſtando & orādo pſallebat. Quē ſicuti apes regem ſuũ, ita innumera multitudo fratrũ ſequuta, fecit quandā uideri in ſpeluncis ipſis ac ſolitudinibus ciuitatē. Erat autem maxima uoluptatis, ſtupendam uitæ uarietatem, & conuerſationis eorũ cognoſcere. Hunc ipſum Elpidium ueræ ſpei gloria gratulantē, & propter Chriſtum tribulationum pericula ſuſtinentem, cum quadam pſalleret 2 nocte nobiſcum, ſcorpio uulnerauit, quo ille calcato, nec ſtando quidem in quo fuerat mutauit ſpacium. Ita eum quē ipſius Scorpionis intulerat, contempſit dolorem.

2 *Cum quadam pſalleret nocte nobiſcum.*

Quodam autē die cũ unus ex fratribus exiguā partē ſarmenti ex arida uite teneret, accipiens illam a fratre, dum in ſummitate mōtis ſederet, uelut plantans eam infodit ſolo, & certe cũ tempus plantationis omnino nō eſſet. Quod ita in īmenſum creuit modũ, & tam magna exinde uitis effecta eſt, ut ſe ad ſuperiora diffundens, totius eccleſię tecta cooperiret.

Erat etiam cũ hoc athleta Chriſti Enneſius uir magnus & honeſtus, ac frater eius Euſtatius, quibus una uita continentiæ, atque eadē conſumatio fuit in Chriſto. Vſque adeo autē memoratus Elpidius nullis animi uel corporis paſsionibus ſubiacebat, proprijs mēbris uario 3 abſtinētiæ labore conſumptis, ut ſolis inſtar oſsium eius iunctura luceret.

3 *O miram ſancti uiri abſtinentiam.*

A quibuſdam autē ſtudioſis eius diſcipulis, talis fertur relatio, quod p uiginti & quinque annos nunquā ſe ad occidentem conuerterit (& ſanę

ſpeluncę oſtio mons in altum editus īminebat) & quod poſt ſextā quoq; horā a medio mundi uertice in partes occiduas declinantē nunq̄; uiderit ſolem, neq; ab occidente ſurgentes conſpexerit ſtellas. Qui ex quo memoratam ſpeluncam ingreſſus eſt, 4 nunquā de eius monte deſcendit donec corpus eius ſepultum eſt.

4 *Nonne uidetur tibi quod priſci monachis uſi fuerint ſeceſsione & cella perpetua?*

Huius Elpidĳ Siſinnius nomine diſcipulus quidam fuit in Cappadocia natus, ex ſeruili quidē origine genus ducens, ſed habens in Deo fiduciæ libertatē. Debemus enim humillimū etiam genus quorundam conſcribere, ut maior gloria ingenuitatis appareat quæ donatur a Chriſto, p̄ quā ad uerā atq; cœleſtem nobilitatē, libertatemq́; reuocatur. Itaque cū apud magiſtrum ſuū per ſex uel ſeptē annos fuiſſet, ad poſtremum intra ſepulchrum ſe clauſerat quoddam, in quo triennĳ tempus ſtans ſemper orabat. Vbi non nocte, non die, aut deambulauit, aut ſedit, aut iacuit. Quiq; gratiam quoq; contra dęmones meruit ſpiritualem. Nunc autem regreſſus ad patriam presbyter factus eſt, collegitq; in unū fratres, pariter ac ſorores. Qui adeo ſine ullo uitio mētis & corporis uixit, ut nullam generis eſſe diſtantiam inter mares ac fœminas cōprobaret, ut ſcripturę ſanctæ illud impleretur. In Chriſto enim Ieſu neq; maſculus neq; fęmina ſumus. Eſt autē & peregrinis hoſpitalis omnibus, & certe cum ſit cognitum ſatis, nihil eum penitus poſsidere. Ad eorum opprobrium atque ſupplicium; qui cū ſint diuites, nihil unquā egentibus largiuntur.

VITA GADDANI SERVI DEI, PER Palladium Cappadociæ Epiſcopum ſcripta.

Habetur in libro eodem, cap. 38.

NOui ego Palęſtinæ quendam Gaddanum nomine ſenem, qui ſine tecto ſemper circa loca Iordanis fluminis uixit. Contra quem aliqui Iudæorꝫ inuidiæ furore præcipites, dum ille in regionibus mortui maris degit, armati gladio aliquādo uenerunt, & cū unus ex ipſis eundem ferire uoluiſſet, tale miraculum Deus fecit, ut dextera eius quā erexerat percuſſurus, areſceret, gladiusq́; ex illius digitis, a quo tenebatur excideret.

VITA HELIÆ MONACHI, PER PALladium Epiſcopum Cappadociæ ſcripta.

Habetur in libro eodem, cap. 39.

HElias quidam nomine, monachus, in illis ipſis locis intra ſpeluncā ſolitus uiuere, uir caſtigatorū ad perfectam regulam morū, hoſpitalis, & charitate pleniſsimus, cū quadam die quorundam ad eum fratrum multitudo ueniſſet (nam publicus illinc tranſitus erat) ſubito ei defuit panis. Qui propria nobis fideliter relatione narrauit, quod cū admodum triſtis eſſe cępiſſet, ingreſſusq́; eſſet ſpeluncā ſuam, tres illic panes magnos atque recentes ſubito repperit. Ex quibus uiginti ſimul fra-

tres, usq; ad satietatem refecti sunt. Vnum autẽ ex ipsis panẽ superesse, eumq́; postea ꝑ uiginti & quinq; dies uictui suo suffecisse memorabat.

Habetur ut supra cap. 40.

VITA SABÆ SERVI DEI, PER PALLADIUM Cappadociæ Episcopum scripta.

33 SAbas quidam nomine, Hiericontinus genere, secularis uir, & uxorem habens, intantum omnes monachos diligebat, ut per deserta omnium cellas, noctibus circuiret, & ante singulas quasq; poneret mansiones, modios singulos dactylorum, tantum & olerum, quantũ putaret posse sufficere, eo quod usum 1 panis nesciunt ij monachi qui in Iordanis regionibus uiuunt. In quem Leo quadam die impetum fecit, quemq́; intra unum lapidem cõsequutus corripuit atq; deiecit, & asinũ tantummodo eius auertit ac rapuit.

1 Ij monachi qui in Iordanis regionibus uiuunt, usum panis nesciunt.

Habetur ut supra cap. 41.

VITA HABRAMII MONACHI, PER Palladium Episcopum Cappadociæ scripta.

34 HAbramius quidam nomine fuit, Ægyptius genere, quis satis duram atque asperam uitam in desertis locis habuit. Qui cũ aliquo tẽpore ex una quadam præsumptione, mente captus fuisset, ad ecclesiam uenit, & iurgari cum presbyteris cępit, hæc dicens: Presbyter à Christo factus sum ista nocte, & suscepit me diuina sacra facientem. Quẽ postea patres sancti a solitudinibus separatũ, traditumq́; seculari, atq; cõmuni conuersationi hominũ, reduxerunt ad pristinam animi sospitatem, curatumq́;, atque omni superbia liberatum, per quã illum dæmon illuserat ad agnitionem humilitatis propriæ, infirmitatisq́; reuocauerunt.

Habetur in libro qui uulgo Paradisus Heraclidis dicitur, Capi. 41.

VITA SALOMONIS, DOROTHEI, DIOCLIS, Capitonis, Amatæ, & Taor monachorum & monialium Antinoensium, per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

35 IN Anthino Thebaidis Prouinciæ ciuitate, quatuor annis iugiter fui, per quod omne tempus monasteria illic uniuersa cognoui. Habitant autem mille & ducenti uiri probatissimi in memoratæ territorio ciuitatis, suarum se manuũ sudore pascentes. Ex quibus multi (quos anachoretas uocant) ad rupium & solitudinũ se speluncas contulerat.

Inter quos Salomon nomine, monachus castissimus atque mitissimus fuit, qui gratia diuinitatis acceperat patientiam singularem. Quique se quinquagesimũ in spelunca sua annum habere dicebat, manibus semper suis uictui suo sufficientissime subministrans.

Cap. 46. Dorotheus quidam presbyter in spelunca alia degens ĩmensę bonita-

tis fuit,& irreprehensibilem ipse uitã peregit. Qui eo (quod meruerat) sacerdotis officiũ,omnibus illic 1 sancta mysteria fratribus ministrabat.

1 *Sancta mysteria appellat Missam & sacratissimam Eucharistiam.*

Huic quondam iunior illa Melania maioris Melaniæ neptis,de qua in sequentibus dicam: Quingentos numero transmiserat solidos,rogans ut fratribus illic degentibus eos ipse diuideret.Ex quibus ipse tres tantũmodo tulit; reliquos Diocli cuidam solitario monacho iussit dari uiro, omnium scientia rerũ prædito. Quẽ longe ille sapientiorem se esse dicebat; qui posset sine aliqua lęsione animę cuncta diuidere, cum sciret amplius ac rationabilius quantum cuiq; distribuere debuisset,dicens sibi illos tres solidos posse sufficere.

Hic ipse Diocles grãmaticus quidem primũ fuit, philosophiæ autem se postea dederat. Sed tẽpore procedente,cũ uicesimũ octauũ annũ ageret ætatis, gratia eidẽ diuina persuasit, ut secularibus doctrinis renunciaret,ad institutionẽ uero Christi scientiamq; cęlestis philosophiæ se conferret,& ipse eo tẽpore tricesimũ & quintũ annũ in speluncis habens,nobis ista dicebat.Sensus humanus cũ a cogitatione recesserit Dei, aut dæmoni efficitur similis,aut mutis animalibus cõparatur.

Cuius dicti rationẽ cũ ab eo cuperemus accipere, ista dicebat. Quia si quis à Deo recesserit,necesse est ut aut in desiderium aliquod,aut in aliquam iracundiam ruat.Desiderium quidẽ illud insensatorũ animalium, iracundiam uero demonũ esse dicebat; Me autẽ contradicente, quẽadmodum posset fieri,ut cũ deo iugiter maneat sensus humanus, hoc tunc ille dicebat,in quacunq; cogitatione, uel in quolibet actu anima hominis illius fuerit,qui secundũ deũ uiuit,si pia est,eidemq; placere festinat, cũ Deo eum esse manifestum est.

Hic iuuenis erat Capito quidam nomine, qui priore uitę suę tẽpore latro fuerat; quiq; cum in spelunca sua quinquaginta implesset annos, ne usque ad 2 quartum lapidẽ Antinoensis oppidi unquam uoluit accedere, nec usque ad fluuiũ Nylum qui erat proximus. Dicebatq; quod nec dum se conuersationi atque sermoni hominũ plurimorũ posset ingerere,eo quod adhuc fortiter repugnaret cõmunis inimicus.

Cap. 47.

2 *Vide si antiqui monachi uagabãtur ut quidam nugantur.*

Cum isto uidimus & alium quendã ex illis solitarijs uiris, ęque & ipsum intra speluncæ suę secreta uiuentẽ,qui uanę glorię stimulis sub imagine somniorũ illusus atq; deceptus,simili & ipse modo solebat eos quos inducebat illudere,& pastor quodãmodo insipiens uidebatur esse uentorum,atque persecutor umbrarum, incorruptã quidẽ habens corpoream castitatẽ. Sine dubio & propter ipsam senectã,& propter plurimũ quod habebat in desertis locis tẽpus,& propter ipsam forsitan inanis glorię uanitatẽ,quę cor eius ac sensus peruersarũ (ut solet) rerũ cogitatione uiciauerat,diuinęq; conuersationis fecerat alienum.

Sunt uero in eadẽ Antinoensium ciuitate duodecim monasteria uirginũ fœminarũ perfecta conuersatione uiuentium; in quibus Amatã quandã nomine,ancillam Christi senẽ uidi octoginta iam in monasterio

Cap. 48.

ſuo annos habentē, ſicuti uicinę ipſius, & ipſa referebant. Cum qua ſexaginta numero mulieres habitantes, atq; in abſtinentię puritate per eius doctrinā uiuentes, intantū eandē omnes diligebant, ut ne clauē quidē ueſtibulo monaſterij ad ſimilitudinē cęterarū neceſſe eſſet affigi. Sola enim illic omnes eas, īmenſa dilectio anus ipſius doctrinaq; retinebat, ad incorruptionis gloriam; corpora earū, menteſq; conſeruans.

Hæc ipſa, quā dixi, ſenex, uſque adeo purę mentis & corporis erat à cogitatione & paſſione peccati, ut cū ad ipſam ingreſſus fuiſſem, atque ſediſſem, iuxta me indifferenter ſederet, manus etiā ſuas ſupra humeros meos poneret, ſtupendaq; illic erat in Chriſto īmenſæ fiducia caſtitatis.

In hoc ipſo uirgo quędā Taor nomine, diſcipula illius, triginta annos in monaſterio habens, non tunica, non mauorte, non calciamentis unq̃ nouis uti uoluit, hoc dicens: Nihil tale deſidero, ne propter hoc & foras progredi cogar. Alię quidē omnes dominico tantū die, cauſa diuinæ cōmunionis, procedere ad eccleſiam ſolebant; ſancta uero illa extremis induta pannis, in monaſterio ſola reſidebat, opus iugiter ſuū faciens. Tam elegantis autē formę erat, ut caſtiſſimū quenque & conſtantiſſimū uirū, uultus ipſius ac pulchritudo poſſet illicere, niſi ita moribus eſſet ornata, ut in ſemetipſa haberet inæſtimabilem quendā cuſtodem propriæ caſtitatis. Qui & oculos cuiuſquam turpiter cupientis, ad īmenſum pudorē compelleret, ac timorem.

Alia quoq; in uicino cōmanebat, cuius ego faciem quidē uidere non potui. Nunq̃ enim ex quo huic mundo renunciauit, de monaſterio fertur egreſſa, in quo ſexaginta annos unà cū matre ſua habitans, impleſſe memoratur. Cui ad poſtremum cum receſſura eſſet è ſeculo, in uiſione aſtitit Colothus uocabulo martyr, qui in eiſdem colebatur locis, hoc ei dicens: Hodie ad dominū tuū perges, ubi & ſanctos uidebis omnes. Veni igitur in baſilicam martyrij mei, ut illic prandeas mecū. Quo audito, prima ſtatim luce ſurrexit, ac ſolito more ueſtita, in ſportella ſua panē & oliuas, & olera cōminuta ſuſtulit ſecū. Et tunc primū, poſt tot annorū curricula procedens, ad martyrium ſancti uenit. Vbi orationibus rite perfectis, operiri cœpit tale tēpus, quo omnes penitus à memorato recederent loco. Quod cū ita factū uideret, cœpit ſedere, & inuocare ſanctū martyrem dicens: 3 Sancte Colothe benedic eſcam meā, atque interuentibus tuis mecū proficiſci dignare. Sumpto igitur cibo, & facta rurſus oratione, circa ſolis occaſum ad monaſterium ſuū redijt. Vbi matri ſuę, Clementis qui Stromateus dicebatur; libellū dedit, in Amos profetæ dicta conſcriptū, hoc ei dicens: Iſtud Epiſcopo, qui exul extat dabis, dicenſq; ei, ut pro me orare dignetur, proficiſcor enim ad dominum meum. Et in ipſa nocte defecit, & neque aut dolorē ullum capitis, aut colorem corporis ſenſit, ſed ipſa ſe ut erat ſepelienda, compoſuit ſpiritum ſuum manibus Dei commendans.

3 *Si uult a ſancto benedici, ſignum eſt quòd is uiuus erat & non mortuus. Habes etiam hic ſanctorū inuocationem, & quod ipſi pro nobis interueniunt.*

VITA MELANIÆ IVNIORIS ET PAMMAchij, per Palladium Cappadociæ Episcopum scripta.

Habetur in libro qui uulgo Paradisus Heraclidis dicitur, ca. 49 36.

QVoniam in superioribus relaturum de iuniore Melania me spopondi, necessario nũc debitũ reddam. Nec enim iustũ est ueluti prætereundo, transire tã laudabilẽ ipsius in corpore iuuentutẽ, tantamq; eius sine aliqua memoria literarũ prȩterire uirtutẽ, quȩ senibus ac studiosissimis circa deũ fœminis, merito nunc præfertur.

Hanc igitur parentes quidẽ ipsius, ui magna nubere coẽgerunt, primo cuidam Romani nominis uiro. Quæ tamen semper cum iugibus auiæ suæ doctrinis stimularetur, eo usq; spiritualiter in ciuitate processit, ut nõ diu in nuptiali proposito permaneret. Nam cũ suscepisset filios duos, & utrique defuncti fuissent, uenit ad tantũ pro Christi nomine odium nuptiarum, ut 1 hoc Pimano marito suo Seueri expræfecti filio diceret: Si diligis castitatem, & monachus uis esse mecum te uitæ meæ dominũ confitebor. Si autem tibi graue hoc uidetur ut iuueni, accipe quascunq; habeo facultates, & liberum mihi meum corpus relinque, ut de cætero secundum uoluntatem dei uiuens, possim implere quod cupio. Et uti sequuta eius uirtutẽ, auiæ hæredem me esse, cuius & nomen habeo recognoscam. Nam si uoluisset deus, ut hoc seculo frueremur, nunquã mihi utrunq; quem peperi, ĩmatura morte rapuisset.

1 Voluit sancta mulier habere cõsensum uiri quia sicut Matrimonio per copulam non consumato, licet uni ex coniugibus religionem ingredi & castitatẽ seruare sine alterius consensu, ita eodem consumato non licet.

Cum diu itaque altercantium contentio, iugum nuptiale uexasset; ad postremum deus miseratus est iuuenem, inspirans etiam ipsius animæ, ut secularia ac terrena desideria contemneret. Vt in ipsis quoque sancta uox posset impleri per Apostolum, dicens: Vnde scis mulier, si maritum saluum facies? Vnde scis uir, si mulierem saluam facies? Nupta igitur uiro est cum tredecim esset annorum, septem uero annos cum eo uixit, uicesimo renunciauit.

Et primum quidem quicquid uestium sericarum in mauortibus habuit, sanctis 2 altaribus dedit. Quod & benedictam Olimpiadem fecisse cognouimus. Reliquas uero quas habebat sericas uestes, per uaria ecclesiarum distribuit ornamenta. Argentũ atque aurum suũ per Paulum quendam dalmatam ciuem, monachum atque presbyterum nauigio maris, Orientem usque transmisit. Et ita diuisit cuncta, ut Ægypto atque Thebaidi delegaret decem milia. Antiochenæ ciuitati atque illis quæ circa ipsam uidentur esse regionibus, decẽ milia, prouinciæ quoque Palestinæ quindecim milia solidorum, ecclesijs quæ per singulas insulas sunt, una cũ ijs qui erant exilij damnati relegatione, decẽ milia. Illis autẽ ecclesijs atque monasterijs, & Xenodochijs quæ sunt sub occidentali plaga, cunctisq; egentibus per semetipsam omnia quæ sciret, hisdem necessaria ministraret.

2 Vides hic quod offerre donaria tẽplis uel altaribus, fuit antiqua consuetudo in Ecclesia.

Hæc autem & uniuersa & alia longe plura quàm diximus, ut deus nouit ex manibus Alarici, fide propria tanquàm ex ore leonis eripuit.

Seruos uero promiſcui ſexus quicunque manumitti uolebant, uſque ad octo milia liberos fecit. Nanque reliquos qui ſeruire fratri ipſius maluerunt, conceſſit eidem, ternis per ſingulos ſolidis diſtributis. Poſſeſſiones omnes quaſcunque habuit in Aquitania, Gallia, Tarachone, Hiſpanis, Galliſq; diſtraxit. Eos uero tantũmodo agros quos intra Siciliam, Campaniam, & Africã poſſidebat, ſibimet reſeruauit. Ex quibus monaſteria, deinceps aleret ac foueret. Hæc huius fœminæ ſapientia in diſtribuendo onere diuitiarum fuit.

Propoſiti autẽ ipſius uita huiuſmodi erat. Poſt alterum diem ſemper cibum capere conſueuerat. Nã inter ipſa principia quinto quoq; guſtabat die, idq; obſeruans faciebat, & diurnas cum ancillulis ſuis miniſterij ſui uices, quas tanq̃ in monaſterio ut ſorores habebat. Erant autem cum ipſa & mater eius Albina, parem uitam habens, ſimiliterq; proprias ſeparatim opes, & ipſa diſpergens. Habitant uero in poſſeſſionibus ſemper, & interdum intra Siciliam, nonnunquã intra Campaniam degunt cum Eunuchis quindecim, & ſexaginta uirginibus, & cum alijs ingenuis uel ancillis.

Parem quoque & Pimanus coniunx ipſius, cum triginta monachis agit uitam; qui aut lectioni ſanctarum ſcripturarũ uacat, aut hortorum amenitatibus delectatur, aut conſpectibus atque ſermonibus fruitur honeſtiſſimorum uirorum; ne nobis quidem & certe cum plurimi ſimul eſſemus (qui Romã propter beatũ epiſcopum Ioannem perexeramus) exigua præſtiterunt. Sed dum & in illis partibus degeremus, officioſiſſimo nos ſuſceperunt hoſpicio, largiſſimiſq; ſumptibus cum exinde proficiſceremur honorauerunt.

Cap. 50.

Horum parens Pammachius nomine, uir proconſularis, ſimiliter ſecularibus põpis renunciauit, multumq; laudabilibus moribus uixit. Qui omnes proprias facultates, partim dum in ſeculo eſſet ipſe diſperſit, partim fratribus atque pauperibus moriens, migranſq; ad dominũ, reliquit. Hoc idẽ & alter. Macarius nomine, ex uicarijs fecit, et Conſtantius quidã qui conſiliarius præfectorum in Italiæ fuit regionibus, nobiles ualde & ſcholaſtici uiri ac plurimo dei amore ſublimes; quos adhuc credo ſupereſſe, 3 egregia monachorũ inſtitutione uiuentes.

3 Cũ tot ſublimes uiri monachorum inſtitutionẽ ſuſceperint, paret Monachiſmũ eſſe ſtatum laudabilẽ ac deo gratum, uiamq; compendioſam et facilem, per quam in hoc corpore quis conſtitutus angelicam ducere poſsit uitam.

VITA VIRGINIS ALEXANDRINÆ QVÆ per ſex annos magnum Athanaſium occultauit, per Palladium Epiſcopum ſcripta.

Habetur in libro eodem, cap. 51.

VIrginem quandam in Alexandria noueram ciuitatem quã ego ſeptuaginta annos agentẽ, uidiſſe me memini. Cui teſtimonium clerici illic omnes ferebant, quod tunc cũ adhuc iuuenis uideretur, uiginti fortaſsis annoꝝ, pulchritudinis magnæ, conſpectus omnium uitare cõſueuiſſet, ne qua propter miraculum uultus eius, ex ſuſpicione

quorundam macula notaretur. Quo in tempore accidit, ut Arriani sub Constantio Imperatore per præpositum eius Eusebium beato Athanasio Alexandrino Episcopo facerent factionem, & execrandas ei criminũ calumnias excitarent.

Tunc igitur ille uenerabilis, corruptum iudicium pollutumq; declinans, non amico, se non clerico, non parenti, non cuiq; alij credidit atque cõmisit, sed cũ subito quidam prefecturę apparitores, ipsum inuestigantes, domũ eius intrassent, tunica ille tantũ sua, birroq; uestitus, medio noctis fugiens, ad hanc uirginem uenit. Ad quã tam inopinatæ rei nouitate perterritam, his sanctus Episcopus loquutus est uerbis. Ab Arrianis inquit, plurimum quæror, & calumniosis criminibus incusor: Ne igitur & ego irrationabili nota deformer, & propter me qui ad meam pœnã inique parati sunt in peccatũ ruant, fugiendum magis credidi. Deus autem mihi hac nocte reuelare dignatus est, dicens: Apud nullum ita ut apud illam scias te posse saluari. At illa tum gaudio læticiæ spiritualis erecta, proiectisq; cogitationibus uanis, cœpit totis sensibus esse cum Deo, sanctumq; illum uirum per sex annos intra cęllæ suæ secreta cęlauit, quoad memoratus Constantius uixit. Ipsa illi abluens pedes, ipsa per se omnia, & quæcunq; necessaria erant pręparans ac ministrans, libros quoq; quos ille quęrebat, mutuo sumens, atque illi prębens legendos. Nullus tamen hominũ in Alexandria ciuitate per sexennium totum, ubi nam sanctus Athanasius degeret, potuit inuenire.

Vbi mors autẽ primũ Constantij nunciata est, & hoc ad aures ipsius uenit, nocte rursus, ut fecerat prius, indutus bene proprijs uestibus, in ecclesia subito stupentibus cunctis & admirantibus inuenitur. Quẽ omnes tunc ueluti ex mortuis suscitatũ, se uidere credebant. Amicis autem intimis suis satisfaciebat, hoc dicens: Propterea me ad uestras non contuli latebras, ut tuto iurare possetis, ubi nam degerẽ uos nescire dicentes. Et propterea quia necesse erat ubiq; me quæri, in cella uero illius uirginis latui, ubi me cellari nulla poterat esse suspicio, eo quod & pulchra & iuuenis uideretur. Dupliciter hoc meo consilio gaudens, quod & me lucrifacerẽ, & salutem ipsius. Profui enim & ipsi, & famę uel glorię meę.

VITA IVLIANÆ VIRGINIS, ET IVVENIS illius qui maluit mori quàm Christi uirginem stuprari, per Palladium Episcopum scripta.

Habetur in libro eodem, cap. 51.

38

QVędam iterum uirgo nomine Iuliana, in Cæsariensi Cappadociæ ciuitate scholasticissima esse, ac fidelissima dicebatur. Quæ Origenẽ illum qui multa conscripsit, Paganorũ seditiones metuendo fugientẽ, per biennium totum suscepit atque cellauit. Proprijs ei sumptibus necessaria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eundẽ recreans. Quę ego in uetustissimo quodam codice scripta uersibus legi, in hoc no-

tatum erat Origenis ipsius manu; hunc inquit, libellum inueni apud uirginem quandam nomine Iulianã in Cæsarea ciuitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab ipso Symmacho interprete Iudæorum, se accepisse referebat.

Non sine causa autem uirtutes quoque harũ posui fęminarũ, ut sciamus quod multis proficere modis possumus, si uelimus. In alio quoque uetusto admodum codice qui scriptũ nomen Hippoliti eius (quẽ Apostoli norant) habebat in titulo; relationem historiæ inueni huiusmodi.

Cap. 53.

1 Virgo proposito ac uita.

Nobilissima quædã & pulcherrima (inquit) puella, proposito 1 uirginitatis ac uita, in Corinthiorũ ciuitate degebat. Quã eo tempore cum apud iudicem Paganũ quendam tunc persecutio uesana flagraret, ueluti dijs ipsorum, sacrilegisq; imperatoribus conuiciantem, nonnulli criminibus impetebant. Insidiabantur autẽ pulchritudini eius; uolebantq; ex ea lucrum ij qui huiusmodi mercium negociatores esse consueuerant.

Iudex uero insanus amore fœmineo, uotiuam à calumniatoribus occasionem, ueluti quadã alicuius aure quadrupedis, mox accepit. Sed posteaq̃ machinamentis atque artibus uarijs, non potuit eidem persuadere quod uoluit, nouo contra tam furore desæuiens, non aut pęnę eam alicui destinauit, aut morti, sed quod erat grauius atque crudelius, in lupanari eandem prostitui præcepit, lenoniq; ipsarum turpitudinum, ut ternos ad eum per singulos dies ex concubitu ipsius solidos exhiberet iniunxit. Quã pecuniam cũ à se leno, sine dubio intelligeret flagitandam, in omnium eam qui uellent dedit potestatem.

Quod ubi prædæ talis accipitres, uerum esse didicerunt, ibant, atque obseruabant perditionis officinam. Datoq; infelicissimæ spei precio, loquebantur cum ea optabilium sibi principia uoluptatum. Illa uero precibus ĩmensis singulos rogans; uulnus quoddam in interioribus corporis sui se habere dicebat. Cuius si uenientes ad eam fętorem sentirent, necessario semper effugerent, ipsius contagionis horrore. Ob quod uniuersos miserabiliter precabatur, ut paucos sibi concederent dies, habituri postmodum ipsius prout cuperent, & sine pecunijs potestatem.

2 Quis negare potest Virginitatis statum deo ualde gratũ esse, & qui illum seruare uult, à deo adiuuari, gratiamq; & occasiones illi præstari, ut illud facere possit?

Interea dum & istis sic loquitur, & orationes ad dominũ perpetuas ac maximas facit. Illis 2 ipsis diebus uidens castitatẽ sanctę uirginis deus, custos salutis humanæ, iuuenem quendam agentem in rebus tam uultu q̃ moribus bonũ, ita mente cõmouit, ut ille diuino amore accensus, pro ea cuperet interire. Sub specie ergo turpitudinis perpetrandæ, hora profunda noctis ad lenonem lupanaris ipsius uenit, quinq; solidos offerens ei, petensq; ut manere ipsi cum eadem nocte illa concederet. Ingressus itaq; ad secretiorem domus partẽ, sic affatus est uirginẽ. Surge: salua te, ac libera. Spoliauitq; se uestibus suis (hoc est camisia, chlamyde, & alijs uirilibus rebus cunctis) atq; induit puellã dicẽs ei. Sũma parte chlamydis uela caput tuũ, & uelata recede. Quæ cũ se signasset in nomine domini, ita ut iussit egressa est. Quã sic dñs intactum, incorruptamq; seruauit.

Postero

Postero autē die, cognito omnibus hoc facto, agēs in rebus ille, iudici traditus, ac bestiarū feritate discerptus est, ut etiam in hac parte confusus erubesceret dæmon, uideretq; eum tam pro sua salute, quàm propter beatæ illius nomen, duplici martyrio coronatum.

VITA EXCOMITIS, ET BOSPHORIÆ CONiugis seruorum Dei, necnon Magnæ mulieris beatæ, & Monachi misericordis, ac Virginis dei lapsæ, & postea per pęnitentiam ad magnam gratiam restitutę, per Palladium Episcopum scripta.

Habetur in libro qui uulgo dicitur Paradisus Heraclidis. Cap. 54.

39.

IN Ancira Galatiæ Prouinciæ ciuitate, clarissimū quendam nomine Excomitem una cū Bosphoria coniuge ipsius uidi. Quorumq; conuersatio tantum spe bona fruitur, ut filiorum quoque suorum lucra præsentia, futurarū opum præmeditatione ac prouisione contemnant. Nam possessionū omnium redditus, pauperibus & egētibus largiuntur, quatuor habētes filios, ac filias duas. Quibus ne unam quidē unciam (exceptis ijs qui iam nupserant) tradiderunt; dicentes, quod post mortē parentum futura necessario essent omnia filiorū. Ipsi autem agrorū suorū colligunt fructus, & per ecclesias, & monasteria, & Xenodochia, cunctosq; egentes ciuitatum, uicorumq; distribuunt.

Hoc etiam de ipsis egregium & admirandum scio. Nam cū adeo illi fame quodam tempore laborarent, ut homines ne affectibus quidē parcerent suis, proprio illi beneficio largitatis, hæreticorum gregem ad Catholicæ fidei rectam uiam, & gloriam ueram transire fecerunt, plurima in possessionibus suis frumenta condentes, omniaq; ea pauperibus & famem patientibus diuidentes. Ipsa autem species habitus atque 1 uestitus memoratorū, tam honesta uidetur & parca, ut humiles quidam atq; despecti, etiam ex proprijs uestibus existimentur. Cibus uero eorum satis paruus ac tenuis, uitaq; omnis ipsorum admodum casta, ac Deo probata est.

1 Vide in sanctis uiris uestitum parcum & humilem, cibū etiam paruum & tenuem.

In possessionibus maxime suis degunt, fugientes conuersationem & illecebras ciuitatum, timentesq; ne ex ipsarum rerum atque sermonum cōmunicatione, participata cum ipsis quadam labe uitiorum, a propositi sui tramite, deuiare cogantur.

Cap. 55.

In hac eadem Galatiæ ciuitate, multæ quidē & aliæ uirgines usq; ad duum 2 milium, uel eo amplius numerū, abstinentia grandi, honestis ualde atque ornatis moribus uiuunt.

2 Audis tam grandem Virginum numerū? Ergo seruare Virginitatem omnes uolētes dei adiuuante gratia non est impossibile, ut quidam nunc mentiuntur.

Inter quas Magna quædam uocabulo, uidetur excellere merito sanctitatis, fœmina multum probata. Quam utrum uirginem an uiduam uocem, nescio. Mater enim illam maxima ui coēgit, ut nuberet. Illa uero semper uarijs modis ægrotam se simulans, coniugem suum fefellit, ac distulit, ut pura atque intacta (ut dicitur) permaneret.

Quæ post breue admodum tempus defuncto marito cunctarum facultatum domina simul effecta, totam se penitus ad deum contulit, sub proposito ac uita monachorũ, honestam propriæ domus curam gerens. Cuius quoties hoc ratio uel necessitatis postulasset causa, castus apud omnes & sermo, & conspectus erat. Vt eam propter ĩmensæ meritum sanctitatis, episcopi quoq; reuereri atq; erubescere semper solerent.

Omnia hæc propriarum superflua facultatum in peregrinos ac debiles atque Episcopos transeuntes, diuidere atque erogare consueuit. Neque à tali unquam opere destitit, tam per se hoc hilariter & occulte, q̃ per eos (quos fidelissimos nouit) seruulos faciens. In nocturnis tamen 3 orationibus ab ecclesia nunq̃ recedens, in omnibus, abstinentiæ studiũ, spe uitæ reseruans & exequens.

3 *Habes hic nocturnas orationes, habes eas fieri in Ecclesia, habes abstinentiam spe æternæ uitæ seruatã.* Cap. 56.

In hac eadem similiter ciuitate monachum inuenimus quendam, qui ad tale propositũ post militiam parui temporis ueniens, presbyter quidem fieri (cũ sæpius cogeretur) semper recusauit. Vicesimo tamen anno iam in monasterio degit, huiusmodi consuetudinem habens. A sancto quidẽ uiro ciuitatis eiusdem Episcopo, non recedit.

Tantæ autem humilitatis est ac tantæ misericordiæ, ut etiam in noctibus totis loca cuncta circuneat, manũ dando petentibus. Ipse non clausis carcere, non ægritudine fatigatis, non pauperibus, non diuitibus, unquã suum in quo deberet aut posset, negauit auxilium, sed omnibus consuluit semper ac profuit, quosdam quidem duros atque crudeles ad misericordiam prouocando, alios uero (si hoc debere fieri intelligeret) protegendo, nonnullos pacifica concordatione placando, cæteris quoque ad corporales necessitates, quæcunque pastus eorum atque uestitus ratio exigit, etiam ministrando. Est autem illic quod esse in maioribus semper ciuitatibus solet. In porticu nanque ecclesiæ multitudo pauperum iacet atque languentium, ex quibus alij quidem coniugati, alij uero sine coniugibus esse noscuntur.

Contigit itaque una dierum hiemis tempore, horis nocturnis, urgeri quandam mulierem partus angustijs; hac uero præ nimia difficultate stimulata doloribus atque ululante, memoratus uir beatissimus de relicta oratione, quam positus tunc in ecclesia solenniter celebrabat, egrediens, uidensq; quod miserandæ mulieri in huiusmodi dolore nullus assisteret, nimia pietate cõmotus (horrore illo qui parturientium fœminarũ consuetudinem sequitur, paulisper seposito) ipse ministerium obstetricis assumpsit, ne misericordiæ genus amitteret.

Cuius uiri 4 uestis qua induitur, abiecta nimis & uilis est. Esca uero castigata uehementer & parca. Qui tanto humanitatis retinetur affectu, ut præ desiderio huius operis, nullum habeat studium lectionis. Nã si quis ei ex fratribus donauerit codicem, continuo hunc uendere consueuit. A quo dum quidam causam quare id faceret, postulasset: ita respondit. Vnde probabo magistro meo, quod eius artem diligenter di-

4 *Et hic habes uestitũ abiectum & uilem, escam etiam tenuem & parcam.*

dicerim, nisi distractis ipsius codicibus, artis necessaria mihi prouidere festinem?

Hic ergo sanctissimus, huiusmodi hodieq; exequens actionem, inmarcessibilem sui memoriam nominis, cunctis illis regionibus derelinquit, ipse nimirum gaudiorum cœlestium pro his quæ impendit egentibus, æternæ retributione securus.

Tunc etiam ancilla dei quædam, uirgo cum aliis uirginibus duabus cohabitans, abstinentiamq; nouem uel decẽ annis custodiens, à quodam cantore sollicitata atque corrupta est. Quæ statim concipiens partu explicito in tantum prorupit odium corruptoris, ut nimia compunctione peccati, ultra mensuram quoque resumens pœnitentiæ continentiam, fame semetipsam uellet occidere, lachrymosis precibus iugiter dominũ interpellans, & dicens, Tu deus magne, qui peccata omnium nostrorũ, totiusq; mundi immoderatam malitiam portare consuesti, qui non uis mortẽ peccantium, nec perditione delinquentium delectaris, sed uniuersæ creaturę tuæ probaris esse misericors, quia tua uoluntas est cuncta saluari, ne quoq; peditam in hoc ostende si saluti restitues, ut quod ex mei peccati perditione creatum est, (solitis tuis miraculis super me miseram demonstratis) ex hac celerius luce tollatur, ne minus audita, aut laqueo, aut præcipitio perire compellar. Cuius preces exauditas, euentus ostendit. Statim nanque quod peperit, morte substractum est.

Ex illo igitur die captiuatori quidẽ suo, non 5 est uisa ulterius, attamen summis pœnitentiæ, continentiæq; se tradidit angustiis. Ita ut diuinitatem sibi propitiam cupiens reddere, elephantiosis mulieribus per annos triginta seruiret. Cuius preces humiles, misericors dominus non fefellit. Reuelauit nanq; cuidam sancto presbytero dicens, illa uirgo plus mihi in pœnitentia, quàm in uirginitate sua placuit. Hęc autem nunc ego dico, ut nemo contemnendos eos credat, qui uere pœnitentiam egerunt.

5 Non solum dolorẽ habuit hæc mulier de peccato commisso, & propositum non delinquendi ulterius, sed & satisfactionẽ assumpsit, ut in litera uides, sine qua nõ est uera pœnitentia.

VITA EVSTATII LECTORIS, PER PALLADIUM Episcopum Cappadociæ scripta.

Habetur in eodem libro. Cap 57.

40

PResbyteri 1 cuiusdam filia, erat apud Cæsaream Palęstinæ prouinciæ ciuitatem, quę cum in uirginitatis esse proposito uideretur, præceps ruit. Cui ille à quo inducta est atque corrupta, persuasit: ut factum proprium, in alium mentiendo transferret, & ut lectori cuidam ciuitatis calumniosum crimen imponeret. Cunque iam grauida uideretur, patre ut proderet tanti sceleris auctorem cogente, à memorato lectore uitiatam esse se dixit. Presbyter ut putabat ueritate comperta, suggessit Episcopo. Episcopus in conuentum omnium clericorũ, lectorem fecit accersiri.

1 Filiam presbyteri intellige sicut sæpe supra declaratum est.

Agitabatur quæstio. Interrogante episcopo, lector nihil se fecisse tale

poterat confiteri. Nā quomodo confessio sequeretur, ubi nō præcesserat crimen? Episcopus lectori suo uehementer iratus, quasi qui impudenter negaret, ei ista dicebat. Infelix & miser atq; impuritate sordium plene, non confiteris? Respondit hoc lector. Ego quidē quod erat in conscientia mea dixi, nihil me cum hac habere commune, neque peccatum me aliquod quantum ad memoratam uirginem spectat, agnoscere. Sed si uis audire quod non est; ego hoc crimen admisi. Quem ista dicentem, gra-
2 du 2 lectoris deposuit episcopus statim.

Vides etiam nunc tēporis lectoratū fuisse gradum in ordine Ecclesiastico.

At ille tunc memoratum adijt sacerdotē, & cum rogaret hoc dicens: Quoniam qui me peccasse cognosco, iube ipsam mihi in matrimoniū dari. Quia neq; illa iam uirgo, neq; ego clericus esse possum. Episcopus eā dedit potestati eius; putans quod illam iuuenis ipse diligeret, quodq; non posset ullo modo ab eadem separari.

Acceptam igitur iuuenis, & tam ab episcopo q̃ a patre traditam sibi, cōmendauit monasterio fœminarū. Quarum abbatissam deprecatus est, ut haberet illic eam, donec pareret sustentandam. Ipse uero, ea derelicta in monasterio memorato, in angusta cellula se cōcludens, arripiensq; abstinentiam nimis difficilem, adijt Christum corde contrito cū lachrymis atq; gemitibus dicens: Tu domine cui nota sunt omnia, actus quoq; meos agnoscis; nec est quisquā locus, qui omnipotentiæ tuæ oculis sit occultus, qui uniuersa nosti, antequā fiant. Tu solus profunda prospicis cogitationū, quarū sincerissimus atque acutissimus iudex esse consueuisti. Tu auxiliator iniusta patientium; tu calumniam subeuntium cōsolator; cui nihil placet iniquū, apud quem mensura iustitiæ inaccessibili semper luce perspicua est, & omne opus hominum coram te est. Tuæ est igitur æquitatis, incōmutabilisq; iudicij, causam quoque meam diuina manifestare sententia.

Itaque cū iuuenis infatigabiliter dominū precaretur, ieiunijsq; uigilanter ac diligenter incūberet, intra breue tēpus, puella cū proprios implesset dies, aduenerat ei hora pariendi, simulq; instabat iustum Dei iudicium: Nam cū eam urgerent uehementer gemitus ac dolores, atque iam ipsa inferna, calumniatrix miseranda conspiceret, neque expedire se partus ipsius posset angustijs, tantumq; cruciatū a primo usq; ad septimum diem mulier sustineret, intolerabili dolore cōpulsa, cū iam sine dubio se uideret esse moriturā, neque ulterius aut manducare, aut bibere, aut somnum oculi eius capere potuissent, hoc maxima proclamando uoce dicebat. Ve miseræ mihi, quæ ad hoc periculum dupliciter ueni, primum, q̄ uirginitatem perdidi, deinde quod falsum Lectori illi crimen imposui: Quod statim defertur ad patrē ipsius. Pater autē peritus ne quasi calumniatorem eum repræhenderent alij, uelut incredulus quieuit, & tacuit. Per aliud igitur biduū, imminente ei diuino iudicio, neque moriebatur, neque pariebat puella.

Et quoniam clamores ipsius atque gemitus, diutius circunstantes sorores

rores ferre nõ potuerunt: Episcopo quod audierant celeriter retulerunt, confessam in dolore hoc etiam dudũ esse dicentes, quod calumniata memorato Lectori fuisset, & iccirco parere nõ ualeret. Tunc ad eum diaconos Episcopus mittit, mandatq; ei: Ora inquit, ut calumniatrix tua pariat. Quibus nullum dedit responsum ille, neque aperuit ostium propriç
mansionis, in qua iugiter ex quo fuerat ingressus, 3 ieiunijs, uigilijsq; do 3
minum precabatur. Pergit igitur pater ipsius ad Episcopum rursus, orationes in ecclesia maximç fiunt, ne sic quidem illa aliquod remedium sentiebat.

Aduertis quõ recte deo supplicatur, adhibitis ieiunijs & uigilijs.

Tunc igitur Episcopus ipse ad Lectorem uenit. Pulsat ostium, & ingressus, hoc dicit. Surge frater Eustati, & solue quod ligasti. Ipsoq; mo-
mento, cũ Lector unà cũ Episcopo genua 4 sua flexisset, mulier enixa 4
est. Tantumq; iugis innocentiæ oratio ualuit, ut & calumnia periret, & calumniatrix emendaretur in pœnis, & ut possemus agnoscere, quemadmodum insistere orationibus deberemus, quarum tantam scimus esse uirtutem.

Vide orationem cũ genuflexione & maximam eius uirtutẽ.

VITA FRATRIS SOCII AVTHORIS HVIVS Libri, per eundem Palladium Episcopum scripta.

Habetur in libro qui uulgo Paradisus Heraclidis dicitur, Capi. 58.

Pauca nunc de fratre loquar quodam, qui mecũ a principio iuuentutis usque in hodiernum diem uixit. Atq; ita nunc ponam finem meo libello.

Hunc ego plurimũ tẽporis admodum noueram, nullo desiderio mentis aut corporis uictum, uel ad ieiunandum noluisse placere hominibus, uel ad edendum carnis illecebra superatum. Vicisse autẽ eum existimo, tam diuitiarum quàm uanæ gloriæ ex parte maiore cupiditatẽ, atq; id solum sufficere credentẽ, quod haberet in manibus. Nullo ornatu uestium delectabatur. Pro contemptu etiam suo, semper gratias agere cõsueuerat; & pro ueris amicis, etiam periculum subire cupiebat. Expertus est etiam millies & forte amplius dæmonũ potestates, usque adeo ut quadam die pacisci cũ eo diabolus uellet hoc dicens: Promitte mihi uel semel te peccaturũ, & fœminã tibi quãcunq; de hoc mundo desideraueris, exhibebo.

Alio quodam tẽpore p quatuordecim noctes confligens cũ eo dęmon (sicuti ipse mihi referebat) cũ pedibus eũ nocte de cella sua traheret, humana ei uoce dicebat: Noli adorare Christum, & nunquã ad te ulterius accedam. Cui hoc dabat ille respõsum: Propterea inquiens magis & adoro eum, & iugiter adorabo, & in ĩmensum modum admirabor gloriam ipsius ac stupebo. Qui hoc ipso quod facio angeris multũ, atq; cruciaris.

Centũ & sex ciuitates ipse cognouit, longo etiam tẽpore in plurimis
moratus est. Fauore & misericordia Christi 1 fęminã expertus est nul- 1
lam, neque inter somnia nisi in certaminis uisione, atque conflictus. Scio & eum ter accepisse ab angelis cibũ. Vno autem die in uastissimis solitu-

Tu qui a lateribus fœminarum nunquã auelli potes, uide si est impossibile seruare uirginitatem Dei misericordia adiuuãte.

dinum locis, cũ ne micam quidem panis haberet, tres calidos in pelle sua repperit Paximates. Alio quoq; tempore uinum ac panes pariter inuenit. Quodam die eum alicui dixisse reminiscor, quod angelo loquente hæc audierit: Didici & quod alimenta uitę necessaria non haberes: Vade inquit, & ab illo frumentũ atq; oleum tibi datur. Cunq; ad eum ille ipse uenisset, is ad quem fuerat ipse transmissus ait eidem. Tu ille nescio quis? & ille se esse respondit. Ad quẽ dixit hoc ille: Iussit aliquis ut tibi triginta frumenti modios, & decẽ olei sextarios darem. De hoc ergo maxime gloriabor qui talis fuit, quem noui frequenter, cũ uideret aliquos necessitate grauissima ac penuria laborare, multũ fleuisse, & dedisse ijsdem præter corpus suũ quæcunque habere posset. Noui etiam pro aliquo monacho, qui inciderat in peccati ruinã, tantũ in precibus suis fudisse lachrymarũ, ut eum ad pœnitentiam magnam, orando ac flendo reuocaret. Hic idem mihi aliquando iurauit, hoc dicens, Deprecatus sum dominum, ne unq̃ aliquid maxime a peccatore uel diuite ex ijs quæ necessaria uictui uel usui meo uiderentur acciperem.

Autoris per oratio. Mihi tamen hoc sufficit, quod merui tantorum meminisse sanctorũ, & quod tradidi eos memoriæ literarum. Neque enim sine instinctu Dei ad hoc tuus sensus accensus est, ut uelles a me tibi ista conscribi, & ut istorum omnium uitas cõpręhendi præciperes hoc libello.

Tu uero felicissime Christi famule Lause, libenter hæc recole maximam in his imaginẽ resurrectionis agnoscens. Beatas sanctorũ uitas uirorum, & intolerandos labores, & admirãdam patientiam lege, promotisq; sensibus sequere, & spe rerũ bonarũ cęlestiumq; nutri, sciens paucos fore qui sequentur eos, qui hos præcesserunt dies. Pro me autẽ orare dignare, talemq; te mihi atque omnibus præbe, qualem esse te noui a consulatu Titiani usque in præsentem diem, & qualem postea te præsulem cubiculi piæ sedis inueni. Nanq; opes, dignitas & potestas, in nullo minorem te erga amorẽ Dei, timoremq; fecerunt. Totus ille iam Christi es illius; cui aliquando dæmon hoc dixit; Omnia tibi ista dabo, si pronus me uolueris adorare, sed hunc dominus confudit, cũ dixit. Vade retro. Quẽ tu quoq; imitans, repudiatis fluxis diuitijs, & umbratili uitæ huius gloria, cęlestem illam ĩmortalem uitam & æternũ regnũ, & perpetuo manentẽ gloriam, & bona illa adamasti, quæ neque oculus uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quorũ utinã hæredes nos faciat unà cũ omnibus sanctis suis Patriarchis & Prophetis, Apostolisq; ac martyribus, & ijs, quorum in hoc libro memoriam celebrauimus; gratia ipsius Saluatoris nostri Iesu Christi.

Tomus tertius. Pars secunda.

FINIS.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS CANDIDO LECTORI.

SAnctos Dei ſeruos & amicos,& dum uixerunt, & poſt mortẽ,per illius uirtutẽ, quem in terris poſiti toto corde dilexerunt, innumera edidiſſe miracula teſtis eſt, etiam nobis tacentibus,mũdus penè uniuerſus. Hoc uerisſimũ cũ ſit, & luce meridiana clarius, nihilominus circa illud tres mihi uideor reperiſſe ſententias.

Infideles enim homines,& qui Chriſti gloriam fateri noluerunt, uidẽtes ſigna quæ a ſanctis fiebant, non ea negare plerunq; auſi ſunt, ſed uirtuti dæmonũ, & maleficijs quibuſdã, magicisq; artibus aſcripſere. Eiuſmodi ſunt plurima;inter quæ & illud quod de ſanctisſima virgine Agnete legimus. Nam cũ præfecti filius,qui eã impudenter tangere præſumpſerat,& ad tantã luminis claritatẽ non dederat honorem Deo,à diabolo præfocatus fuiſſet,unus ex eius ſodalibus ingreſſus lupanar, ubi erat ſancta virgo,& uidens eum mortuũ,exclamare cępit & dicere; Pĩſsimi Romani ſuccurrite,magicis artibus iſta meretrix filium Præfecti interfecit. Idipſum & templorũ Pontifices uoce conſona clamabant, Tolle magã, tolle maleficã,quæ & mentes mutat,& animos alienat.

Verũ hæretici longe his infeliciores, nulla uolunt credere ſanctorum miracula,& quęcunq; ex his eis adduxeris,rident ac ſubſannant,dicentes puerorũ nenias,ſtrophas,cõmenta,& ſycophantias eſſe, ac ad cõgregandas pecunias clericorum nundinationes. Quod eos ita ſentire ut credas, uide quid occurrerit magno eccleſiæ Antiſtiti Ambroſio.Cũ enim reuelata ei fuiſſent ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij corpora, & ab humo leuata,ac in lectos poſita, Cæcus quidam Seuerus nomine,ubi ueſtem martyrũ tetigit,ſtatim lumen recepit.Obſeſſa etiam corpora à ſpiritibus immundis,curata ſunt,multorũ etiam ſanatę ægritudines. Quid ad hæc Iuſtina Imperatrix hæretica Valentiniani mater,& Arrianorũ multitudo quæ cũ ea intra palatium erat conſtituta ? Nempe nihil horũ credere, ſed venerabilem uirũ Ambroſium pecunia cõparaſſe homines, qui ſe ſanatos uel à dæmonibus uexatos liberatosq; fuiſſe mentirentur. Huiuſce generis plurima per hiſtorias inuenire licebit.

At dæmones qui in hac parte ſuperioribus uidentur meliores, ſanctorum credunt omnino miracula,& ad eorũ inuocationẽ, ſeu beatarũ reliquiarũ aſpectum cõtremiſcunt,nulloq; modo de ſignorũ ueritate ambigunt.Sed quid illis contingit? Cum mallent hæc ab hominibus ignorari, quo ſanctorũ gloria occultior fieret, Dei uirtute cõpelluntur,ipſi ea omnibus propalare. Vt tanto maior Chriſti ſplendor refulgeat,quanto eius

inimici illũ circũferre uel inuiti coguntur. Lege mirabilia quę in hoc genere scribit beatus Paulinus episcopus in uita beati Felicis martyris Nolensis. Et alia penè innumera similia passim per sanctorum uitas dispersa uidebis, ubi ĩmundi spiritus a sanctis se torqueri, cruciari & exuri, necnon eorum uirtute a corporibus obsessorum expelli confitentur.

Hæc cũ ita se habeant, uenit mihi in mentẽ, totam hanc tertiam præsentis Tomi partẽ, in recensendis sanctorũ miraculis, quæ a uiro sanctissimo, pariterq; grauissimo Gregorio Turonensi Archipræsule annorũ paulo minus mille scriptore enarrantur absumere. Licet enim uix adduci possim, ut credam his mouendos ecclesiæ hostes, utpote qui durissimæ sunt ceruicis, & frontis perfricatæ, nihilominus forte cũ in tantã miraculorum syluam inciderint, & multitudinẽ penè infinitam legerint, Quis scit si indulgente eis Dei misericordia, ab errorũ tenebris resipiscant, & ad sanctæ matris ecclesię gremium a quo recesserunt reducantur, fiatq; in eis illud uulgaris Prouerbij, & quę nõ prosunt singula, multa iuuant? Quod utinã præstet eis dominus, nã id imprimis nobis ab omnipotenti Deo uotis omnibus expetendum est, ut qui ex nobis erant, & recesserũt a nobis, iterũ ad nos reuertantur. Quod si id minime fiat, saltẽ illud obtinebimus, quod fratres nostri Christi fideles, per uniuersam ecclesiam dilatati, cũ uiderint Deum tantam sanctis suis gratiam contulisse, in uera orthodoxa fide confirmabuntur, & per aperta documenta cognoscent, Deum fidelibus suis semper adesse, resq; ac mentes hominum solicitudine plusquã paterna curare.

Tertia igitur hæc pars trifariam diuidetur. Prima enim uolumen illud miraculorũ continebit, quę a pluribus sanctis martyribus sunt edita. Secunda quæ uir Dei admirabilis, Iulianus martyr operatus est. Tertia uero quæ Turonensis Archiepiscopus Martinus, sacerdotũ gemma, mirabilium patrator operũ effecit. Lege ergo ò bone Lector, & hanc partem quam tibi apponimus, & cum legeris, Veronensis Episcopi miserrimi peccatoris apud benignissimum dominum in tuis orationibus memor esto. Vale.

BEATI GREGORII ARCHIEPISCOPI Turonensis Proœmium in opus in gloriam Martyrum beatorum editum.

HIeronymus presbyter, & post apostolum Paulum bonus doctor Ecclesiæ, refert se ductum ante tribunal æterni iudicis, & extensum in supplicio grauiter cęsum, eo quòd Ciceronis argutias, uel Vergilij fallacias lectitaret, confessumq; se corã Angelis sanctis ipsi dominatori omnium, nunquã se deinceps hæc lecturũ, neq; ultra tractaturum, nisi ea quæ eo digna, & ad Ecclesiæ ædificationem oportuna iudicarentur. Sed & apostolus Paulus, Quæ pacis sunt, inquit, sectemur, & quæ

ad ædificationẽ, inuicem custodiamus. Et alibi, Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat, sed sit bonus ad ædificationẽ, ut det gratiam audientibus. Ergo hoc nos oportet sequi, scribere, atq; loqui, quæ Ecclesiam Dei ædificent, & quę mentes inopes ad notitiam perfectę fidei instructione sancta foecundent. Non enim oportet fallaces cõmemorare fabulas, neq; philosophorũ inimicam Deo sapientiam sequi, ne in iudiciũ æternę mortis, Domino discernente, cadamus.

Quod ego metuens, & aliqua de sanctorũ miraculis, quæ hactenus latuerunt, pandere desiderans, non me ijs retibus uel uinciri cupio, uel inuolui. Non ego Saturni fugam, non Iunonis stupra, non Neptuni iniuriam, non Æoli sceptra, nõ Æneadum bella, naufragia, uel Regna cõmemoro (Taceo cupidinis emißionem) non Ascanij dilectionem, hymeneosq́;, lachrymas, uel exitia sæua Didonis, non Plutonis triste uestibulum, non Proserpinæ stuprosum raptũ, non Cerberi triforme caput. Non reuoluã Anchisæ colloquia, non Ithaci ingenia, non Achillis argutias, non Sinonis fallacias. Non ego Laocoontis consilia, non Amphitrionidis robora, non Iani conflictus, fugas, uel obitum exitialem proferam. Non Eumenidum, uariorumq; monstrorũ formas exponã, non reliquarũ fabularũ cõmenta, quæ hic author uel fingit mẽdacio, aut uersu depingit heroico. Sed ista omnia tanquã super harenã locata, & cito ruitura conspiciens, ad diuina & Euangelica potius miracula reuertar. Vnde Ioannes Euangelista exorsus est dicens, In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbũ. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et deinceps ait, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre plenum gratiæ, & ueritatis.

MIRACVLA SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS, per beatum Gregorium Episcopũ Turonensem descripta.

Habentur in opere eiusdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 8.

Ac primum de Basilica eiusdem ab Imperatore Constantino extructa.

MAria virgo gloriosa genitrix Christi ut ante partum, ita virgo creditur & post partum. Quæ (ut supra diximus) Angelicis choris psallentibus in paradisum, Domino præcedente, translata est. Cuius 1 basilica ab Imperatore Constantino admirabili opere fabricata renidet, ad quã adductæ columnę cũ prę magnitudine leuari nõ possent, eo ꝙ esset circuitus earũ sexdecim pedũ, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, apparuit artifici sancta virgo per uisum, dicens, Noli moestus esse, ego enim tibi ostendam qualiter hæ queant eleuari columnæ; & ostendit ei quę aptarentur machinę, qualiter suspenderentur cocleæ, atque funes extenderentur, illud addens, Coniunge tecũ tres pueros

1 Ecce quõ antiqui principes templa magnifica in honorem Dei, & sanctißimæ eius genitricis ædificabãt, cum primũ ad fidem cõuertebantur. Vnde non est opus malum, sed bonum Ecclesias ædificare.

de ſcholis, quorum adiutorio hoc poſſis explere.

Quòd cũ ille euigilans quę pręcepta fuerant, coaptaſſet, uocatis tribus pueris á ſcholis, erexit ſumma uelocitate columnas. Pręſtitum eſt populis ſpectare miraculum admirandum, ut quod multitudo uirorum fortium eleuare nequiuerat, tres pueruli abſque uirtute perfecti operis ſubleuarent.

2 *Feſtiuitas beatæ Virginis quæ medio menſis Auguſti celebratur, eſt eius Aſſumptio.*

Huius feſtiuitas ſacra mediante mẽſe Auguſto, 2 celebratur. Nam in oratorio Marciacenſis domus Aruerni territorij eius reliquię continẽtur. Adueniente uerò hac feſtiuitate, ego ad celebrandas 3 uigilias ad eũ acceſſi. Cumq; per obſcurã noctem properarem ad oratorium, ſuſpicio à longe per feneſtras ita ĩmenſam claritatem effulgere, ut putaretur ibi multitudo lichnorũ aut cereorũ eſſe accenſa. Credens igitur ꝙ aliqui deuotorũ iam nos ad celebrandas uigilias pręceſſiſſent, accedo ad oſtium, pulſo, nec quenq̃ inuenio, ſed repertũ oſtium claue munitũ, cunctaq; ſilentio data deprehendo. Quid plura? tranſmittimus ad cuſtodẽ, cui tunc erat obſeruandi cura, ut ſcilicet oſtium claue exhibita reſeraret.

3 *Vides eſſe uerũ quod olim ante feſta ſolennia, uigiliæ noctu celebrabantur in Eccleſia?*

Dum autẽ ille uenit, nos accendimus à foris cereum. Interea aperitur ſponte & oſtium; ingreſſiſq; nobis, credo à caligine peccatorũ meorum effugata claritas, quã admirabamur, apparẽte noſtro cereo, diſceſſit. Nihil tamen pręter uirtutẽ glorioſę Virginis aliud penitus uidere potuimus, unde claritas illa fuiſſet exorta.

Habetur ubi ſupra cap. 9.

De Puero Iudęo ualde memorandum miraculum.

C Quid igitur in Oriente actum fuerit ad corroborandam fidem catholicam non ſilebo. Iudęi cuiuſdã uitrarij filius cũ apud Chriſtianos pueros ad ſtudia literarũ exerceretur, quadam die dum miſſarũ feſta in baſilica beatę Marię celebrarentur, ad participationẽ glorioſi 4 corporis & ſanguinis Dominici cum alijs infantibus infans Iudęus acceſsit. Quo ſancto aſſumpto, gaudens ad domum patris reuertitur, illoq; imperante, inter amplexus & oſcula quę acceperat cũ gaudio refert. At ille Chriſto Domino, ac ſuis legibus inimicus, ait, ſi cũ ijs infantibus cõmunicaſti, oblitus paternę pietatis, ad ulciſcendam Moſaycę legis iniuriam, parricida in te durus exiſtam. Et apprehenſum puerũ in os fornacis ardentis proiecit, multaq; ligna, quò uehementius exurcretur, iniecit. Sed non defuit illa miſericordia, quę tres quondam Hebręos pueros Chaldaico in camino proiectos nube rorulenta reſperſerat: Ipſa enim & hunc inter medios ignes & paternarũ flammarũ moles latentem prorſus conſumi non patitur. Hoc cũ audiſſet mater, ꝙ ſcilicet filium cõmunem pater deliberaſſet exurere, cucurrit ad liberandum eum. Sed cum uidiſſet incendia ab ore fornacis patulo, huc atque illuc flamma dominante reſpergi, ornatum capitis ad terram proiecit, diffuſaq; cęſarie, ſe miſeram clamitans, ciuitatem uocibus implet.

4 *Ecce q̃uo in ſacra Euchariſtia uerum Chriſti corpus & ſanguis continetur.*

At cũ Chriſtiani quod actum fuerat didiciſſent, concurrunt omnes ad tam iniquum ſpectaculum, retractiſq; ignibus ab ore fornacis, inue-

niunt puerũ quasi super plumas mollissimas decumbentem. Quo extracto, admirantur omnes illæsum, clamoribus locus ille repletur, & sic Dominum omnis populus benedicit. Conclamant etiam ut authorẽ huius sceleris in ipsas proijcerent flammas. Proiectum autem ita totũ ignis absorbuit, ut uix de ossibus eius paruum quodãmodo relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Christiani, quale ei inter ignes fuisset umbraculum, ait, Mulier, quæ in basilica illa, ubi panem de mensa accepi, in cathedra residens paruulum in sinu gestat infantem, hæc me pallio suo ne ignis uoraret, operuit. Vnde indubitatũ est, beatam ei Mariam apparuisse. Agnitam ergo infans fidem catholicam credidit in nomine patris & filij & spiritussancti, ac salutaribus aquis ablutus, unà cum genitrice sua denuo est renatus. Multi autem Iudæorũ exemplo hoc in urbe illa saluati sunt.

De monasterio Hierosolymitano.

Vbi supra cap. 10.

Monasterium est ualde magnũ in Hierusalem, non modicã habens congregationẽ, in quo loco deuotio populi sæpe plurima confert, ac etiã Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autẽ quodã tempore, ut prę penuria egestatis ualde eis uictus necessaria deficerent. Congregatio enim garrula monachorũ cum una atque alia die refectionis alimoniam non caperet, uociferant ad Abbatẽ, dicentes, Largire cibos, aut permitte discedere unũquenque in locũ, quo uitã propagare possit, alioquin te inconsulto abscedimus, ne pereamus fame. Hæc his dicentibus, ait Abbas, Oremus fratres dilectissimi, & Dominus ministrabit nobis cibos; nec enim potest fieri, ut deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem uitæ ex utero pereunti intulit mundo. Quibus uigilantibus nocte tota, ac psallentibus, mane orto ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, ut uix uel reserari ostium posset. Accepto autem cibo, gratias egerunt Deo.

Post multos uero annos iterũ deficiente cibo, clamauerunt monachi ad Abbatem, qui ait, Vigilemus, ac deprecemur Dominum, & forsitan transmittere dignabitur alimenta. Deniq; prosternuntur ad pauimentũ templi 5 uigilantes totam noctem in psalmis, hymnisq;, & canticis spiritualibus. Cum autem se post matutinas somno dedissent, uenit Angelus, & posuit super altare multitudinem innumeram auri. Erant autem ostia ædis obserata.

5 Vides uigilias, psalmos, hymnos, cãtusq; spirituales horum monachorũ placuisse domino, qui eorũ inopiæ subuenit?

Exurgente autẽ mane Abbate cum monachis ad celebrandum, rursum uiderũt multitudinẽ auri super altare. Et ait Abbas custodi ædium, Quis præfectorum huc ingressus est, qui hæc detulit? Respondit, Post egressum uestrũ nullus huc hominũ accessum habuit, sed ostij clauem munitam retinui, & mecum habui, donec surgerem ad cõmouendum signum. Tunc stupens Abbas cum monachis munus cœleste intelligit, gratias Deo agens colligit, comparatisq; uictui necessarijs, plebem creditam affluenter refecit. Nec mirum si 6 beata Virgo sine labore suis

6 Semper beata Virgo ad eam cum fiducia confugientibus suum benigna præstat auxilium.

protulit auxilium, quæ ſine coitu uiri concipiens uirgo permanſit & poſt partum.

Huius beatæ uirginis reliquias cum ſanctorū Apoſtolorum uel beati Martini reliquijs ſuper me in cruce aurea poſitas exhibebam. Cunque per uiam graderemur, conſpicio haud procul à uia hoſpitiolum cuiuſdā pauperis incēdio concremari. Erat autē folijs, quæ ignibus maxima præ-
7 ſtant fomenta, contectū. Currebat miſer cum liberis & uxore aquā deportans, ſed flāmæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore crucē eleuo contra ignem; mox 7 in aſpectu ſanctarū reliquiarū ita cunctus ignis obſtupuit, ac ſi non fuiſſet accenſus.

Sanctorum reliquiæ quā mirāda præſtant beneficia?

Ibidem cap. 18.

De reliquijs beatæ Virginis Mariæ.

Quidam reliquias beatæ Mariæ ab Hieroſolymis accipiens, reuertebatur in Gallias, ſed prius Romam adire diſpoſuit. Verum ubi altas Ita-
8 liæ ſolitudines eſt ingreſſus incidit in latrones. Nec mora, ſpoliatur indumentis, & ipſa quoque capſa, in qua 8 beata geſtabat pignora capitur. Exiſtimantes enim inimici illi auri ibidem ſeſtertias aggregatas, effracta claue omnia rimantur intente; ſed cum nihil in ea pecuniæ reperiſſent, extracta pignora in ignē proijciunt, cæſoq; homine diſceſſerunt.

Sāctas reliquias beata pignora uocat.

Tunc ille ſemiuiuus exurgens, ut uel cineres exuſtorum colligeret pignorū, inuenit ſuper carbones accenſos illæſas iacere reliquias, ipſumq; linteum, quo inuolutæ erant, ita admiratur integrum, ut non putaretur prunis iniectum, ſed ex aquis collectum. Collegitq; cuncta cū gaudio, & uiam, qua pergebat, ingreſſus uſque ad Gallias peruenit incolumis.

Vbi ſupra cap. 19.

De ultione peierantium.

In urbe autē Turonica eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ Virginis ac Ioānis Baptiſtę nomini conſecrata; in qua periuris ultio diuina apparuit. Quidam enim cum ad periurandum in hanc Eccleſiam fuiſſet ingreſſus, ubi
9 manus ante altare ſtans ſurſum extulit, ut ſacramentū mendax proferret, ſtatim 9 reſupinus ruens ita caput in pauimentum colliſit, ut uix uel uiuens erigitur potuiſſet. Ad ſe autem reuerſus dolum periurij, quod occultabat, publicē patefecit.

Vide quomodo ſeuera deus iudicia exercuit contra peierantes in Eccleſijs.

Vidimus enim & nos quoſdam de Turonicis in loco eodē periuraſſe, qui ita diuino iudicio condemnati ſunt, ut in ipſius anni curriculo finirentur à ſeculo.

Habentur in opere eiuſdem in gloriam plurimorum martyrū edito.

MIRACVLA A' DIVO IOANNE BAPTISTA Domini Præcurſore facta, per beatum Gregorium Turonenſem Archiepiſcopum deſcripta.

Cap. 13.

De muliere, quæ obtinuit pollicem beati Ioannis Baptiſtæ.

Quædam mulier à Maurienna urbe progrediens, ipſius præcurſoris reliquias expetiuit, & ita ſe conſtrinxit uinculo iuramenti, ut non

ut non antea loco discederet, nisi de mēbris eius mereretur quicquā accipere. Sed cum impossibile hoc esse incolæ loci narrarent, prosternebatur quotidie 1 ante sepulchrū, orans, sibi (ut diximus) de sanctis artubus aliqua condonari. In qua intentione integrū duxit annū, similiter & alium, iugi semper oratione deposcēs. Tertio uero ingrediēte anno cū orationē suā nō peruenire cerneret ad effectū, proiecit se ante sepulchrū, & obtestatur, nō se exinde resurrecturā, priusquā hæc petita obtineret à sancto.

1 Vides quomodo deuota mulier ante sepulchrum præcursoris orauerit, & miraculose quod orauerat obtinuerit? Præstat ergo sanctorū sepulchra in ueneratione habere.

Septima uero die cū iā inedia deficeret, apparuit super altare pollex miri candoris ac lucis effulgens. Cognito autē mulier Dei dono, surrexit à pauimento, factaq; capsula aurea, in ea recondidit, quæ Dño largiente meruerat; & sic gaudens remeauit ad propria. Impletumq; est in illa, Quòd si Dominus non surgit pro eo ꝙ amicus sit, propter importunitatem tamen eius surgit, & tribuit ei quotquot habet necessaria.

Post hæc tres episcopi aduenientes de ciuitatibus suis ad adorandū in hoc loco, uoluerunt partē de hoc pignore elicere, positoq; in medio nihil omnino auferre potuerunt. Tunc una uigilantes nocte deprecati sunt, ut aliquid mererentur à pollice. Positoq; sub eo linteo, dum partē auferre conantur, una ex eo gutta sanguinis cecidit super linteū. Quod cernētes duas deinceps uigilant. Deinde 2 prostrati corā sancto altari, dum supplicant, ut adhuc magis aliquid mereantur à pollice, duæ iterū ex eo fluxerunt guttæ. At illi gauisi colligentes deuote quæ Dominus dederat iuxta numerū seruorū suorū, diuiserunt linteum cum guttis suis, quem non sine grandi admiratione suis urbibus intulerunt.

2 Ecce oratio cum prostratione.

Et quia locus ille ad Thaurumensem quandā urbē pertinebat, tpe illo quo Rufus erat Eps, ait Archidiaconus eius ad eum, Nō est æquū, ut hoc pignus in loco uiliori teneaꝛ, sed surge, & illud accipe, & defer ad Thaurumensem Ecclesiā, quæ plus popularis habetur. Cui ille respōdit, Quia hæc agere nō audebat. Archidiaconus dixit, Ego hoc deferā, si permittis. Et Eps, Fac quod libet. Tunc Archidiaconus accedens ad locū, dum uigilias celebrat, mittit manū ad capsulam. Mox amens effectus, accensus febre, die tertio expirauit. Factusq; est timor magnus omnibus: nec quisquam ultra beata pignora ausus est mutare.

De miraculis per reliquias beati Ioannis apud Turonos factis. *Ibid. Cap. 14.*

Apud Turonicā uero Vrbē in oratorio atrij beati Martini, dū ipsius præcursoris reliquias collocaremus, cæcus quidā adminiculo deducente lumen recepit. Energuminus uero obtestans uirtutē beati Ioannis, Martiniq; Antistitis, expulso purgatus est dæmone.

In hoc oratorio una puellarū, cui officiū erat lichni fomēta cōponere, adueniens cū cereo ut hęc ageret, ingressa cōpositū lichnū atq; accensum attracto ad se fune sublimauit in altū, ac plerisq; innexo laqueis ad parietis clauū, abscessit. Quę dū redit, cereus, quē manu gerebat, extinguitur, regressaq; uelociter ad cicendilem, cereū nō audebat illuminare, neq; laqueum funis absoluere. Dū ambigua de hac causa pēderet, subito delapsa

à cicendili flāma cereum in manu eius illuminauit; & sic officio luminis prȩeunte quo uoluit, iuit. Ferunt autē in hoc oratorio à lichno oleū ebullire. Habentur enim & ibi reliquiæ sanctæ crucis.

Ibid. Cap. 15.

De ardore manus cuiusdam mulieris extincto.

Sub huius Vrbis territorio apud uicum Langauiensem mulier quedam ex incolis conspersa 3 Dominica die farina panem formauit, quē segregatis prunis cinere feruenti contegit decoquendum. Quod cum fecisset, protinus eius manus dextera diuino igne succensa cœpit exuri. At illa uociferans, & plangens, basilicam huius uici, in qua reliquię beati Ioannis continentur, expetijt. Et oratione fusa uouit, in hac die diuino nomini consecrata, nullam operam exercere, nisi tantū orationi uacare. Nocte uerò sequenti facit cereū in altitudine status sui. Tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cereo, extinctis ardoribus incolumis est egressa.

3 *Hic quatuor sunt annotāda. Diē dominicā sine ope manuū transigendam. Mulierem ad reliquias sancti præcursoris sanatam. Votū pro sanitate consequenda fuisse emissum. Cæreum accensum ante reliquias sancti detentum.*

MIRACVLVM A' D. PAVLO APOSTOLO factum, per beatum Gregorium Turonensem Archiepiscopum scriptum.

Habetūr in ope eiūs in gloriā plurimorū martyrum edito. Cap. 28.

Paulus Apostolus post 1 reuolutum anni circulum ipsa die qua Petrus Apostolus passus apud urbem Romam gladio percussus occubuit, ex cuius sacro corpore lac defluxit & aqua. Nec mirum si lac eius manauit ex corpore, qui gentes incredulas & parturiuit & peperit, ac lacte spiritali nutritas ad cibum solitum scripturarum sanitatis opaca reserando perduxit. De cuius uirtutibus multa quidem audiuimus. Sed de plurimis unum tantum miraculum studuimus declarare.

1 *Quod anno reuoluto Paulus eadē tamen die qua Petrus occisus sit, à sacris alijs doctoribus nō tenetur sed quod eodē prorsus & anno & die.*

Factum est in quodam loco ut homo laqueū sibi ad extorquendam uitam instigante diabolo prępararet. Cumq; secretum cellulæ in qua hęc ageret reperisset, funem trabi transmissum laqueū cœpit innectere, nomen tamen semper Pauli Apostoli 2 inuocabat, dicens, adiuua me sancte Paule. Et ecce umbra squalida atque funesta quæ nihil minus uultu quam diabolum similabat apparuit ei, hortans ac dicens, Eya age ne moreris exple celerius quod cœpisti. At ille cum hoc opus uitæ extorquendæ pararet, semper aiebat, Beatissime Paule esto adiutor meus. Deinde expedito laqueo cum uehementissime urgeretur ab umbra, ut collum immitteret, subito affuit alia umbra huic similis, dicens ei qui cū homine erat, fuge miserrime. En Paulum Apostolum huc uenientem, 3 inuocatus enim ab hoc homine, ecce adest. Tunc euanescentibus umbris hic ad sensum suum reuersus, & crucem uirtutis dominicæ pectori nutanti depingens, 4 pœnitentiam genis lachrymarum hymbre perfusis agebat cur ista tentasset, unde manifestum est hunc eundem hominem per uirtutem beati Apostoli ab hoc sæuæ mortis præcipitio fuisse saluatum.

2 *Habes sācti Apostoli inuocationē, habes et quod inuocatus affuit*

3 *Inuocatūs ab hoc homine Paulus adest.*

4 *Vides uerā pœnitentiam non esse solū nouam uitā sed cum ea dolorem de peccatis commissis.*

MIRACVLA SANCTI ANDREÆ APOSTOLI, per beatum Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scripta.

Habentur in libro ubi supra.

Cap. 30.

ANdreas Apostolus magnũ miraculum in die solennitatis suę profert, hoc est manna in modum farinæ uel oleum cũ odore nectaris quod de tumulo eius exundat. Per id etiam quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit, exiguũ terra profert fructum. Si uero fuerit copiosum, magnũ arua prouentum fructuũ habere signat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, ut usque mediũ basilicæ profluat riuus ille. Hæc autẽ aguntur apud prouinciam Achaiam in ciuitate Patras, in qua beatus Apostolus siue martyr pro redẽptoris nomine crucifixus, præsentẽ uitam gloriosa morte finiuit, tamen cũ oleum defluxerit tantũ odorem naribus pręstat, ut putes ibi multorũ aromatũ sparsam esse congeriem, quod nõ sine miraculo ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc seu inunctiones factæ, seu potiones datæ, plerunq; languentibus cõmodum præstant. Post cuius gloriosam assumptionẽ multę 1 uirtutes uel ad hoc sepulchrum, uel per loca diuersa in qua eius reliquiæ collocatæ sunt feruntur ostensæ, de quibus pauca memorari non putaui absurdum, quia ædificatio est ecclesiæ, gloria martyrũ, uirtusq; sanctorum.

1 *Virtutes aduertis multas fuisse ostẽsas ad sepulchrum beati Andreæ, uel ad eius reliquias ç*

Tempore quo interfecto Clodomere rege Francorũ, se exercitus reparans Burgundiam deuastabat, in quadam Basilica reliquiæ iam dicti apostoli cũ Saturnini martyris tenebantur, accensaq; Basilica cũ iam tignorũ moles dirueret, pauperes ac senes quos barbaries reliquerat flebãt dicentes; Ve nobis qui tantorũ pignorũ hodie caremus auxilio, nec nobis ultra spes præsentis uitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei adueniens turonicus homo condolens hijs lamentis, & discens uirtutẽ martyrũ non minus fide quã parma, profectus per medias ingreditur flammas, apprehensasq; ab altari sancto reliquias, nihil ab igne læsus extulit foras, sed continuo ita constrictus est, ut gressum in ante agere nõ ualeret, tunc indignũ se iudicans qui ea ferret, unã puellam paruulam impollutamq; elegit a præda, cui capsulam collo imposuit, & sic in patriam prospere accessit. Tunc collocatis in altari Nouicensis ecclesiæ, ubi nulla adhuc sanctorum pignora habebantur, annis singulis deuotissime eorum solennia celebrabat. Cuius filius cum hęc post patris obitum non impleret, a febre quartana per annũ integrũ laborans, 2 uouit ut nouã Basilicam in eorum honore construeret. Quo facto amota febre sanatus est. Sed nec hoc sine diuinitatis prouidentia actum reor, quod eadem die qua beatæ reliquiæ in aliam sunt translatæ basilicam, errantes homines a uia qui beati Vincentij reliquias deferebant, ad uicum ipsum delati sunt. Tunc rogante presbytero diuiserunt, & particulam pignorũ quã in sancto altari unde alias abstulerat collocarunt.

2 *Etiam apud antiquos patres uotorum usus fuit.*

Mummolus autem cũ Theodeberti regis tẽpore ad Iustinianũ Impe

ratorem pergens, Constantinopolitani itineris uiam nauali euectu sulcaret, ad urbem Patras in qua idem habetur Apostolus est appulsus, ac dum ibi cum satellitibus moraretur, infirmata uesica calculosus efficitur. Dehinc diuersis doloribus arctatus febre consumitur, ablataq; delectatione comedendi atq; bibendi, aduectum mortis solũ præstolatur. Igitur dum se ita fessum, & sine spe uitæ decernit, testamentũ suũ petit scribi, munitumq; subscriptionibus, ac sigillis, inquiri præcepit, si forsitan aliquis reperiretur in ciuitate qui peritus in arte medicinæ posśit perituro succurrere. Sed cũ hoc episcopo qui tunc præerat suggeritur, ait, Quousq; uos dilectisśimi casso fatigatis labore, & inter homines requiritis medicinã, cũ habeatur hic cœlestis medicus qui sæpe infirmorũ ualitudines sine herbarum adminiculo, uirtutis propriæ depellat effectu? Et quis inquiunt est ille? Andreas (ait) apostolus Christi. Hæc nunciantes infirmo, rogat se portari ad beati sepulchrũ. Cumq; pauimento 3 prostratus quę necesśitas exigebat fideliter precaretur, mediũ fere noctis omnes qui aderant sopor obtinuit. Statimq; infirmus conatus eijcere urinã, uni innuit, tangensq; unũ puerorũ uoce tenui uasculũ postulat exhiberi, illatumq; dum urinã nititur eijcere, lapidẽ magnũ emisit, qui tã ualidus fuit ut cadens sonũ in ea quæ parata fuerat conca proferret. Tunc ablata febre cum omni dolore naui restauratur incolumis.

3 *Orat ad sepulchrũm Apostoli pauimento prostratus.*

Cap. 78.

Ecclesia quoq; Agatensis, quæ sancti Andreæ apostoli reliquijs plaudit, plerunq; gloriosis illustratur miraculis, peruersores rerũ suarum sæpius arguit. Doniq; Comatharius comes agrũ ecclesiæ ipsius peruadit. Tunc Leo Episcopus huius ecclesiæ ualde mœstus concurrit ad eũ dicens. Relinque o fili res pauperũ, quas ordinationi nostræ dominus commendauit. Ne tibi sit noxiũ, & a lachrymis egentiũ, qui de fructibus eius ali consueuerant eneceris. Ille uero qui erat hæreticus, paruipendens ea quæ ab episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die arripitur a febre. Cunq; nõ modo ardore corporeo, uerũ etiam animæ uexaretur incõmodo, misit ad episcopum nuncios dicens. Dignetur pro me sacerdos orationẽ fundere ad dominum, & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic a ualitudine quæ grauabatur conualuit, factusq; sanus ait suis. Quid putatis quid isti nunc 4 Romani dicant? Aiunt enim me ob hoc fuisse febre grauatũ quia tulerim agrum eorũ. Quod mihi iuxta consuetudinẽ humani corporis accidit. Veruntamen non habebunt eum me uiuente. Et dicto citius misit qui eum iterum auferret.

4 *Vide Romanos distingui contra hæreticos, quoniam Romana Ecclesia catholica est atque Apostolica.*

Quod cum episcopus cõperisset, uenit ad eum dicens. Num pœnitet te prius fecisse bene quod hoc iterum conaris euertere? Ne facias quæso, ne ultioni diuinæ subiaceas. Qui ait ad episcopũ, Sile: Sile decrepite. Nã infrenatũ te loris circuire urbẽ super asinum faciam, ut sis ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens ad nota recurrit pręsidia. Prosternitur in 5 oratione, celebrat uigilias, ac noctẽ totam in lacrhymis & psalterio ducit.

5 *Ecce sanctorũ uirorũ nota præsidia.*
Orationes
Vigiliæ
Lachrymæ
Psalterium.

ducit. Mane autem facto accedit ad Lichnos qui de camera ad ecclesiam dependebant, extendensq; uirgã quã tenebat in manu, effregit cunctos dicens, Non hic accendetur lumen, donec ulciscatur deus de inimicis, & restituat res domus suæ. Hæc eo dicente protinus hæreticus ille in re diuiua febre corruit. Cunq; in extremis ageret, misit ad episcopum dicens, Oret pro me sacerdos ad dominũ ut uiuã & restituã agrũ, ac simile eius conferã dominationi. Quibus pontifex respondit, iam oraui ad dominũ & exaudiuit me. Missit & alios ac tertios ad eũ nuncios. Sed sacerdos in uno responso persistens, non mouebatur ad hęc, ut pro eo orationẽ daret ad dominũ. Hæc ille hæreticus cernens, iussit se in plaustro cõponi, atq; ad eundẽ euehi, ac per se deprecatur episcopũ dicens, quia dupla satisfactione restituo agrũ, quẽ inique peruasi, tantũ ut oret pro me sanctitas tua. Illo quoq; recusante, cõpulit eum ui ut abiret ad ecclesiam, quo discedente ut ecclesiam est ingressus, & hic 6 spiritum exalauit, recepitq; confestim ecclesia rem suam.

6 *Notet hoc exemplum hæretici qui bona tẽporalia Ecclesijs auferunt.*

MIRACVLA D. THOMÆ APOSTOLI, PER beatum Gregorium Turonensem Archiepiscopũ scripta.

Habentur in libro ubi supra. Cap. 31.

THomas Apostolus secundũ passionis eius historiã in India passus declaratur. Cuius beatũ corpus prius multũ tẽpus assumptum in ciuitate quã Syri Edissam uocant, translatũ est, ibiq; sepultũ. Ergo in loco regionis Indiæ quo prius quieuit. 1 monasteriũ habetur & tẽplum miræ magnitudinis, diligenterq; exornatum atq; cõpositũ. In hac igitur æde magnũ miraculũ deus ostendit. Lichnus 2 etenim inibi positus atq; illuminatus, ante locũ sepulturæ ipsius perpetualiter die noctuq; diuino nutu resplendet, a nullo fomentum olei scirpiq; accipiens, neq; uento extinguitur, neq; casu dilabitur, neq; ardendo minuitur, habetq; incrementũ per 3 Apostoli uirtutẽ, quæ nescitur ab homine. Cognitum tamen habetur diuinæ potentiæ. Hoc Theodorus qui ad ipsum locum accessit nobis exposuit.

In supradicta igitur urbe in qua beatos artus diximus tumulatos, adueniente festiuitate, 4 magnus aggregatur populorũ cętus, ac diuersis regionibus cũ uotis negocijsq; uenientes, uendendi emendiq; per triginta dies sine ulla thelonei exactione licentia datur. In his uero diebus qui in mense habentur, quinto, magna & inusitata populis præbentur beneficia. Non scandalũ surget in plebe, non musca incidet mortificatæ carni, non latex deest sitienti. Nam cũ iam iam reliquis diebus plusquam centenum pedum altitudine aqua hauriatur a puteis, nunc paululum fodias, limphas exuberantes inuenies, quod non ambigitur uirtute beati Apostoli impartiri. Decursis igitur festiuitatis diebus, theloneum publico redditur musca quæ defuit, adest, propinquitas aquæ deficit, dehinc demissa diuinitus pluuia ita omne atrium templi à sordibus & di-

1 *Ecce templum & monasterium miræ magnitudinis, ac diligenter exornatũ in honorẽ Apostoli. Cur ergo nostro tpe hæc à quibusdam reprehenduntur?*

2 *Si accendere luminaria ante sanctorũ corpora malũ esset, deus tantũ miraculum nõ operetur in hoc lichno*

3 *Ecce quod quicquid miraculorũ apud sanctos fit, diuina potẽtia in illis & per illos gerit, ut ueram fidẽ in nobis confirmet.*

4 *Vides antiquũ morẽ fuisse in festiuitatib' sanctorũ solẽnes apud illos cõuentus facere, panagyres ducere & uota plurima deferre?*

uersis squaloribus qui per ipsa solennia facti sunt, mundat, ut putes eum non fuisse calcatum.

Habetur in libro ubi supra.

MIRACVLA SANCTI STEPHANI protomartyris, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Cap. 32.

STephanus primus uel diaconus ecclesiæ sanctæ, uel martyr, apud Hierosolymam sicut sacra Apostolorum narrat historia, pro fide Christi quē à dextris uirtutis spiritali cōtēplatione cernebat, lapidibus est obrutus, pro persecutoribus dum saxorum turbine quateretur ipsam supplicans maiestatem.

Erat igitur oratorium apud urbē Turonicam ab antiquis eius nomine dedicatū, quod nos parumper iussimus prolongari. Quod cū factum fuisset, & altare ut erat integrū in ante promouimus. Requirentes uero in loculo, nihil de pignoribus sanctis quod fama ferebat reperimus. Tūc misi unū ex abbatibus ab oratorio domus ecclesiasticæ, ut nobis eius reliquias exhiberet, oblitus tamen clauem capsæ porrigere, quæ cū cingulo dependebat. Veniens uero abbas ablatū ab armario sigillū capsam repperit obseratam. Quid faceret, quid ageret in ambiguo dependebat. Si ad me ueniret, longum erat redire & reuerti. Si ipsam capsam exhiberet, molestum mihi esse nouerat, quia multorū ibi sanctorū pignora tenebantur. Si nō faceret iussionē quā acceperat nō implebat. Quid multa? dum capsam in manu dubitans retineret, resilientibus cū sonitu repagulis capsam aspicit reseratam. Tunc, cū gratiarum actione assumptas reliquias nō sine grandi admiratione nobis exhibuit, quas nos mihi domino iubēte plantauimus. Regressus aūt post multos dies capsam repperi reducto pessulo sicut reliqueram obseratam. Pars autē beati sanguinis Sacro Sancti Leuitæ huius sicut celebre fertur, in altari Biturigę ecclesię cōtinetur.

Quidā autē tēpore Felicis episcopi uicinos suos quodā pro crimine impetebat, quos cū plerunq; uerbis procacibus lacesseret, ac iudicio publice prouocaret. Decretum est sentētia primorū urbis, ut se ab hac nexa qui impetebantur. Sacramento purgarent, ingressiq; in huius memoratæ ædis altare, cū eleuatis manibus sacramēta proferrent, prosecutor causæ periurasse eos clara uoce testatur, statimq; 1 elatis in sublime pedibus in aera excutitur, ac illiso capite in pauimento pene exanimis a circunstanti turba cōspicitur. Post duarū fere horarū spacium, cū ad liquidum putaretur spiritū exalare, apertis oculis, crimen fatetur, se iniuste fatigasse homines uel proclamasse in ipsos declarauit, sicq; laxatis insontibus manifestato nocente uirtus beati perpatuit.

1 Vides quantum malum sit crimen periurij alicui falso imponere.

Apud Burdegalensem autē urbē anus quædā grauata senio, sed fide mentis integræ subleuata, cui mos erat in sanctorum basilicis misso oleo Lichnos accendere, ut hoc negocium ageret, nocte dominica beati Petri

Apostoli basilicā ingressa est. Huius enim altaris posita in altum pulpita locata habentur, cuius pars inferior in modū Criptæ ostio clauditur, habens nihilominus & ipsa cum sanctorꝝ pignoribus altare suū. In hac uenerabilis mulier ad accendendum, ut diximus, lumen deuota descēdit, unā tantūmodo habens puellulā in comitatu suo. Quod opus dum ageret, & nox adueniens mundū tenebris operisset, accedētes clerici cū psalmorꝝ capitulis, obserato Criptæ ostio discesserunt, ignorātes introrsum esse mulierē. At illa accenso lumine ad ostium properat, ut egrederetur. Quod cum clausum esse sensisset, uoces emittit, qui ei aperire debeat, ex nomine uocat. Sed cum nō esset uox præ senio ita ualida quæ posset penetrare hæc claustra, ubi se sensit a nullo audiri, prostrata in pauimento quieuit dicens, deprecor pro peccatis meis & populi, dominum oīum creatorem, quoad usq; ueniat qui reserare debeat huius ædis ingressum. In qua oratione excubans, uidit circa mediū ferè noctis patefactis ostijs omnem basilicam immenso lumine effulgere. Et ecce chorus psallentiū, ingressus est basilicā. Et postq̄ dicta gloria trinitati psalterij modulatio conquieuit, audiuit mulier uiros conquirentes inter se atque dicentes, moram nobis facit sanctus leuita Stephanus, iam enim alias debebamus adire basilicas, & non possumus nisi ille prius qui præstolatur, adueniat.

Hæc enim crebro repetentibus aduenit uir subito in ueste alba, cuius personā omnis illa uenerans multitudo salutauit humiliter dicens, Benedic nobis sacer ac sancte Leuita Stephane. At ille iterū salutans, data oratione interrogatus ab eis cur à uisitatione locorꝝ Sanctorꝝ paululū retardasset. Respondit, nauis in mari periculū demersionis incurrerat, ibique 2 inuocatus astiti, erutaq; naui ecce adsum. Et ut ipsi probetis esse uera quæ loquor, uestimentum quod indutus sum, adhuc guttis stillantibus marinis fluctibus noscitur humectatum. Hæc mulier cum tremore magno opprimens pauimētum intente aspiciebat. Quibus descendentibus, & rursus ostijs diuinitus obseratis, hæc ad locum in quo Sanctus steterat accedens, sudario guttas quæ in pauimēto fuerant dilapsæ diligenter collegit. Et Berthrāno qui tunc episcopatu urbē regebat manifestauit. Quod ille cū gaudio & admiratione magna suscipiens, secum retinuit, de hoc enim sudario multi infirmi sanitatē adepti sunt, ac plerunq; & ipse pontifex de eo decidens pignora ubi ecclesias cōsecrabat, fideliter collocauit. Hæc autem ab ipsius episcopi relatu cognouimus.

2 Ecce quantam habeāt sancti potestatē post mortē. Et q̄uo sancti inuocati suis inuocatoribus adsint, ac mira beneficia præstent.

Habetur in ope eiusdem in gloriam plurimorū martyrū editū. Cap. 33.

MIRACVLVM DE CORPORE D. BARTHOLOMEI Apostoli, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

BArtholomeū Apostolū apud Indiam passum agonis ipsius narrat historia. Post multorū uero annorū spacia à passione eius, cū iterū Christiana persecutio aduenisset, & uiderent gentiles omnē populum ad eius 1 sepulchrū concurrere, eiq; deprecationis asiduæ incensa

1 Vides q̄uo etiam antiquitus populi ad sanctorū sepulchra cōcurrebant, sicut et modo fit, & deprecationes asiduas illis deferrebant.

deferre; inuidia illecti abstulerunt corpus eius, & ponentes in sarcophagum plumbeum proiecerunt illud in mare, dicentes; Quia non seduces amplius populum nostrũ, sed 2 prouidentia dei cooperante per secretum operis eius, sarcophagum plumbeũ à loco illo aquis subuehentibus subleuatũ, delatũ est ad insulam uocabulo liparis. Reuelatumq; est Christianis, ut eum colligerent, collectumq; est ac sepultum super quo etiam ædificauerunt 3 templum magnũ, in quo nunc inuocatus prodesse populis, multis uirtutibus ac beneficijs manifestatur.

2 Si in sanctorũ corporib⁹ nil aliud esset nisi cinis emortuus, uilis fauilla, ossaq; consumpta, neq; in eis radiaret diuina uirtus & gratia spũs sancti, nõ edidisset deus tantũ miraculum circa corpus Apostoli. 3 ac beneficia confert.

Habes hic magni templi constructionem, habes quod Apostolus in eo inuocatus multas uirtutes

Habentur in libro ubi supra.

MIRACVLA D. CLEMENTIS PAPÆ ET MARtyris, per beatũ Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scripta.

Cap. 34.

1 Dies solennitatis sancti Clementis. Et in eo fit ad eius sepulchrum populi concursus, mare iter præbente.

CLemens martyr ut in passione eius legitur, anchora in collo suspensa, in mare præcipitatus est. Nunc autem in die 1 solennitatis eius recedit mare per tria miliaria, siccumq; ingredietibus iter præbens, usque ad sepulchrum martyris peruenitur. Ibiq; uota reddentes orantes populi, regrediuntur ad littus.

Cap. 35.

Factum est autem ut in una solennitatum mulier cum filio paruulo in loco accederet. Epulante uero ea post acta solennia obdormiuit infans. Dum autem hæc agerentur, ecce sonus subito factus est accedentis pelagi, dehinc oblita mulier sobolis suæ, cœpit uelociter cum reliquo populo petere ripam. Igitur in sequenti maris accessu postquam ad littus uenerat, meminit se filium reliquisse. Tunc cum fletu magno deiecta terris, miseram se clamitans, littora uocibus replebat, atq; discurrebat per circulum riparum, si forte enecatam prolem eiectamq; litori aliquis conspexisset. Sed cum nihil inueniret iudicij, tandem consolata a propinquis ad propria reducitur, totum annum in luctu ac lamentatione deducens.

2 Vide orationem ad sepulchrum martyris emissam cum prostratione.

Recurrente autem anni circulo, uenit iterum ad expectandum martyris beati solennitatem si fortassis de infantulo aliqua inuenire possit indicia. Quid plura? recedente mari anticipat omnes ad ingrediendum, & ipsa prima procedit ad tumulum. Cunque prostrata solo 2 orationem explesset, erecta sursum genis ubertim fletuum imbribus madefactis, dum diuertit in parte altera uultum, aspexit filium in eodem loco ubi cum dormientem reliquerat, in ipso adhuc sopore teneri. Aestimans autem eum esse defunctum, accedit comminus quasi collectura cadauer exanime, sed cum eum dormire cognouisset, excitatum uelociter expectantibus populis incolumen leuauit in ulnis, interrogansq; inter oscula ubi per anni fuisset spacia, nescire se ait si annus integer præterisset, tantumq; dormisse se suaui sopore in unius noctis spatio æstimabat.

Fons

Fons erat irriguus ruri cuidam infra territorium urbis lemonicinæ, cuius unda tam hortorum sita q̃ agrorum culta, uel fouebat accessu,uel impetu fecundabat. Deducebatur etiã factis decursibus per loca necessaria,ut ubi eum natura nõ dabat, studiũ prouocaret. Et erat tam dulcibus uena exuberante fluentis,ut gaudere cerneres olus siue uirgultũ, si fuisset ab eodẽ irrigatũ. Opitulabatur etiã in eo gratia maiestatis diuinæ, ut in quo fuisset fluentum,emissum,uelociter germina acciperent incremẽtum. Cunq; eũ incolæ loci quasi ludũ agentes,per singula quæq; loca deducerent, insidiatoris(ut credo)inuidiæ sub terra dehiscit, ac uelut in stadijs duodecim in mediũ paludis ubi nullũ prorsus posit opus efficere fluctibus sparsis exoritur. Ex tẽplo omnium mentes timor obsedit, & nouũ quendã aduenire regioni loci incolę præstolantur interitũ,simulq; & beneficium quod habere consueuerant, iugi fletu deplorant. Curiculũ igitur unius atq; alterius anni in hac ariditate pertransijt, arescunt siti loci illius omnia quæ irrigare consueuerat. Cap. 36.

Tertio aũt anno accidit ut quidam iter agens, beati clementis martyris cuius iam supra meruimus,reliquias exhiberet,quas Aredio ipsius urbis presbytero,uiro in omni sanctitate religioso detulit,ad quẽ cũ die noctuq; uicini mœsti penderent,confisi de eius oratione,quod si peteret dominũ,fontem posit suo restituere loco,ait: Eamus dilectisimi, & si uera sunt quæ portitor noster asseruit, hæc esse clementis martyris pignora, nunc apparebit,cũ eius fuerit uirtus manifestata. Tũc eum psalterio ad locũ fontis accedit, & dictis 3 psalmis in oratiõe prosternitur. Positisq; sanctis reliquijs in ipso fontis aditu, petijt, ut qui quondã in deserto damnatis ad secanda marmora fluminis irriguum patefecit, in hunc locum aquas quas prius pia ipsa indulserat clementia clemẽtis iterũ intercesio reuocaret, illico uena recurrit ad aditũ magnas euomens aquas illumq́; quẽ prius tenuerat, alueum decurrendo replens admirantibus populis. Immensæ gratię domino referuntur,qui & martyris 4 uirtutem prodidit, & fidelis sui orationem implere dignatus est.

3 *Ecce psalmodiam, & orationẽ cum prostratione.*

4 *Miracula quæ ad sanctorum inuocationem fiunt, quãta sit eorum uirtus manifestant.*

MIRACVLA SANCTORVM CHRISANTI & Dariæ martyrum, per eundem Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habentur ubi supra.

CHrisantus martyr ut historia pasionis eius declarat, post acceptã martyrij coronã cũ Daria uirgine multa populis sanitatũ beneficia tribuebat. Et ob hoc etiam Eripta super eos miro opere fabricata est, quæ in arcuũ modo transuoluta, firmisima stabilitate subsistit. Dumq; ad eius 1 festa populorũ frequentatio cõfluxisset, iniquisimus Imperator erecto in illius Eriptæ introitu pariete,conclusa multitudine, iusit ædẽ arena ac lapidibus operiri. Factusq; est desuper mons magnus, idq; gestũ certisime ipsius manifestant scripta certaminis. Quæ Eripta Cap. 37.

1 *Ad festa sancti Chrisanti populorum frequentia confluebat.*

diu sub hoc uelamento remansit operta, donec urbs Romana relictis idolis Christo domino subderetur. Iamq; procedente tempore nulli erat cognitus locus ipsius sepulturæ, donec domino Iesu reuelante patefactum est. Cuius parte in una loci interposito pariete, sepulchra martyrũ Chrisanti & Darię segregata, parte in alia sanctorum reliquorum cadauera in unum sunt congregata. Veruntamen in pariete illo qui est in medio positus, fenestram structor patefactam reliquit, ut ad cõtẽplanda sanctorũ corpora aditus aspicienti patesceret.

Ferunt etiam quod eo tẽpore quo ad sancta solennia accedẽtes inclusi sunt, argenteos urceos ex metallo formatos cũ uino quod ad oblationem sacrificiſ diuini offertur, secũ homines detulissent, argentũ ibi remansisse, eumq; hodie a conspicientibus cerni. Sed quia iugiter mens humana turpibus erubescendisq; cupiditatibus inhiat (Subdiaconus quidã uiso per fenestram argento) cogitat intra se quod postero die auaritia impellente cõpleuit. Nocte enim consurgens ingressus est basilicam sanctorum. Deinde per fenestrã ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noctis palpans manibus, aliquos de urceis capit, deinde egredi cum præda cupiens, per totam noctem circuniens, nunquã potuit aditum unde ingressus fuerat reperire. Dato uero die dum opera sua obtegi conscius sceleris uoluit, iuxta illud dominici oraculi dictum, quod omnis qui male agit odit lucẽ, ut non manifestentur opera eius, occultauit se in angulo cellulæ tota die, ne uideretur. Sequenti uero nocte quæsiuit iterũ aditum, sed reperire non potuit, sic per trium noctium curricula fecit. Tertia uero die cum iam fame cruciaretur, accessit corã populo ad fenestrã, & relicto argento confessus est opus suũ, egressusq; est foras cũ magna uerecundia, nec latuit scelus quod gesserat populis qui aderant.

Ecce quõ puniuntũr qui sacra uasa furto subtrahere moliũtur.

Post multum uero tẽporis cognoscens hoc factum Damasus antistes sanctæ sedis apostolicæ, iussit diligentius aperiri fenestrã, ubi & uersibus decorauit locũ. Et ibi benedicitur dominus noster Iesus Christus ad laudem nominis sui usque in hodiernum diem.

Habetur ibidem.

MIRACVLVM D. PANCHRATII MARTYRIS per D. Gregorium Archiepiscopum scriptam.

Cap. 38.

Est haud procul a Romanæ urbis muro Panchratius martyr, ualde in periuros ultor, ad cuius sepulchrũ si cuiusquã mens insana iuramentũ inane proferre uoluerit, priusquã sepulchrũ eius adeat, hoc est antequã ad cancellos usq; qui sub arcu habentur ubi clericorũ psallentium stare mos est, accedat, statim aut arripitur a dæmone, aut cadens in pauimento amittit spiritum. Ex hoc enim quisq; fidem cuiuscunque rei ab alio uoluerit elicere, ac uerum cognoscere, non aliter potest nisi ad huius basilicam destinet. Nam ferunt plerosq; iuxta basilicas apostolorũ siue aliorũ martyrũ cõmanentes, nõ alibi pro hac necessitate nisi tẽplum

Aduertis magnũ miraculum contra peierantes in Ecclesia.

expetere beati Panchratij, ut eius 2 seueritatis censura publice discernẽte, ueritatem audientes credant, aut pro fallacia iudicium martyris beati experiantur.

2 Habes hic magnam habere sanctos potestatem post mortem. Habes etiam eosdem in Dei lumine scire q̃ circa nos aguntur, cũ Panchratius tã seuere puniat eos qui in eius ede iurãtes mentiuntur.

Habentur in eodem libro. Cap. 41.

MIRACVLA BEATI LAVRENTII martyris, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

TEmplum erat in quodam loco beati 1 Laurentij, & nomine & reliquijs consecratum, quod per iniuriam longinqui tẽporis ualde detectum erat, quod cũ renouare loci incolę uellent, syluas adeunt, incisa leuigataq; ligna trabes efficiunt, Impositisq; plaustris ad locũ exhibent. Quibus per humũ ad ordiendum extensis, una breuior est reperta. Statimq; sacerdotis animum qui his insistebat dolor maximus attigit, & flens ualde, quid ageret, quo se uerteret ignorabat. Tunc intuens robur breuius ait, O Laurenti 2 beatissime, appositus igni glorificate, semper pauperes fouens, ac reficiens, cogita paupertatẽ meam, quia non est exiguitati nostræ facultas qualiter hic alia exhibeatur. Ilico cunctis attonitis trabes creuit, ita ut necesse esset partem magnã incidi. De qua industria plebs beneficia perdere nephas putans, credens eam manu martyris tactam ac prolongatam, partem quæ superfuerat frustratim deserpens, diuersas infirmitates sępe submouit. Quod Fortunatus presbyter his uersibus prosecutus est.

1 Vide templum in honorem sancti Laurentij dicatum, uide etiã eius reliquijs cõsecratum.

2 Ecce quam clare & aperte sanctum inuocat sacerdos, & quam cito inuocatus miraculo affuit. Quid ergo iactas hæretice sanctos non esse inuocandos?

Laurentij merito flammis uitulibus uste
Qui feruente fide uictor ab igne redis.
Cum tibi templa nouant breuiori robore plebes
Creueruntq; trabes creuit & alma fides.
Stipite contracto sese mercede tetendit
Quantum parua prius postea cæsa fuit.
Crescere plus meruit succisa securibus arbor
Et didicit sicca longior esse coma.
Vnde recisa fuit populis fert inde salutem
Si uenit intrepidus lumina cęcus habet.

Multo plures exinde scripsit uersiculos, quos ego prætermisi, hos tantũ pro testimonio uirtutis scribens. Acta sunt autẽ hæc apud Briones Italię castrum. Nam uidi ego Ioannem qui grauiter dentium dolore laborans, acceptam de hoc ligno a sacerdote particulam fauci ĩmitens, dentem attigit, doloreq; protinus caruit. Sed nec illud silendũ putaui, quod reliquiæ eius ab incendio hostilitatis ereptæ, a quodam homine in lemonicinio delatæ sunt. Qui cũ sæpius admoneretur per uisum, ut easdẽ Aredio abbati deferret, nec iussionem impleret, ipse cũ coniuge & omni familia ęgrotare cępit. Tunc necessitate cõpulsus ut eas uiro sancto detulit, mox sani-

tati restitutus abscesit.

Est etiam apud Mediolanensem urbẽ basilica sancti Laurentij leuitæ ubi admirabili pulchritudine calix cristallinus habebatur. Acta uero quadam solennitate, dum per diaconem ad sanctum altare offerretur, elapsus manu in terram ruit, & in frusta cõminutus est. At diaconus pallidus & exanguis, collecta fragmenta uasculi super altare posuit, nõ diffisus quod eum posset uirtus martyris solidare. Deniq; in 3 uigilijs, lachrymis atq; oratione deducta nocte, requisitum calicem reperit super altare solidatũ, quæ uirtus cũ populis nunciata fuisset, tanta animos deuotione succendit, ut a sacerdote peterent noua in eius honore solennia celebrari. Tunc Pontifex loci suspendit super altare calicem, & tunc agens, & in posterũ per singulos annos deuotisime festa instituit celebrari.

3 In uigilijs, lachrymis & oratione deducta nocte.

Habentur ut supra.

MIRACVLA BEATORVM AGRICOLÆ & Vitalis, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Cap. 41.

AGricola & Vitalis apud Bononiam Italiæ urbem pro Christi nomine crucifixi sunt, quorum sepulchra ut per relationẽ fidelium cognouimus, quia nondum ad nos historia pasionis aduenit, super terram sunt collocata. Quæ cũ a multis ut fit, 1 tangerentur manu, uel ore oscularentur, admonitus est ędituus templi, ut ĩmundi ab his arcerentur. Quidam audax atque facinorosus, opertorium unius tumuli remouet, ut scilicet aliquid de 2 sacris auferret cineribus, missoq; introrsum capite, oppressus ab eo, uix ab alijs liberatus confusus abscesit. Nec accipere meruit quod temerario ausu præsumpsit, sed cum maiori deinceps reuerentia sanctorum adiuit sepulchra.

1 Sanctorum sepulchra in ueneratione haberi antiquus mos fuit.

2 Vides sanctorũ cineres nõ esse ab immundis contingendas?

Alius quoque tributa publica deferens, sacculum pecuniæ dum iter ageret, negligenter amisit. Appropinquans autẽ ciuitati, recognoscit se amisisse publicũ quod ferebat. Tunc 3 prostratus corã sepulchris beatorum, cũ lachrymis deprecatur, ut perditum eorũ uirtute recuperet, ne ipse coniunxq; ac liberi ob id captiuitati subijcerentur. Egressus autẽ foris in atrium, uirum qui hanc pecuniam in uia iacentem reppererat nactus est, scrutansq; diligenter suam esse cognouit, & tẽpore hic sacculum inuenisse se dixit eo, quo iste martyrum auxilium flagitauit.

3 Prostratus corã sepulchris beatorum, cum lachrymis deprecatur ut perditum eorũ uirtute recuperet.

Horum reliquias Namacius Aruernorũ episcopus deuote expetijt, ut scilicet eas in ecclesia quã ipse construxerat collocaret, direxitq; unũ illuc presbyterũ, qui abiens cũ Dei gratia quæ petierat detulit. Regressusq; cũ socijs in quinto ab Aruerna urbe miliario reuertentes metatũ accipiunt. Et ad Episcopũ missos dirigunt, ut eis quid agant iubeat ordinare. Mane autẽ facto sacerdos ammonitis ciuibus cũ 4 crucibus & cereis ad occursum sanctarũ reliquiarũ deuotisimus properat. Cunq; ei presbyter offer

4 Ecce quãtus honor sanctis et beatis reliquijs defertur.

ret ut beatas reliquias aſpiceret ſi liberet. Et ille mihi (inquit) maius eſt hæc credere ꝙ̃ uidere. Sic enim in ſcripturis legimus, quia ipſe dominus eos beatos indicat, qui cũ non uiderint credidiſſent. Hac itaque ſacerdotis fide pollente, dominus ſanctos ſuos glorificauit in uirtute. Nam uenientibus illis ſubito contenebratũ eſt cęlum, & ecce hymber umbroſus atque deterrimus ſuper eos deſcendit, & tanta pluuia ibidem eſt diffuſa, ut flumina per uias illas currere cernerentur. Veruntamen circa ſancta pignora per unũ ualde iugerũ neque una gutta uiſa eſt cecidiſſe. Et abeuntibus illis, pluuia eos a longe quaſi præbens obſequium ſequebatur, populum fouens, Geſtatores autem pignorũ non attingens. Hæc uidens Pontifex, magnificauit dominũ, qui fidei ſuæ fauens, talia ad ſanctorũ gloriam operari dignatus eſt. Congregatis uero ciuibus, cũ magno gaudio atq; deuotione ſanctam eccleſiam his illuſtratam 5 pignoribus dedicabat.

5 Cõſidera eſſe antiquũ inſtitutum quod ſanctorum reliquijs Eccleſiæ dedicentur.

MIRACVLVM BEATI VICTORIS Martyris, per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in eodem libro.

Cap. 44.

MAgnificatur apud Mediolanenſium urbẽ Victor inclytus martyr, quod 1 ſępius uinctos ab ergaſtulis diſſoluat captiuoſq; liberos abire permittat. Igitur quodam tẽpore Apollinaris cum Victorio duce Italiam petijt, quo ut aiunt apud urbẽ Romã interfecto, Apollinarem incolæ loci quaſi captiuũ retinebant dicentes, Non uidebis patriam tuã, ſed dignas ut ſceleſtus pęnas exſolues. Hæc autem cõminati miſerunt eũ in exilium apud urbẽ Mediolanenſium. Factum eſt autem ut adueniente 2 feſtiuitate Sancti Victoris conuenientibus populis, & hic 3 uigilijs intereſſet, ſub libera enim cuſtodia abſolutus attẽdebatur, 4 proſtratuſq; corã ſacro ſepulchro ſancti, cũ ſemper, tum tunc impenſius orare cępit, ut eum uirtus martyris ab hoc exilio liberaret. Circa medium uero noctis egreſſus ab æde, audiuit unum de egenis loquentem ad alium atque dicentẽ. Quid putas ô cõpauper, quę uirtus ſit huius martyris? Verum dico, nec fallor, quia in hac nocte quiſquis captiuus a domino per fugã dilabitur, abſolutus in patriam accedit, nec prorſus ultra reperitur. Hæc Apollinaris uerba quaſi auſpicium ex Dei nutu miſſum accipiens, iterũ atque iterũ prouolutus ad tumulum martyris, orat ut uirtute eius adiutus, abſq; impedimento poſſit abſcedere. Moxq; uocato puero equũ ſterni pręcepit dicens. Hodie abſoluendi ſumus a uinculo iſto cuſtodiæ. Et aſcendentes ita alpium iuga atq; alium congerium montẽ oppleta multitudine tranſierunt, atque Aruernum delati ſunt uirtute 5 beati martyris pręeunte, ut a nullo interrogarentur quo tenderent, uel unde uenirent, manifeſtumq; eos præſidio beati martyris ab hac erumna fuiſſe ſaluatos.

1 Ecce quantã ſanctus martyr habeat poteſtatem.

2 Nota feſtum ſancti Victoris.

3 Vide q̃uo ante ſanctorum feſta etiam antiquitus uigiliæ celebrabantur populis ad eas conuenientibus.

4 Proſtratus corã ſacro ſepulchro ſancti, impẽſius orare cœpit, ut eum uirtus martyris ab hoc exilio liberaret.

5 Ecce q̃uo ſancti cũ fiducia inuocati, præſidium præſtant eos implorantibus.

Habetur ubi supra.

MIRACVLVM BEATORVM MARTYRVM Geruasij & Prothasij, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scriptum.

Cap. 46.

IN urbe Mediolanensi beatorũ martyrũ Geruasij Prothasijq; uictricia corpora retinentur, q̃ diu sicut ipsa passionis narrat historia, sub fossa latuerunt, quæ beato Ambrosio reuelata atque ab eodẽ reperta, in basilicã quã ipse ꝓprio ædificauit studio, ostensis miraculis sunt sepulta, de quoꝝ reliquijs q̃a maxime Turonica urbs seniores 1 ecclesias cõtinet illustratas, ędes per totũ Galliarũ ambitum dilatatæ sunt. Sermo quadam uice de hijs, quibusdam religiosis est habitus, qua de causa antedictæ reliquiæ tam condensę fuerint per loca singula distributæ. Et quæ super hijs quodam referente audiui, absurdũ non putaui inserere lectioni, quia non continetur in historia pasṡionis eorũ. Aiebat enim quod quando gloriosa corpora translata in illam ecclesiam fuerunt, dum in honore ipsorũ martyrũ missarũ solennia celebrarentur, cecidisse è camera tabulam unã quæ illisa capitibus martyrũ, riuũ sanguinis elicuerit, de quo infecta sunt linteamina uel pallulæ siue uela ecclesiastica, beatusq; cruor in illis collectus est, qui usque adeo confluxisse fertur, quoadusq; linteamina quæ susciperent sunt repleta. Ex hoc enim eorũ reliquiæ affatim collectę, per uniuersam Italiam uel Galliã sunt delatæ. Ex quibus & sanctus Martinus multa suscepit, sicut Paulini beatiṡsimi narrat epistola.

1 Vides quod sanctorũ reliquijs Ciuitates et Ecclesiæ illustrantur.

MIRACVLA BEATORVM NAZARII ET CELSI martyrum, per D. Gregorium Archiepiscopum scripta.

Habetur in eodẽ loco.

Cap. eodem 46.

DE sancti Nazarij ac Celsi pueri artubus quos apud Ebredunẽsem Galliarum urbem passos lectio certaminis narrat, & ita corpora ipsa clam propter Paganorũ insecutionẽ sepulta sunt, ut in tẽpora secutura obliuioni darentur, referre erat solitus uir ille qui de supradictis sanctis quæ præfati fuimus enarrauit, natam fuisse super hæc sepulchra pirum arborẽ, & fecisse quendam pauperẽ hortulum in hoc loco, qui hanc arborẽ concludebat. Verũ cũ poma iuxta morem tẽpore debito ferret, quicunque exinde infirmus quacunque ægritudine detentus, pomum mordens decerpsisset, mox ablata infirmitate conualescebat. Vnde magnũ quæstum pauper ille habebat. Sed cũ se reuelantes martyres arborẽ incidi iussissent, pauper ille magnis fletibus prorumpens, incidi arborẽ nõ sinebat. Quo remoto, succisa piro, basilica 1 miro opere ædificata est, in cuius etiam altari beati Genesij Arelatensis martyris reliquię uenerãtur. Tantaq; pauper ille fide prělatus est, ut sacerdotium in hac ecclesia deinceps promouerit.

1 Basilica miro opere ædificata est.

Cap. 60.

In territorio quoque urbis Nanneticæ in uico quodam supra alueum Ligeris, beati Nazarij reliquię continentur. Igitur quodam tẽpore homo

deuotus balteum ex auro purissimo cũ omni apparatu studiosissime fabricatũ, super altare basilicę illius posuit, orans, ut in causis suis martyris uirtus dignaretur adesse. Quo recedente Brito quidam ex satellitibus Vuarochi britannorũ comitis & primus cũ eo affuit, ablatoq; uiolenter apparatu baltei, ipsumq; balteum repetit, renitente presbytero atque dicente; Dei res hę sunt, & ad reficiendos pauperes sancti Martini sunt collatæ, ne famem pessimã patiantur; qui huic tẽplo fideli deuotione deseruiunt, unde tu potius huc aliqua inferre, nõ auferre debebas. Non molliuit hominis auari animũ abbatis illius prędicatio; sed potius minari ei cepit, ac dicere, nisi sine mora refuderis balteum, manu mea interimeris. Tunc uictus abbas, speciẽ super altare quo sancta teguntur pignora collocauit dicens: En ipsam quã petis reculam, si metus de uirtute martyris nullus est; aufer. Erit enim ut confidimus, de uestigio iudex, Si eã auferre præsumpseris. At ille nihil metuens, abstulit, iubens sibi equũ ante ipsam basilicæ porticũ præparari. Cui ait sacerdos, Nullus unq̃ in hoc loco equũ præsumpsit ascendere. Da quęso gloriam Deo, & honora martyrem, ne mali aliquid patiaris. Ille uero mandata negligens sacerdotis; ascẽso equo in atrio sancto ubi egredi uenit, 2 percusso ad portę limen superius capite, ad humũ tecto dirupto corruit, manibusq; suorũ deportatus, tuguriũ cuiusdam pauperculi quod erat proximũ, est ingressus protinusq; spiritũ exalauit. Quod Vuarochus audiens, & res quas hic abstulit restituit, & de suo proprio multa contulit pauore perterritus.

2 Vides quod qui res Deo & Sanctis eius oblatas auferre uolũt, aut sanctis basilicis irreuerentiam facere, seuerissime castigantur.

MIRACVLA BEATI SATVRNINI MARTYris, per D. Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scripta.

Habentur in libro eodem in gloriam plurimorũ martyrũ edito. Cap. 47.

SAturninus uero martyr, ut fertur, ab apostolorũ discipulis ordinatus, in urbẽ Tholosam est directus. Qui impulsu Paganorũ bouis petulci religatus uestigijs, per gradus capitolij pręcipitatus, pręsentẽ finiuit uitam capitis cõpage dispersa. Cuius reliquiæ cũ a quibusdam religiosis in regionẽ alterã transferrentur, itineris ordo contulit, ut Briuatensis pagi situm in Aruerno territorio terminum pręterirent. Sole quoque ruente ad hospitium cuiusdã pauperis diuertunt, mansionis postulando necessitatẽ. Recepti quoque ab homine quid exhibeant narrant. At ille humanitatis intuitu, & Dei timore cõmonitus, capsam cum reliquijs in cellam penariam ponit, ac super annonã quę erat in uase condita locat. Mane quoque dato, uiri acceptis pignoribus gratias agentes homini, iter quod ceperant abierunt.

Sequenti uero nocte admonitus uir ille per uisum, dicente sibi quodã sene, ne maneas in hoc loco, 1 sanctificatus est enim a pignoribus martyris Saturnini. Ille quoque paruipendens uisionem, nihil de his ut habet rusticitas quę admonitus fuerat recogitauit. Nec mora, irruit in tędium, ac paruitas facultatis eius cepit paulatim minui, uxor uero illius ab alio

1 Ecce quõ sanctorũm ossibus & reliquijs loca sanctificationẽ acquirunt.

languore tabescere. Quid plura? Infra 2 unū annū in tantam redactus est exiguitatē, ut nihil ei unde ali, aut tegi posset, sicut humana deposcit necessitas remaneret. Tandem conuersus ad se, dixit ad coniugē. Peccaui corā Deo & sanctis eius, ut ab hoc hospiciolo sicut sum admonitus nō recessi. Et scio quod ob hoc nobis mala quę patimur accesserunt. Nunc autem pareamus uisioni quā uidimus, & remoueamus hoc hospiciolum a loco isto, ut saluemur. Tunc amoto tugurio, oratorium ex ligneis formatum tabulis collocauit, in quo quotidie orationē fundens, opem beati martyris flagitabat. Tandem cessantibus plagis aptanti manus ad operā, tanta fructuū consequentia fuit, ut in modico tēporis spacio, amplius q̄ perdiderat repararet. Hæc infra nostrū territorium gesta sunt.

2 *Vides quāta reuerentia sit habenda sanctorum reliquijs?*

Sed ne hoc silebo ad cōprimendam malorum superbiam quod Plato quidam Clotarij regis tēpore ad Pauliacense monasterium accedens, in cuius oratorio huius sancti reliquiæ continentur, pro eo quod munus aliquod ab abbate non accepisset, dixisse fertur, 3 Ego faciam de hac ecclesia domum regis, in cuius uno angulo equi alantur. Et cū furore discedens, dum ad principē abire disponit, cōprehensus a febre die tertia spiritum exalauit, descendensq; uelociter ad infernū, domum Dei reliquit ad cultum eius, cuius prius fuerat nomine consecrata.

3 *Aduertis quantum huius iniqui simplex uerbum & nudā sine effectu uoluntatē dominus Deus puniuit, qui cogitauit de basilica domum regis facere, & stabulum equorum?*

Cap. 65.

In territorio quoque Aruernensi, tēpore quo Christianus Aruernū abijt cū diuersa scelera ab eius gererentur ministris, quinq; uiri sacrosanctum oratorium domus Iciacensis furtim appetunt. Habentur autem in eo sancti Saturnini reliquię. Irruptum ablatis palliolis, uel reliquis ministerij ornamentis, nocte tegente discedunt. Sed presbyter recognoscens furtū, ac inter uicinos scrutans, nullum potuit ex his quæ ablata fuerant, indicium reperire. Protinus uero latrones qui hæc admiserant, in Aurelianense territorium transtulerunt, diuisisq; rebus, accepit unusquisque partem suam. Sed mox 4 insequente ultione diuina quatuor in seditionibus interfecti sunt. Quintus uero totā sibi furti huius hæreditatem superstes remanens uendicauit. Sed ubi hæc in domo sua contulit, statim obtectis sanguine oculis excæcatus est. Tunc cōpunctus tam doloribus quam inspiratione, 5 deuouit dicens. Si respexerit deus miseriam meā, & mihi uisum reddiderit, referam loco illi sancto quę abstuli. Et hęc cū lachrymis orans, uisum recepit. Accedens uero ad oppidū Aurelianense, prouidente Deo diaconē Aruernum inuenit. Cui traditis rebus, suppliciter exorauit, ut easdem oratorio restitueret. Quod diaconus deuotus impleuit.

4 *Ecce & hic quā seuerum iudicium in eos actum est, qui ornamenta ex sacrosancto oratorio abstulerunt.*

5 *Vides uoti emissionē, rei cupitæ obtentionē, & uoti impletionē? Et tamen nebulones nostri tēporis hæc irrident.*

MIRACVLA BEATI BENIGNI MARTYRIS, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habentur ibidem.

Cap. 50.

BEnignus dominici nominis testis apud Dunonense Castrum martyrio consummatus est. Et quia in magno sarcophago post martyrium

tyrium conditus fuit, putabant nostri temporis homines, & præsertim beatus Gregorius episcopus ibi aliquem positum fuisse gentilẽ. Nam rustici 1 uota inibi dissoluebant, & quæ petebant uelociter impetrabant. Ad hoc ergo beati sepulchrum quidã dum exinde multa beneficia perciperet, 2 cereum detulit, quo accenso, domũ redijt. Puerulus autẽ par uulus hæc obseruans, illo abeunte descendit ad tumulũ, ut ardentẽ cereũ extingueret & auferret. Quo descendente, ecce serpens miræ magnitudinis de alia parte ueniens, cereũ circuncingit. Puer autẽ timens sursum redijt & bis aut tertio cereũ auferre tentans obsistente angue nõ potuit.

Talia & his similia beato pontifici nunciata nullo modo credebat, sed magis ne ibidẽ adorarent fortiter testabatur. Tandẽ aliquando beato confessori dei martyr reuelat & dicit. Quid (inquit) agis? Non 3 solum tu despicis, uerum etiã honorãtes me spernis? Ne facias quæso, sed tegmen super me uelocius præpara. De qua ille uisione concussus, 4 beatũ sepulchrũ adit, ibiq; diutissime pro ignorantia cũ fletu ueniã deprecatur. Et quia cripta illa quæ ab antiquis inibi trãsuoluta fuerat, diruta erat, rursum eam beatus pontifex ædificauit eleganti transuoluens opere. Sed sanctũ sepulchrũ nescio qua causa faciente foris uenit. Quod ille intus transferre cupiens, cõuocauit ad hoc obsequiũ abbates atq; alios religiosos uiros, in quo cõuentu grande miraculũ beatus martyr & populis & suo præstitit confessori. Erat quippe ualidũ ut supradiximus illud sarcophagũ, ut tale in isto tẽpore nec tria paria boum trahere possint. Cunq; diutissime morarentur, nec inuenirent qualiter ipsum intus inferrent, Sanctus Gregorius illuminatis cereis cũ grandi psalterio apprehensum a capite martyris Sarcophagũ, & duo presbyteri ad pedes mouẽtes, illud in cripta habilissime detulerunt, & ubi ipsis fuit placitum cõposuerunt, quod non minimũ populis spectaculũ fuit. Post paucos autem annos ab euntibus in Italiã, passionis eius hystoriã allatã beatus confessor accepit.

Sed & deinceps Sanctus martyr multis se uirtutibus manifestauit in populis. Nec moratus super criptam illã basilicã magnã iussit ædificari. In proximo autẽ est & alia basilica, in qua pascasia quædã religiosa ueneratur. Nã uisum est eo tẽpore structoribus quandã anum egressam fuisse ab ipsa basilica, nigra ueste, cigneo capite, uultuq; decoro, quæ sic effata est structores. Eya dilectissimi, perficite opus bonũ, eleuentur machinæ, quibus erigitur hæc structura, & merito acceleratur quæ talẽ habet executorem. Nam si permitteretur, ut uestrorũ oculorum acies contemplarentur, nempe uideretis uobis operantibus sanctum astare Benignum. Hæc effata, basilicam de qua egressa fuerat ingrediens, nulli ultra comparuit. Autumabant enim eius tẽporis homines, beatam ibi apparuisse pascasiam. Super lapidẽ uero illũ in quo cũ plumbo remisso pedes eius confixi fuerunt, factis loculis uinum ac siceram multi infundunt, unde si aut oculi lippitudine grauati, aut quælibet uulnera fuerint peruncta, protinus fugata infirmitate sanantur. Quod ego euidenter expertus sum.

1 *Ecce antiquum morẽ uouendi, & uota soluendi, ut uelociter obtineantur petita.*

2 *Vide quomodo ante sanctorum sepulchra cerei olim etiam accendebantur.*

3 *Ecce quomodo sancti in Dei & Christi lumine sciunt quæ circa nos aguntur.*

4 *Beatum sepulchrum adit, ibiq; diutissime pro ignorantia cum fletu ueniam deprecatur.*

Nam cum mihi nimia lippitudine oculi grauarentur, ex hoc sacrato unguine tactus, dolore protinus carui. Cum autẽ ad Aruernam regionẽ lues illa inguinaria adueniret, quæ sancti Galli episcopi oratione depulsa est, & in subita contemplatione parietes domorũ atq; ecclesiarum signarentur, matri meæ apparuit in uisu noctis, quasi uinum quod in apotecis nostris habebatur sanguis esset effectum, cui lamentanti ac dicenti, ue mihi quia signata est plaga domus mea, ait ei uir quidam nosti (inquit) quod post pridie quod erit in 5 Kalendis Nouembris passio Benigni martyris celebrabitur? Noui ait: Vade (inquit) & uigila 6 tota nocte in honorem eius, ac reuoca missas & liberaberis a plaga. Expergefacta autẽ a somno, impleuit quæ sibi fuerant imperata, signatisq; uicinorum domibus, domus nostra inuiolata permansit.

5 *Calendis Nouembris passio beati Benigni celebrabitur.*

6 *Vade & uigila tota nocte in honorẽ eius, & liberaberis a plaga.*

Habetũr ũt supra in eodem libro.

MIRACVLVM BEATI SIMPHORIANI MARtyris per D. Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scriptum.

Cap. 51.

SImphorianus martyr apud Augustudunensem urbem martyrium consummauit. De loco autẽ illo, ubi gladio percussus est, & sanguis eius effluxit, quidã religiosus tres lapillos cũ ipso sanguine leuauit, & in capsa argentea repositos, in ecclesiam ligneis constructam tabulis, apud Thigernum castrũ urbis Aruernæ in altari sancto locauit. Tempore autẽ quo Theodoricus rex Francorũ regionẽ illã euertit, hoc castrũ ab hostibus incendio concrematur. Cunq; ab aliarũ domorũ exustione domus dei quæ ut diximus ligneis erat tabulis fabricata, igni apprehensa consumeretur, populi plangentes dicebant. Vtinam uel 1 beatæ reliquiæ non periissent. Interea cum pruinarum magnus esset de incendio aceruus effectus, subito aquilone flante atq; urente uehementer, fauillæ ab incendio relictæ per diuersa iaciuntur. Et ecce capsa illa argentea à copiosi ignis incendio illæsa, refulgens tanq; sidus præclarum apparuit colligentes autẽ eam qui tunc aderant clerici, requirentes nihil de beatis pignoribus diminutum repererunt inter tam ualida incendia gratiasq; deo egerunt speciem tam tenuem sic fuisse saluatam, in qua, ut ita dicam, nõ solum hæc, sed etiã mille libræ argenti aut ferri potuissent sine mora dissolui. Vere magna ibidẽ uirtus apparuit, quæ 2 populum ad dei cultũ, & honorem sui nominis roborat, qui post factam deinceps aliam in codẽ loco basilicam, 3 sanctas reliquias in altari posuerunt.

1 *Vides sãcti reliquias beatas dici?*

2 *Miracula quæ ad sanctorũ reliquias fiunt populos ad dei cultũ & honorem eius nominis roborant.*

3 *Sanctas reliquias in altari posuerunt.*

Habetũr in eodem opere in gloriam plurimorum martyrum edito.

MIRACVLVM BEATI MARCELLI MARTYris, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scriptum.

Cap. 52.

EX beati Marcelli Cabillonẽsis martyris uirtutibus, pauca ad nos mittenda memoriæ monimenta uenerũt, quæ quamlibet parua censeantur in dictis, ad eũ tamen referenda sunt, qui hæc operatur in singulis.

Causa quædam extiterat ut Femius Ennomi quondã Aruerni presbyteri filius, Cabillonensem urbẽ adiret, idemq; apud basilicam Sancti martyris Marcelli hospitalem domũ habebat, ab abbate loci uictus stipendia capiens, ipse enim quæ loquor exposuit. Inter duos (inquit) uiros orta fuit contentio, hisq; litigantibus in hoc lis ipsa subijt, ut eam sacramento dirimerent. Ingressiq; basilicam sancti martyris, 1 eleuatis homo manibus ad periurandũ, cum nomen Sancti uoluisset cũ ore patulo nominare, hæsit nox in faucibus, nec lingua poterat ad officium reflecti. Sed ne hoc quidem parum uideretur, ad beati athletæ gloriã, ipse cũ eleuatis manibus quasi æneus totus irriguit. Tunc oratio facta pro eo, absolui diaboli arte uinctum obtinuit, ipse quoq; post absolutionem sermone proprio opus suũ confessus, quæ negligenter egerat emendauit.

1 *Ecce quã terribile iudiciũ exercuit deus contra peierantem in Ecclesia, & hoc ad gloriã martyris sui.*

MIRACVLVM BEATI VALERIANI MARTYris, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

Habetur ibidem.

Cap. 53.

MArtyri supradicto adiungitur & sanguine & agone ꝓpinquus beatus athleta Valerianus, qui apud castrum Trinorciense quadragesimo a Cabillonensi urbe miliario, consumato certamine tumulatus est. Igitur Gallus huius urbis comes, celiaci morbi dolore grauatus, qui totam aluum non modo tortura, uerum etiam tumore ita cõflauerat, ut hydropicus putaretur, nihil edere, nihilq; potus capere posset, fiebatq; iuxta hoc contagiũ, ut inediæ morbo deficeret. Qui prope exanimis cum se cerneret desperatum rogat se deportari ad beati martyris tumulũ, ubi cũ proiectus fuisset, accessit ad eum Epirechius presbyter qui tunc ipsam regebat ecclesiam, uir uirtutum & puræ mentis homo, sicut ipsi oculis nostris inspeximus, dixitq; ei, Si uis sanus fieri, confide in uirtute martyris gloriosi, & uoue ut unam trabem eum ligaturis suis ad huius templi tecta recuperanda transmissas. Erit enim tibi præsidium, si ea deuote impleueris, quæ promittis. At ille attẽtius orans 1 uouit quæ presbyter indicauit, statimq; sanus factus, trabem nullo cõmonente ad basilicam sancti exhiberi pręcepit. Ecce quid prętitit dominus Iesus Christus in terris martyribus sanctis, quos glorificatos asciuit cœlestibus regnis. Hæc immerite, quia sacrũ 2 nomen eius corde credentes, in operibus inuocantes, in tentationibus confitentes, non modo ut fideles serui dominum sunt secuti, uerum etiam & alios ut sequerentur suis exemplis incitauerunt.

1 *Vide emissionẽ uoti, uide statim sanitatẽ consecutam, uide uoti solutionem. Quid est hic quod irridere possit hæreticus?*

2 *Hæc etiam causa est quare nos sanctos ueneramur & diligimus.*

MIRACVLVM BEATORVM TIMOTHEI & Apolinaris martyrum, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

Continetur in eodem libro ut supra.

Cap. 54.

TImotheus & Apolinaris apud Remensium urbem consummato

1 Consũmato martyrio cœlestia meruerunt. Verũ hoc ipsi meritũ in uirtute gratificæ gratiæ dei habuerũt.

2 Vides quod etiã olim in honorẽ sanctorum Ecclesiæ ædificabantur.

3 Non uocat cineres e mortuos ut faciunt nouatores nostri, sed sacras fauillas.

4

martyrio cœlestia 1 meruerunt, quorum reliquias quidam ædificatã in eorum 2 honore basilica deuotus expetijt. Pontifex uero qui aderat, cũ honore per presbyterum dirigit. Cunq; iter ageret, mulier importuna, & credo indigna merito, in uia procedit, salutatoq; presbytero, deosculatur linteum quo 3 sacræ tegebantur fauille rogat sibi de his aliquid condonari. Tunc presbyter diu dubitans, & tribuere differens, uictus tandem ab improbitate eius, dimisit ei particulam, ascendensq; sonipedem iter expedire cepit iniunctum, & percutiens utraque equi latera, nequaquam poterat promoueri. Ipse uero grauatus erat ut uix caput ualeret erigere. Intelligens autem martyrum se 4 uirtute teneri, pœnitentia motus, utiliter recepit quod negligẽtia intercedente largiri præsumpsit, restitutoq; in capsa quod abstulerat, abire permissus est.

Intelligens martyrium se uirtute teneri. Vide quantam potestatem habent sancti.

Habetur ut supra in eodem opere.

Cap. 59.

MIRACVLVM BEATORVM MARTYRVM Rogatiani & Donati, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

APud urbem Nanneticam duo sunt martyres pro Christi nomine iugulati, quorum unus Rogatianus, alter Donatus est uocitatus. Habetur ibi etiam & similimus magnus confessor. Igitur cũ supradicta ciuitas tempore Clodonichi regis Barbara ualleretur obsidione, & iam sexaginta dies in hac erumna fluxissent, media ferè nocte 1 apparuerunt populis uiri cum albis uestibus, radiantibus cereis, à basilica beatorum martyrum egredi. Et ecce alius chorus huic similis, de basilica procedere antistitis similimi. Cunque coniungentes se data salutatione orationi incubuissent, recesserunt unusquisque ad locum unde progressus fuerat, ac protinus omnis phalanx hostilis ĩmenso pauore exterrita, ita subito impetu loco discesit, ut facta luce nullus ex his reperiri posset. Apparuit autẽ antedicta uirtus & Chilloni cuidam qui tunc huic exercitui præerat. Qui nec dum erat ex aqua & spiritu sancto renatus, qui statim compunctus corde, reuersus ad dominum, iterata natiuitate progenitus, Christum esse filium dei uiui clara uoce confessus est.

1 Vide quanta sit sanctorum uirtus & potestas, & quam mirabilis deus in sanctis suis.

Habetur in libro eodem in gloriam plurimorum martyrum edito.

Cap. 61.

MIRACVLA BEATORVM QVIQVAGINTA Thebæorum & Mallosi martyrum, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

EST apud Aggrippinensem urbem basilica in qua dicuntur quinquaginta uiri ex illa legione sacra Thebæorũ pro Christi noĩe martyriũ consũmasse. Et quia admirabili opere ex musino quodã modo deaurata resplendet, sanctos aureos ipsam basilicam incolæ uocitare uoluerunt.

Quodam

Quodam aũt tempore Eberegisilli episcopi qui tũc huius urbis erat antistes capitis medietates ualidis doloribus quatiebantur. Erat aũt tunc tẽporis in urbe oppido proxima, quo dolore, ut diximus, ualde attenuatus, misit diaconẽ suũ ad sanctorum basilicã. Et quia in ipsius tẽpli medio puteus esse dicitur, in quo sancti post martyriũ pariter sunt coniecti, collectũ exinde puluerem 1 detulit sacerdoti. Verũ exinde caput attigit, & ex templo dolore omni exemptus est.

1 Vide rem mirabilem puluis ex puteo martyrũ collectus, statim capitis dolorem sanauit.

Ab hoc sacerdote sancti martyris Mallosi corpus repertum est, hoc modo. Cũ fama ferret hunc apud Bertunense oppidũ martyrium consummasse, occultũ erat hominibus illis quo in loco quiesceret. Erat tamen oratoriũ inibi, in quo nomen eius inuocabatur. Supradictus uero pontifex in honore eius basilicã 2 ædificauit, ut scilicet cum aliquid reuelationis de martyre acciperet, in ea beatos artus dño annuente transferret. Denique in latere basilicæ, id est in pariete qui a parte erat oratorij, in absida se collegit, præstolans domini misericordiã quid iuberet de martyre reuelari. Post hæc diaconus quidã Mentensis per uisum doctus, ubi martyr quiesceret est edoctus. Post paucũ.n.tempus ueniens ad episcopũ, & quasi certa signa quæ per uisum uiderat relegens, cum prius ibidem non fuisset, ait episcopo; Hic effode, & ĩuenies corpus sancti, idest in medio absidæ. At ille cum fodisset quasi septem pedes, attigit nares eius odor ĩmensi aromatis & ait, Credo in Christo quod ostendet mihi martyrẽ suũ, quando me hæc suauitas circundedit. Et fodiens reperit sanctũ 3 corpus illæsum, & emittens uoce magna, gloria in excelsis Deo, omnẽ clerum psallere fecit. Dicto quoque hymno corpus sanctum in basilicam transtulit, & cum laude debita sepeliuit. Ferunt ibidem & Victorem martyrem esse sepultum, sed non eum adhuc cognouimus reuelatum.

Cap. 62.

2 Episcopus in honorẽ martyris basilicã ædificauit, ut in ea beatos eius artus transferret.

3 Sanctũ corpus uocat nõ cadauer mortuũ, ut faciunt noui hæretici.

MIRACVLA BEATI PATROCLI MARTYris per D. Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scripta.

Habetur ibidem.

Cap. 63.

PAtroclus quoque martyr qui apud urbẽ Trecassinorum sepultus habetur, sepius se amicum Dei uirtutibus multis ostendit. Erat enim super eũ paruulum oratoriũ, in quo unus tantũ clericus seruiebat. Loci.n.homines paruum exhibebant martyri famulatum. Pro eo quod historia passionis eius non haberetur in prõptu, mos nanque est hominũ rusticorum, ut sanctos Dei, quorum agones relegunt, attẽtius uenerentur.

Quidã igitur de longinquo itinere ueniens, libellum huius certaminis detulit lectori, quem in quo loco seruire diximus prodidit ad legendum. Ille uero post decursam lectionẽ ualde gauisus, nocturno sub tempore, famulante lumine uelociter exẽplauit. Hominibus autem digressis hic episcopo suo exhibet, quę repererat, putans se per hęc gratiã asse-

qui sacerdotis: At ille non credens, sed confictũ æstimans, cesum increpatumque clericũ abscedere iubet dicens, te hęc iuxta uotũ tuum dictitasse manifestũ est. Nam nunquã ea cũ illo homine reperisti. Post multum uero tẽpus ut uirtus martyris non esset occulta, abijt exercitus in Italiã, detulitque passionis huius historiã, sicut a clerico tenebatur scripta. Tunc confusus ualde episcopus cognouit uera esse quę a clerico dicebantur. Populus autẽ ex hoc magis honorare 1 cepit martyrem, constructaque super eum basilica in festiuitatẽ eius per singulos annos deuote concelebrat.

1 *Habes hic quod Sancti honorantur, quod basilicæ in eorum gloriam ædificantur, quod festiuitas Martyris Patrocli per singulos annos celebratur.*

Continetur in eodem opere in gloriã plurimorum martyrum edito.

MIRACVLVM B. AVRELIANI MARTYRIS per D. Gregorium Archiepiscopũ Turonensem scriptũ.

Cap. 64.

AVrelianus martyr apud urbem Aruernã martyrium consummauit, in cuius honore 1 Alchima soror Placidinę coniunx Apolinaris & Episcopus tẽplum ædificare cupientes, multa sanctorũ corpora dum fundamenta iacerent remouerunt, nescientes cuius meriti essent, quorũ sepulchra repererant. Quę cum seiunctim sepelire propter aliorũ sepulchrorũ multitudinem, quę locũ illum ab antiquo repleuerant non haberent, congregatã ossium massam in unã proijcientes fossam humo operuerunt, idque quod Deo uel sancto martyri 2 acceptabile non fuisset, per uisum cuidã apparuit. Viditque homo ille cõquerentẽ beatum Aurelianũ cũ reliquis sanctis atque dicentẽ. Ve mihi quia propter me multi fratrum meorũ iniuriati sunt. Veruntamen dico, qui hęc ceperunt, ad effectũ perducere non possunt. Quod ita gestũ est, erectis enim parietibus super altare ædis illius, turrem a colũnis pharis eraclisque transuolutis arcubus erexerunt, mirã camerę fucorum diuersitatibus imaginatã adhibentes picturã. Nam ita hoc opus elegans erat & subtile, ut per longa tempora rimarũ frequentatione diuisum, penè in ruinã pendere uideretur, quod periculum Auitus pontifex cernens, anticipans futurã columnarũ stragem, iussit tignos asseresque uel tegulas amoueri, quę submota cum essent, nec adiutoria colũnis apposita, nutu Dei discedentibus de machina structoribus ut cibũ caperent, secedentibusque reliquis a basilica, dato columnę imẽso pondere cũ magno sonitu super altare, & circa altare corruerunt. Completaque est ædis nebula de effracti calcis puluere.

1 *Et hi templum in honorem martyris ædificant.*

2 *Ecce quomodo sancti in dei & Christi lumine sciunt quæ circa nos aguntur.*

At sacerdos exanguis duorum damnorũ detrimenta suspirans, ne & marmora confregissent, & aliquis deperisset e populo, scire non poterat quid damni accessisset. Nullus enim propter nebulam pulueris illuc poterat accedere. Post duarum uero horarũ spacium recedente nebula, ingressi uel defunctorũ colligere corpora, uel columnarum fragmenta rimari, nullũ hominẽ perisse cognoscunt. Altare quoque mirantur illæ-

ſum, in quod e tanta altitudine impactæ columnæ nihil lęſionis intulerunt. Quid plura? inuenerunt omnia integra, cuncta contemplantur eſſe ſaluata, glorificant martyrem, conſpiciunt Dei uirtutem, qui ſic altare columnaſq; ſeruauit illæſas. In huius urbis territorio & Iulianus martyr agonis palmā legitime decertando promeruit. De cuius uirtutibus quæ ad nos uenerunt, in libro quem de eius miraculis ꝓprie ſcribere pręſumpſimus declarauimus.

MIRACVLA BEATI GENESII MARTYRIS per D. Gregorium Turonenſem Archiepiſcopū ſcripta.

Habetur ibidem.

NVperrimo tempore in urbis Aruernæ territorio quod adiacet Zigernenſi caſtello, Geneſius eiuſdem loci ſanctus ſe hoc modo mūdo reuelauit. Pauper quidam boues quos ad exercendam culturā habebat; caſu ab oculis dilapſos perdidit. Eoſdemq; ſolicita indage quæſitos reperire non potuit. Conſequenti uero nocte apparuit ei uir quidā per uiſum dicens, Vade per uiam quæ ad ſyluam ducit, & inuenies boues quos ſollicite requiris, iuxta lapidē marmoris herbarū copiam decerpentes, iunctiſq; ad plauſtrū marmorē exhibe, & iuxta ſepulturam quæ uiæ eſt propinqua compone. Ego enim ſum qui tibi hæc loquor Geneſius, cuius eſt tumulus ille qui in albis poſitus per martyrium ab hoc mūdo migraui. Conſurgens autem homo ille diluculo, reperit boues iuxta lapidem, fecitq; ſicut ei præceptum fuerat per uiſum. *Cap. 66*

Sed nec in hoc defuit miraculum. Cū immenſus lapis quē multa boū paria mouere non poterant, a duobus tantum delatus eſt bobus. Ex hoc enim multi infirmi ibidem uenientes, uotorum 1 promiſſa ſoluentes, ſanitatem recipiunt. Audiens hæc Auitus epiſcopus urbis illius, baſilicā ſuper tumulū ſancti magnā ædificauit, dedicatāque feſtiuitatem 2 in ea excoli præcepit, in qua nunc multa frequentia populorū cum uotis ut diximus ueniens, cum ſanitate regreditur. Hanc etiā baſilicā ſancti Geneſii Arelatenſis reliquijs illuſtrauit.

1 Vides uota ad tumulum ſancti perſolui, et ſanitates recipi ab infirmis?

2 Feſtiuitas S. Geneſij coli præcepta ab Epiſcopo. *Cap. 67.*

Hic uero martyr Geneſius deciſione ceruicis agonē pro Chriſti nomine apud eandem Arelatenſem urbē pollente feruori fidei conſummauit. Eſt autem ibi arbor ubi dicitur decollatus fuiſſe, genere morus. Ex qua infirmis multa 3 plerunque beneficia impartiente martyre ſunt conceſſa. Sed decurſis temporibus cum rami cortexque eius pro ſaluatione a multis detraherentur, arefacta eſt. Veruntamen adhuc fideliter petentibus uiuit, ſimilia præbens medicamina quod ſupereſt de colūna.

3 Ecce quomodo etiam res exteræ quæ ad ſāctos quoquo modo ptinent, interdum gratiarum beneficia populis præſtant. *Cap. 68.*

Sed & pons quondā ſuper Rhodanum fluuium ubi beatus martyr nataſſe fertur, in die ſolennitatis 4 eius diſruptis cathenis quia ſuper naues locatus erat, nutare cœpit, ac pręnimio pondere populorum ipſæ naues dehiſcentes in alueo fluminis populū ſubmergebant. Tūc omnes

4 Solenitas S. Geneſii.

5 Vide hic si sanctum martyrem inuocant, si statim adest inuocatus, & uirtute sua populum ad se clamantem mirabiliter liberat.

6 Quam grauiter puniuntur qui ab Ecclesijs aliquid furto uel uiolenter subtrahere conantur.

7 Et hic habes sancti inuocationem, & mirabilem exauditionem. Cur ergo detrahunt quidem sanctorum inuocationibus?

Cap. 69.

simul in discrimine positi, una uoce clamauerunt dicentes, Genesi 5 beatissime eripe nos propriæ sanctitatis uirtute, ne pereat plebs quę fideliter aduenit tua deuote solennia celebrare. Mox flāte uento uulgus omne ad littus reductū, miratur se uirtute martyris esse saluatum. Nam & cancelli beati sepulchri sebius a longobardis uel reliquis hostibus confracti sunt. Sed arrepti 6 a dæmone homines, aut comprehensi, rabie debachantes, aut proprijs se dentibus lacerantes, nihil de hijs quę uiolenter ceperant abstulerunt.

Ferunt etiam in urbe fuisse mulierē cui a uiro crimen impactū, nec omnino probatū, a iudice ut aquis demergeretur diiudicata est. Cui cū ad collū lapis īmensus funibus colligatus fuisset, in Rhodanū de naui pręcipitata est, illa uero beati martyris auxiliū precabatur. Et nomen eius inuocans aiebat: Sācte Genesi 7 gloriose, qui has aquas natādi pulsu sanctificasti, erue me iuxta īnocentiā meā, & statim super aquas ferri cepit. Quod uidentes populi susceperunt eā in naui, & ad basilicam sancti duxerunt incolumen, nec ulterius a uiro, uel a iudice est quęsita.

O quantū innocentia pręstat, quantū mens pura meretur. Nam simili sorte alia mulier a uiro suo adulterij crimen accepit. Quod coram iudice diutissime negans, cum propria confessione superari non posset, diiudicatur īmergi. Dehinc concurrente ad spectaculum populo, ad pontē ducitur amnis Ararij, connexo cū fune lapide molari collo eius, pręcipitauerunt eā in flumen, increpante desuper uiro atque dicente, Ablue nunc aquis abundantibus fornicationes atque īmunditias tuas, quibus sæpe maculasti stratum meum. Sed domini pietas quę insontes perire non patitur, prouidit stylum sub aquis, quem uidere homo nō poterat, qui suscipiens funem sustinuit mulierem, ne ad fundum fluminis perueniret. Et erant utraque sub aquis, mulier scilicet, & petra, styli illius lance librata.

Cumque iam sol occubitum peteret, propinqui fœminæ illius deposcunt a iudice, ut liceret per alueū torrentis cadauer consanguineę inquirere. Accepta itaque indulgentia descenderunt ad locum in quo præcipitata est mulier. Videruntque eam pendere cum lapide; missoque unco abstraxerunt illam, intelligentesque esse uiuam, uelociter ad basilicā quæ est flumini proxima transtulerunt. Timebant enim ne iterum mergi iuberetur a iudice. Interrogabant autem mulierem qualiter sub pelago uiuere potuisset, respondit. Non mihi aliter quam somnium uisum est, nec amplius aquas sensi, nisi cum in his proiecta descendi, aut ab his iterum resumpta surrexi. Et mirabantur omnes non potuisse eam mori in tali discrimine, saluauit enim eā propriæ conscientiæ fides, & dominus quem iugiter deprecata est. Deinde propinquis indulta, nec a uiro nec a iudice est amplius inquisita. Sed ad uirtutes martyrū redeamus.

MIRA-

MIRACVLVM BEATORVM MARTYRVM Ferreoli atque Ferrucionis, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

Habetur in eodem opere.

Cap. 70.

VIsonticorum ciuitas propriis 1 illustrata martyribus, plerunq; miraculis præsentibus gaudet. Huic in obitu criptæ duo ut palsio declarat, martyres Ferreolus atque Ferrucio sunt sepulti. Factum est autem quodam tempore ut uir sororis meæ inualescente febre grauiter ęgrotaret. Cũ iam quarti mensis spacio lectulo anhelus occumberet, ut nihil aliud coniunx mœsta, nisi quę sepulturæ erant necessaria cogitaret, sanctorũ basilicam flens ac tristis expetiit. 2 Prouolutaq; coram sepulchris, palmis, ac facie rigante opprimit pauimentum. Accidit autem fortuitu ut extensa dexteræ manus palma, folium herbæ saluiæ quod pro honore martyrum in cripta conspersum fuerat operiret. Postquam autem fusa 3 oratione cum lachrymis surrexit à tumulis, putans aliquid de linteaminibus quibus induta erat apprehendisse ut adsolent, uolam continuit clausam. Egressaq; basilicam, patefacta manu folium herbæ miratur, obstupefacta quod hoc esset munus cœleste indultum sibi diuinitus recognoscit, ut scilicet per eum uirtus martyrum infirmo succurreret. Domũ igitur iam lætior rediens, 4 folium dilutum aqua uiro porrexit ad bibendum. Qui ut hausit plenus fide, protinus sanitatẽ plenissimam meruit obtinere.

1 Ecce quomodo Ciuitates sanctis Martyribus illustrãtur, et præsentibus eorũ miraculis gaudẽt. At hoc hæretici negare nõ erubescunt.

2 Prouoluta coram martyrum sepulchris, palmis ac facie rigante pauimentũ opprimit.

3 Postquam fusa oratione cum lachrymis surrexit à tumulis.

4 Vide rem miram, folio herbæ saluiæ aqua permixto sanatur ęgrotus per Martyrũ uirtutem.

MIRACVLA BEATI DIONYSII MARTYRIS, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scripta.

Continentũr ibidem.

Cap. 71.

DIonysius episcopus Parisiorum urbi datus est martyr. Tempore uero quo Sigibertus rex cum exercitu ad urbem illam uenit, & maximam uicorũ eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad basilicam antedicti martyris properat, non orationis deuotione, sed tantum ut aliquid fraudaret ab æde. Ilico ubi reserata ostia ac uacuum templum à custodibus reperisset, pallam olosericam auroq; exornatam ex gemmis quæ sanctum tegebat sepulchrum temerario ausu diripuit, secumq; sustulit. Veniens autem ad castra, fuit ei necessitas nauigandi. Cunque puer eius quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis, nauem cum eodem ascendisset, subito à 1 nullo tactus, de naui ruit, oppressusq; aquis nunquã potuit inueniri. Ille quoq; iudicium dei in se cernens per pueri amissionem & auri, uelociter ad littus de quo digressus fuerat remeauit, pallamq; sepulchri summa uelocitate restituit. Et licet hoc fecerit, tamen diem in quo hæc admiserat, recurrente anni circulo non attigit.

Alius autem super sepulchrum sanctum calcare non metuens dum columbam auream lancea quærit elidere, elapsisq; pedibus ab utraque

1 Pallam olosericam auro gemmisq; exornatam quæ sanctum tegebat sepulchrum, temerario ausu diripuit. Credis si hæc ornamenta deo displicerent, quod tam seuerus ultor fuisset in ablatorem? Minime quidem.

1 *Disce sanctorũ sepulchra in ueneratione habere.*

parte quia turritum erat tumulum, compressus 1 testiculis, lancea in latera defixa exanimis est inuentus. Id non fortuitu contigisse, sed iudicio dei gestum nullus ambigit.

Habentur ibidem.

MIRACVLA BEATI QVINTINI MARTYRIS per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Cap. 72.

1 *Cuius beatũ corpus. Vides quod non dicit, cineres emortuos uel quid simile dedecorosum, ut dicunt haeretici.*

2 *Oratio ante sepulchrũ martyris cum prostratione & lachrymis.*

3 *Vides quod per sanctorum inuocationem nõ offuscatur Dei necessaria inuocatio? Quae si maiestati eius displiceret, ad eorum inuocationẽ tot mirabilia signa non ederet.*

APud Virmandense oppidum Galliarũ Quintinus martyr quiescit, cuius 1 beatum corpus a quadã religiosa quae dudum fuerat cęcata reperitur. Sed mox ut a fluminis fundo reuelatũ est, miraculum protulit, cũ mulieris faciei, ubi primũ illuxit, lumina cęcata restituit. In hac igitur urbe unus ex latronibus equum presbyteri furto abstulit, inuentus a presbytero iudici manifestatur. Nec mora apprehensus, & in uincula cõpactus, supplicio subditur, & opus suũ ore ꝓprio indicans, patibulo iudicatur. Sed presbyter metuens ne ob sui damni causam anima hominis auferretur iudicẽ deprecatur, ut concessa illi uita, hic culpae reus absolueretur a poena, dicens sibi satis esse iam factum, quod per tot tormentorum genera latro quae gesserat declarasset. Sed seueritas iudicis cum nullis precibus potuisset flecti, reum patibulo condemnauit. Tunc presbyter cũ lachrymis 2 prostratus ad beati martyris tumulum, suppliciter deprecatur dicens, Quaeso gloriosissime 3 athleta Christi, ut eruas hunc pauperẽ de manu mortis iniquae, ne mihi fiat in opprobriũ, si per meam accusationẽ moriatur hic homo. Ostende deprecor uirtutẽ tuam, ut quem asperitas humana nequit absoluere, leuis pietatis moderamine tu dissoluas. Haec sacerdote cũ lachrymis deprecante, disruptis uinculis patibuli reus ad terrã ruit. Quod audiens iudex timore perterritus, & diuinã admirans uirtutẽ, nihil ultra illi nocere praesumpsit.

Est in eodem opere.

MIRACVLVM BEATI PRESBYTERI Martyris, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

Cap. 73.

1 *Castaneam diu aridã suis orationibus obtinuit in uiriditatẽ redire.*

2 *Lilium siccum in eius solennitate reuirescit.*

3 *In basilica martyris & ad eius sepulchrũ sacramentum mẽdax confutatur.*

EST martyr infra terminũ urbis Beotritanae, presbyterij honore pręditus. Cuius passionis historia apud loci incolas legitur. Hic dum esset in corpore, 1 castaneam diu aridam suis orationibus obtinuit in uiriditatẽ redire. In cuius basilica cũ plerunq; super infirmos mirabilia ostendantur illud prae cęteris est admirabile, quod 2 lilium dudũ collectum & siccũ, in eius solennitate denuo reuirescit, ita ut intueantur illa die populi flores nouos, quos prius uiderant arefactos. Ad huius enim 3 sepulchrum plerunque sacramentum mendax prolatum a perfidis, uirtute martyris confutatur, ut qui temeritate elatus aduenerat, emendatus abscedat.

MIRACVLA BEATORVM MARTYRVM Legionis Thebeorum, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scripta.

Habentur ut supra in libro in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 74.

SÆpe dominus arrogantiam contumacis mentis uirga correctionis eneruat, ut eandem cultus sui generatio restituat, sicut quondam de Sigismundo rege manifesta fides gestum profert. Hic etenim post interemptum per inique consilium coniugis filium, compunctus corde Agaunum dirigit sese ibiq; 1 prostratus corã sepulchris beatissimorũ martyrũ Legionis felicis, penitentiam egit, deprecans ut quæcunq; deliquerat, in hoc ei seculo ultio diuina retribueret, ut scilicet habeatur in iudicio absolutus, si ei mala quæ gesserat, priusquã de mundo decedat, repẽsentur. Ibiq; & 2 psallentium quotidianum instituit numerũ, locumq; tam in territorijs quàm in reliquis rebus affluentissime ditauit. Postea uero captus a Clodomere rege cũ filijs, interfectusq; eius iussu, ad eundem locum delatus, sepulturæ mandatus est, quẽ in consortio sanctorũ ascitum, ipsa res quæ geritur manifestat. Nam si qui nunc frigoritici in eius honore missas deuote celebrant, eiusq; pro requie Deo offerunt oblationem, 3 statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restaurantur.

Cap. 75.

Magna est enim uirtus 4 ad antedictorum martyrum sepulchra, de quibus, relictis pluribus pauca perstringere libuit. Mulier quædam filiũ suũ unicum ad hoc monasterium adducens, abbati tradidit erudiendum, uidelicet ut factus clericus sanctis manciparetur officijs. Verum cũ iam spiritalibus eruditus in literis, & cũ reliquis clericis in loco 5 canentium psalleret, modica pulsatus febre spiritũ exalauit. Cucurrit mater orbata ad officium funeris plangens, sepeliuitq; filium. Veruntamen non suffecerunt hæ lachrymæ dolori quæ in exequijs sunt effusæ. Sed per dies singulos ueniebat, & super sepulchrũ nati sui emissis in altum uocibus eiulabat. Cui tandem apparens per uisum noctis beatus Mauritius ait: Quid 6 tu o mulier incessanter filij obitum plangens, nunquã desistis a luctu? Cui illa dies (inquit) uitæ meæ hunc planctum non explent, sed quoad uixero semper defleam filium meum unicũ, nec unquã mitigabor a lachrymis, donec oculos corporis huius debita mors concludat. Cui ille: Noli ita, ait, quasi mortuũ flere, sed ęquanimiter age. Nam scias .A. eũ nobiscum habitare, & in luce uitæ perennis, consortio nostro perfrui. Et ut ueraciter credas certa esse quæ loquor, surge crastina die ad matutinũ, & 7 audies uocem eius inter choros psallentium monachorum. Et non solum die crastina, sed etiã omnibus diebus uitæ tuæ cũ ueneris, audies uocẽ eius. Et ideo ne fleueris, eo quod gaudere te oporteat potius quàm lugere.

Surgit mulier, longaq; ducit suspiria, nec obdormit ĩ stratu suo, donec signum ad consurgendum cõmoueatur a monachis. Quo cõmoto accedit ad ecclesiam, aliqua de uisione, quã uiderat probatura, nihil enim prę-

1 Prostratus corã sepulchris beatissimorum martyrum pœnitentiam egit. Vides quod etiam reges sanctorũ sepulchra in ueneratione habebãt? Vides etiã quod satisfactione emendantur delicta?

2 Si dotare Monasteria territorijs & alijs rebus, si instituere certum quotidie psallentium monachorum numerum, res esset inutilis Deoq; non grata, utique rex pœnitens ista non fecisset.

3 Vides Missam ualere nedum ad remissionẽ peccatorum, sed etiã ad alia beneficia obtinenda?

4 Magna uirtus est ad antedictorum martyrum sepulchra.

5 Ecce cantum Ecclesiasticum cũ psalmodia.

6 Tu qui dicis sanctos ignorare quę circa nos aguntur, uide hic conuinci mẽdacium tuũ.

.A. Nota ex hoc loco quã manifestissime probari in Christo morientes minime emori.

7 Et audies uocem eius inter choros psallentium monachorum.

8 Ecce & eſponſoriorum & antiphonarum decantatio, ſecundũ antiquum Eccleſiæ morẽ.

terijt de pollicitatione ſancta, ſed quæ fuerant diuinitus nunciata, mox impleta noſcuntur. Verũ ubi cantato 8 reſponſo antiphonam caterua ſuſcepit monachorum, audit genitrix paruuli uocem, cognoſcit, & gratias agit Deo. Sed & illud quod martyris ore ꝓmiſſum habebatur, prorſus impletũ eſt, ut omnibus diebus uitæ ſuę cũ acceſſiſſet mulier ad pſallentes, audiret & huius infantuli inter reliqua modulamina uocem.

9 Theſauros ſuos Eccleſijs et pauperibus erogaret.

10 Vides regem ex uoto munera fratribus qui ſanctis Agaunenſibus deſeruiunt tranſmittere?

Cum autem Guntrannus rex ita ſe ſpiritalibus actionibus mancipaſſet, ut relictis ſeculi pompis, theſauros ſuos 9 eccleſijs & pauperibus erogaret, accidit ut miſſo presbytero 10 munera fratribus q ſanctis Agaunenſibus deſeruiunt, ex uoto tranſmitteret, pręcipiens presbytero ut ad eum rediens, ſanctorum ſibi reliquias exhiberet. Igitur dum impleta regis pręceptione cũ his regrederetur pignoribus, Lemanni laci per quem Rodanus influit, nauigium petit. Extenditur autẽ lacus ille in longitudine quaſi ſtadijs quadringentis; latitudine autẽ in ſtadijs centum quinquaginta. Deniq; reuertens presbyter, ut diximus, cũ nauigium hoc fuiſſet ingreſſus, ſubito tẽpeſtas exorta fluctus tollit ad ſidera, ſurgunt undarũ montes, & nunc puppis nauiculę prora dehiſcente fertur in altum, nunc autem demerſa puppi, prora tollitur in ſublime. Turbantur nautæ, & nihil aliud niſi ſola mors in hoc periculo præſtolatur. Tunc presbyter cũ uideret ſe his fluctibus obrui, & ſpumis undarũ ipſarũ grauiter operiri, extracta a collo capſula quæ ſanctorũ pignora continebat, undis tumentibus fidus obiecit, ac ſanctorũ præſidium clara 11 inuocat uoce dicens. Ne peream in his fluctibus uirtutem ueſtram deprecor martyres glorioſi, ſed potius qui iugiter pereuntibus præbetis auxilium, mihi quæſo dextram ſalutis porrigere dignemini. Fluctus opprimite, noſq; ad littus optatum ueſtri adiutorij ope ducite. Et hæc dicens: Ceſſante uento, decedentibus undis, ad littus euecti ſunt. Hæc ab ipſo cognoui presbytero. In hoc enim ſtagno ferunt truttarum piſcium magnitudinem uſq; ad centum librarum pondera haberi.

11 Ecce quõ non infertur Domino noſtro Ieſu Chriſto iniuria ſi ad ſãctos eius quis prius confugiat. Habes hic etiam ſanctos inuocãdos eſſe, inuocatoſq; beneficia conferre.

Eſt ibidem.

MIRACVLVM BEATI VICTORIS Maſſilienſis martyris, per D. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcriptum.

Cap. 76.

1 Vide quanta uirtus ſit apud ſanctorũ ſepulchra. Et cũ dæmones a corporibus humanis eiecti, illã uel inuiti fateri cõpellantur, perditi hæretici proteruiter negare nõ erubeſcunt.

Est ad ſepulchrum 1 ſancti Victoris Maſſilienſis martyris mira uirtus. Nam cũ ſæpius ad eum accedẽtes infirmi ſanentur, reliqui inergumini tamen multum ſe collidentes, & martyrem declamãtes, eiectis dæmonibus liberantur. Aureliani autẽ patricij ſeruus a dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur, ita ut plerunq; proprijs ſe morſibus laceraret, ſed adductus ad baſilicam ſancti, cũ ſe exuri eius uirtute fateretur, debachans per totã ædem die tertia mundatus abſceſſit. Qui in tantũ fidei merito roboratus eſt, ut deinceps humiliatis capillis, abbatis ſortitus ordinem, monaſterio uni præponeretur.

MIRACVLA BEATI BANDELII MARTYRIS, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scripta.

Habentur in eodem libro ut supra.

Cap. 77.

EST apud Nemansensis urbis oppidum Bandelij martyris gloriosum sepulchrum, de quo sępius uirtutes manifestātur. Ex quo sepulchro laurus orta, & per parietem egressa, arborem foris fecit salubri coma uernantem. Quod sępe loci incolæ in multis infirmitatibus habere cęleste remedium sunt experti. Pro quibus uirtutum beneficijs cū plerunq; nudaretur a folijs, uel ipsa quodāmodo cortice arida est effecta. Vnde quia morbos ab ea multarū infirmitatum diximus depelli, longum fuit singulos quosq; memorari, ideo hæc sufficere putaui, quod ea medicamēta largiendo, aridam effectam dixi. Nam fertur celebre, a negociatore quodam in oriente de his folijs deportatum pignus fuisse, sed priusq̄ portum negociator attingeret, inerguminus in ecclesia adire Bandelium martyrem orientalem plagam audientibus populis declamauit. Ostendit autē beatus martyr & in alijs uirtutem suam.

Quantam Deus sanctis suis præstat uirtutem, si etiam arbor è sepulchro martyris egrediens, infirmitates languidorum sanat.

Aram uero Theodorici regis Italici dux dum in Arelatensi urbe resideret, extitit ei quidam archipresbyter parrochiæ Nemanssensis inuisus. Tunc feruens felle contra eum misit pueros dicens; Ite q̄ totius, & ligatis pedibus ac manibus adducite eum cum ui, ut cognoscat quod sum dominus regionis huius. At illi non intelligentes archipresbyterū, putauerunt quod archidiaconem iussisset adduci. Et ascensis equis uenerunt ad urbem, interrogantesq; de archidiacono, digito eis ostensus est. Erat enim hic Ioannes nomine, ualde religiosus, & in archidiaconatu suo studium docendi paruulos habens, apprehensumq; pueri ligatis manibus ac pedibus sub aluo equi adduxerunt eum, sed non desijt uirtus martyris alumno proprio subuenire. Pueri uero iuxta ipsam portā cum eo mansionem habuerunt, quia iam obseratis pro nocte portarum ualuis ingredi non potuerunt. In ipsa uero nocte duce obdormiente, astitit ei archidiaconus per uisum dicens, Quid tibi o homo culpabilis extiti, quod me in hanc humilitatem redactum cū tali iussisti iniuria accessiri? Vere dicā tibi, quia non effugies iudicium Dei.

At ille expergefactus, consternatusq; metu, exclamat suis, inquirite si pueri quos Nemansum direximus, iam uenerunt interrogātesq; de muro urbis, responderunt se adesse cū homine. Renunciant nunc ij quæ audierant. Confestimq; dux ait, Exhibete ad me hominē quem adduxistis. Quod cum factum fuisset, aspiciens eum dux, timore perterritus ait, Archipresbyterum ego adduci præceperam, non archidiaconē. Et prostratus ad pedes eius ait, Indulge quæso iniuriam delicti huius, quia non est in conscientia mea, ut hæc passus fuisses. Et statim dignis honoratum muneribus remisit ad urbem, quem in tanto amore pro ipsa martyris reuerentia dilexit in posterum, ut decedente urbis illius sacerdote, ipsum sacerdotem mādaret institui. Sed nec archipresbyterum amplius inquiri

2 iussit. 2 O magna uirtus martyris, quæ per innocentis iniuriam noxiũ absoluit a pœna, impletumq; est illud Apostoli, Quia diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum, cũ hæc iniuria gradum huic construxit, quem scanderet ad regendam ecclesiam Dei.

O magna uirtus martyris, quæ per innocentis iniuriam noxium soluit à pœna.

Habentur in libro eiusdem in gloriã plurimorum martyrum edito.

MIRACVLA AD RELIQVIAS PLVRIVM Martyrum facta, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta. Et de his qui temerè sancta pertractant.

Cap. 82.

PEr ueram fidei confessionẽ martyres gloriosi ineffabilia semper salutarium munerum beneficia meruerunt, ac petentibus se hoc pręstiterunt uirtute, quod eisdem á Domino impartitum est creatore, sicut nobis nuper à diacono nostro relatũ ita gestum esse cognouimus.

Hic autem Diaconus à Papa urbis Romæ pelagio, quorundam martyrum confessorumq; assumptis pignoribus, cũ grandi psalterio uel clericorũ officio, ac populi ĩmensi obsequio usque ad portum deductus est. Et ingresso nauem, erectis uelis, ac per illum antemnæ, quæ modulum crucis gestat, apparatum extensis, flante uento, pelagi altum arripiunt. Qui dum nauigant, ut Massiliensis urbis portũ attingant, appropinquare ceperunt ad locum quendam, de quo à littore maris lapideus mons exurgens ac paulatim decedens, summatenus sub undis in mari distenditur. Cunq; impellente uento carina magno impetu ferretur in præceps, ut scilicet scopulo illisa quassaretur, nautæq; discrimen intuentes exitus
1 uociferarent, diaconus eleuata cũ sanctis pignoribus capsa, 1 inuocare nomina singulorũ cũ gemitu & uoce maxima cępit, deprecans ut eorũ uirtute ab hoc periculo liberarentur. Iam iamq; appropinquabat nauis
2 (ut præfati sumus) ad scopulum, & statim in 2 sanctarũ contẽplatione reliquiarũ ab ipso loco cõmotus cũ uiolentia maiori uentus huic uento contrarius fluctuũ elisit, uentumq; diuersum repulit, ac naui in pelagi profundum reuocata, cunctos à mortis periculo liberauit. Sicq; girata mole periculi, portum quẽ desiderabant, cũ Domini gratia ac 3 sanctorum patrocinio contigerunt.
3
Inuocare nomina singulorum sanctorum cœpit.

Vides sanctarum contemplatione reliquiarum, datum statim nauigãtibus uentum uento contrarium?

Vides & sanctos inuocatos suum inuocantibus præbere patrocinium?

Erant enim reliquiæ sanctorũ, quorũ sacra uestigia diaconi manibus sunt ablata, Pauli, Laurentij, atq; Pancratij, Chrysanti, Dariæq; virginis, Ioannis, alterius Pauli fratris eius. Quorũ certamina, ac palmæ uictoriarum ipsa caput orbis urbs Roma deuotè concelebrat.

De aliarũ reliquiarũ uarijs miraculis.

Ibid. Cap. 83.

Quid uerò & de his reliquijs, quas quondã genitor meus secũ habuit, fuerit gestum, edicam. Tempore quo Theodobertus Aruernorũ filios in obsidatum tolli præcepit, pater meus nuper iunctus coniugio, uoluit se sanctorũ reliquijs cõmuniri, petiuitq; à quodam sacerdote, ut & aliquid de eisdẽ indulgeret, quo scilicet in uiam longinquam abiens tali præsidi

tutaretur. Sed inclusis in lupino aureo sacris cineribus, ignorabat uir nomina beatorũ. Referre tamen erat solitus, se à multis 4 tunc erutum periculis. Nam & uiolentias latronũ, & pericula fluminũ, improbitates seditiosorum, & assultus sensuũ sæpius se euasisse harũ uirtutibus testabatur. Quid autem de his uiderim, non silebo. *4 Ecce quot beneficia præstiterunt sanctorũ reliquiæ.*

Post genitoris obitum, mater mea hæc pignora super se habebat. Igitur segetũ aduenerat sectio, & congregati in areis frugum acerui fuerant magni. In illis autẽ diebus cũ iam semina triturarentur (& sicut Lẽmane uestitum segetibus, nudũ habetur à syluis) intercedente gelu, cũ nõ esset unde ignis accenderetur, ab ipsis paleis focos sibi adhibuerant excussores. Interea recedunt omnes ad capiendum cibum. Et ecce inter incrementa sua cepit per paleas paulatim ignis spargi. Nec mora flante noto, acerui ab igne cõprehenduntur. Fit magnũ incendium. Insequitur clamor uirorum, strepitusq; mulierũ, ululatus infantũ. Hæc autẽ agebantur in agro nostro. Quod sentiens mater mea, quæ hęc pignora 5 collo appensa gestabat, exilit de conuiuio, eleuatisq; sacris pignoribus contra ignium globos, ita omne cessauit incendium in momento, ut uix inter moles exustarum palearũ, uel seminum ignis inueniretur: nihil tamen frugibus, quas apprehenderat, nocuit. Post multos uerò annos has reliquias à genitrice suscepi. *5 Aduertis quod antiquitus sacras reliquias collo appensas gestabant.*

Cumq; iter de Burgundia ad Aruernum ageremus, oritur contra nos magna tẽpestas, cępitq; crebris ignibus micare cęlum, ualidisq; tonitruorum fragoribus resonare. Tum extractas à sinu 6 beatas reliquias manu eleuo contra nubẽ, quæ protinus diuisa in duas partes dextra læuaq; præteriens, neq; nobis, neq; ulli deinceps nocuit. At ego (ut iuuenilis feruor agere solet) uanægloriæ inflari supercilio cepi, & tacitus cogitare, nõ hoc tantum sanctorũ meritis, quod mihi propriè concessum fuisse, atque ad socios itineris iactare & proferre, quæ innocentię meæ Deus præstiterit, ut hæc mererer. Nec mora elapsus subito sub me equus ad terrã elisit me; in quo casu tam grauiter sum cõtractus, ut uix surgere possem. Intellexi autẽ mihi ista à uanitate euenisse, satisq; fuit dehinc obseruare, ne me ultra uanægloriæ stimularet aculeus. Nã si euenit, ut mererer deinceps aliqua de sanctorum uirtutibus contemplari, Dei illa munere per sanctorũ fidem præstita pręconaui. *6 Beatas reliquias uocat.*

De temeritatis uitio.

In nullo est enim temeritas utilis, ut illud quisq; appetat quod exercere non licet. Sic & Britannorũ comes cũ grauiter à doloribus pedũ affligeretur, & per medicos expendens substantiam nihil cõmodius habuisset, dixit ei quidã de suis, Si ab ecclesia tibi aliquod uas ministerij, quod in altari ponitur, deferatur, in quo pedes abluere possis, tibi hæc causa poterit ferre medelam, stultus & iners non cognoscens, quod sacrata Deo uasa non debent ad usus humanos aptari. At ille celeriter ad ecclesiam mittit, & patenã argenteam sacrosancti altaris de sacrario suscepit, ibiq; pedes ablui- *Ibid. Cap. 84.*

7 Sed 7 statim doloribus additis, ad plenũ debilitatus, nunquam postea gressum facere potuit. Sed & longobardorũ ducẽ fecisse similiter comperi.

Ecce quomodo grauiter puniuntur, qui sacris uasis abutuntur.

Ibid. Cap. 85.

Non esse tractanda sacra animo polluto.

Deflemus enim scelera nostra, & plangimus, cum nos mundos esse nescimus, & ad ipsum altare Domini accedentes audenter sanctũ corpus eius & sanguinem, cum simus 8 actu polluti, potius ad iudicium sumimus, quam ut ueniam consequamur. Nam recolo quod in adolescentia mea gestum audiui.

8 *Vides quod ad dignã Eucharistiæ sumptionem opus est habere mundã conscientiam?*

Dies passionis erat Polycarpi martyris magni, & in Ricomagensi uico ciuitatis Aruernę eius 9 solennia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit, acceptaq; turre diaconus, in qua mysterium dominici corporis habebatur, ferre cepit ad ostium, ingressusq; est templum, ut eam altari superponeret, quę elapsa de manu eius ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedentem nunquam eam manus diaconi potuit assequi. Quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Vni tantũ presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus una mater mea erat, hæc uidere licitũ fuit, cæteri non uiderunt. Aderam, fateor, & ego tunc tẽporis huic festiuitati, sed hæc uidere non merui.

9 *Solennia diei passionis celebrabãtur beati Polycarpi martyris.*

De Epachio, qui post sumptum ientaculum ausus est celebrare.

Ibid. Cap. 86.

Sic & Epachius presbyter dum temere quæ indignus erat agere præsumpsisset, diuino iudicio solo proiectus occubuit. Hic enim, dũ Dominici 10 natalis uigilias celebrare in Ecclesia expeteret, per singula horarum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciua spumantibus pateris hauriebat: ita ut affirmarent multi, cũ post gallicantum uidisse bibentem. Sed cũ esset ex genere senatorio, & nullus in uico illo Ricomagensi superius memorato iuxta seculi dignitatẽ haberetur nobilior, celebrare missarum solennia expetitur. Nec dubitat miser uino madefactus appetere, quod ieiunus quisque non sine metu potest, terrente conscientia explicare. Verum ubi explicitis uerbis sacris, confractum corporis Dominici sacramentũ & ipse sumpsit, & alijs distribuit ad edendum, mox ad modũ equini hinnitus uocẽ emittens ad terrã ruit, ac spumas cũ ipsa mysterij sacri particula, quã dentibus cõminuere non ualuit, ab ore proijciens, inter manus suorũ ab Ecclesia deportatur. Nec caruit ultra hac epilentiæ infirmitate, sed per singulos lunares cursus incrementis decrementisq; hæc semper pertulit, qui ab haustu nimio uini minime infelix abstinuit. Quo ergo honore, qua'ue reuerentia hæc 11 nox celebrari debeat, præsens exemplum docet.

10 *Nota uigilias natalis dominici etiam tunc celebrari.*

11 *Nox dominicæ Natiuitatis cũ magna reuerentia celebranda.*

Quodam tẽpore cũ in hac solennitate de uigilia egressus paululum obdormissem, uenit ad me uir quidã dicens, Surge, & reuertere ad Ecclesiã. Et ego expergefactus, 12 signo Crucis apposito, iterũ obdormiui. Nec destitit, sed iterat priora uerba, eademq; personat. Sed cum nec secunda

12 *Vides antiquum esse institutum signare se signo Crucis?*

cunda admonitus uice consurgerem, & iterũ obdormissem, aduenit tertio, & alapas imponens maxillæ, ait, En tu reliquos ad uigilias admonere debes, & adhuc sopore opprimeris? Tum pauore perterritus cũ grandi uelocitate ad ecclesiam sum regressus. Hæc de Natalis Dominici uigilia dicta sufficiant. Sed ad temerarios reuertamur.

De Iordane fugiente coram muliere facinorosa.

Mulier erat adultera ab Hierico Ciuitate, cuius hæc erat consuetudo teterrima, ut quotiens à scorto concipiens partũ edidisset, statim suffocatum terræ reconderet, ut scilicet fierent occulta hominibus, quæ Deũ, & eius Angelos non latebant. Cum autẽ dies sanctus 13 Epiphaniarum aduenisset, & omnes in Iordanẽ descenderent abluere tam uulnera corporis, quàm animæ cicatrices, hæc cũ reliquo populo ad littus accessit, cũ leuatis usque ad geniculum uestimentis ut amnem ingrederetur, mirũ dictu fugit aqua ante pedes eius; illa quoque insequente, fluuius ad ripã aliam premebatur. Hæc uidentes populi mirati sunt, tale factũ in die celeberrimo contigisse; cognoscentesq; mulierẽ esse facinorosam, interrogant quid mali fecerit, ut hæc ei in tali confrequentatione populi euenissent. At illa conuersa ad populum, crimen fatetur dicens, septẽ iam paruulos à me editos interfeci, quos deincestu concipiens metui publicare, octauũ adhuc die præterita suggillaui. Rogo ergo, ut fundatis pro me orationẽ ad Dominum, quatenus remissa iniquitate, peccare iam desinam, ne me cœlestis ira consumat.

Ibid. Cap. 87.

13 *Sanctus Epiphaniarũ dies, et celeberrimus*

Hæc ea loquente, omnis populus 14 prostratus ad terrã precem fudit ad Dominũ, ut ei misericorditer ignosceret, quod adminiculante ignauia deliquisset. Post orationẽ uero mulier, extensis per terrã brachiis spiritum exhalauit. Quod ob hoc contigisse reor, ne crimen indultũ, iteraretur ulterius. Cognouit autẽ populus delictũ, cur aquæ fluminis ante faciem mulieris recessissent. Impletumq; est illud Salomonis prouerbiũ, Quia spiritus Domini fugit fictũ. Miraculũ hoc ab ore Ioannis diaconi factũ ita cognoui. Asserebat enim se tunc tẽporis præsentem fuisse.

14 *Ecce oratio cum prostratione.*

Non potuisse cadauer Antonini scelerati in æde Vincentij quiescere.

Apud urbẽ autẽ Tolosanam ferunt fuisse quendã Antoninum nomine iniquũ, Deo & omnibus hominibus odibilẽ, eo quod multa perpetrasset scelera. Factũ est autẽ ut impletis diebus migrans à seculo in basilica sancti Vincentij sepeliretur, in qua ipse sibi uiuens uas deposuerat. Verum ubi cunctos sub altæ noctis silentio sopor arripuit, & omnes blandiente somno, dedissent mẽbra quieti, sarcofagus ille à sancta basilica per fenestram proijcitur, & in medio deponitur atrij. Mane autẽ facto ibi repertus est, effractum super se opertorium habens. Denique propinqui illius non intelligentes uirtutẽ Dei, neque sentientes sancti iniuriã, in 15 cuius templo indignũ temere sepelierant, iterũ deposito sarcofago in loco, in quo prius fuerat, altius suffoderunt. Altera uero illucescente die, inuenerunt eũ foras eiectum in medio esse atrij, & sic intellexerunt magnalia

Ibid. Cap. 88.

15 *Vide rem mirã, quia nõ conuenit apud sanctorum oratoria indignos temere sepeliri.*

Dei. Ex hoc enim à nullo tactus usq; hodie in loco, quo eiectus est, in testimoniũ reseruatur. Hæc de temerarijs dicta sufficiant.

Habetur in opere supradicto.

APPROBATIO FIDEI CHRISTIANÆ facta per miracula à beato Gregorio Archiepiscopo Turonense descripta.

Cap. 79.

SEmper catholicorũ inimica est hæresis, & ubicunque potuerit tendere insidias, non omittit, sicut illud est, quod quodam loco factum celebris fama profert.

Mulier quædam erat catholica habens uirũ hæreticũ: ad quã cum uenisset presbyter nostrę religionis ualde catholicus, ait mulier ad uirũ suũ, Peto charitatẽ tuam, ut pro aduentu huius sacerdotis, qui me uisitare dignatus est, lætitia habeatur in domo nostra, ac præparato dignis impendijs prandio epulemur cũ eo. Promittente autẽ uiro eius, sic se, ut illa flagitabat, facturũ, aduenit & alius hæreticorũ presbyter. Dixitq; uir mulieri, Duplicata est lætitia hodie, eo ꝙ sint sacerdotes utriusque religionis in domo nostra. Discumbentibus autẽ ad conuiuium, uir ille cũ presbytero dextræ partis cornu occupat, catholicũ ad sinistrũ statuens, posita ad læuã eius sellula, in qua coniunx eius resideret. Dixitq; uir ad presbyterum hæreticũ, si consenseris dictionibus meis, exercebimus hodie cachinum de hoc 1 Romanorũ presbytero, ut scilicet appositũ ferculũ tu celerius signare festines: Cunq; ille manũ non posuerit, illo tristante, nos cũ lætitia comedemus cibũ. Cui ille, Faciam, inquit, quod præcipis.

1 Scis quare catholicũ presbyterum Romanorum appellabant? quia Romana Ecclesia est uere catholica & apostolica.

Denique ueniente disco cũ oleribus, signauit hæreticus, posuitq; primus manũ suam. Quod cernens mulier ait, Ne feceris, quia ingrate fero iniuriam sacerdotis. Exhibito alio cibo sumpsit catholicus. In secundo uero & tertio ferculo similiter fecit hæreticus. Quarto autẽ exhibito, cuius in medio sartago feruens aduenerat, in qua cõpositus erat cibus, ille qui ex collisis ouis parũper mixta farina dactilorũ partibus, oliuarumq; rotunditatibus assolet exornari, festinans hæreticus, priusquã ferculum illud uel mensam tangeret, eleuata ei obuiam manu signat, statimq; posito coclеario sumit, non intelligens an caleret, feruentemq; cibũ uelociter inglutiuit. Protinus accenso pectore æstuare cepit, emissoq; cũ suspirio ĩmenso uentris strepitu, nequã spiritum exhalauit, ablatusq; de conuiuio, & locatus in tumulo, terrenæ molis congerie est opertus. Tunc exultans presbyter nostrę religionis, ait, Verè ultus est Deus seruos suos. Et conuersus ad uirũ, cuius erat conuiuium, dixit, Perijt huius memoria cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Tu uero appone quod comedam. Tunc homo ille perterritus, expleto conuiuio, prouolutus est ad pedes presbyteri, conuersusq; ad fidem catholicam credidit cũ domo sua, quæ in hac perfidia tenebatur, & multiplicata est lætitia, sicut prius mulier flagitauerat.

De approbatione eiusdem aliud miraculum.

Arrianorum presbyter cũ diacono nostræ religionis altercationem habebat; proferens contra Dei filium ac spiritumsanctum, ut mos genti est, uenenosas assertiones. At ille cũ diu multumq; nonnulla de fidei nostræ ratione disseruisset, & hæreticus perfidiæ obcęcatus caligine, quæ erant uera respueret, iuxta illud, Quia in maliuolam animã non introibit sapientia; adiecit dicens, Quid longius sermocinationũ contentionibus fatigamur, factis rei ueritas approbetur. Succendatur igni æneus, & inferuenti aqua anulus cuiusdam proijciatur: qui uero eũ ex feruenti unda sustulerit, ille iustitiam consequi comprobatur, quo facto pars diuersa ad cognitionẽ huius iustitiæ conuertatur. Intellige itaq; & tu hæretice, si hoc pars nostra, spiritu sancto adiuuante, compleuerit, nihil in sancta trinitate dissonum, nihil disimile fatearis. Consensit hæreticus huic diffinitioni, & inito usque mane placito, discesserunt. Sed fidei feruor, per quem hæc primum diaconus protulerat, cœpit inimico insidiante tepescere. *Ibid. Cap. 80.*

Diluculo autẽ surgens brachium infundit oleo, unguento conspergit. Sed tamen loca sancta circuit, & Deũ deprecatur. Quid plura? circa horam tertiã in foro conueniunt; concurrit populus ad spectaculum; accenditur ignis, æneus superponitur feruet ualde, anulus in feruenti aqua proijcitur; inuitat primũ diaconus hæreticũ ut ipse eum à calore auferat, sed statim recusauit dicens, Tu qui hanc sententiam protulisti, debes auferre. Diaconus uero licet trepidus tamen denudat brachium. Cunque ipsum uidisset unguentis hæreticus presbyter delibutum, exclamauit dicens, Magicis artibus te tutandũ putasti, ut hæc unguenta diffunderes, nec ualebunt ista quæ agis.

His ita litigantibus, superuenit diaconus ab Vrbe Rauenna, Iacinthus nomine, sciscitansq; quæ esset hæc altercatio, ut ueritatẽ cognouit, non moratus est, sed extracto à uestimentis brachio, in æneum dextram mergit. Anulus autem, qui iniectus fuerat, erat ualde leuis, ac paruulus, nec minus ferebatur ab unda, q̃ uento posit ferri uel palea. Quẽ diu multum quæsitum infra unius horæ spatium reperit.

Accendebatur interea uehementer focus ille sub dolio, quo ualidius feruente, non facile assequi posset anulus à manu quærentis. Extractoq; tandem, nihil diaconus sensit in carne sua, sed potius protestatur, in imo quidem frigidum esse æneum, in summitate uero calorẽ tẽporis modici continentem. Quod cernens hæreticus ualde confusus iniecit audax manum in æneo, dicens, Præstabit hæc mihi quoque fides mea. Iniectaq; manu, protinus usque ad ipsa osium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem fecit.

Consimile miraculum apud Hispaniam.

Sed & nostro tempore cũ incredulitas ac iniqua Arrianorum secta in locis Hispaniæ per malorũ pesimas assertiones esset disseminata, quidã *Ibid. Cap. 81.*

clericus apprehensus christianum se esse professus est, asserens æqualem patri filium & spiritumsanctum esse. Cui Rex qui præerat offerens munera, tanq̃ se maiorem deprecabatur, ut scilicet cõpressa confessione de sanctæ Trinitatis æqualitate, minorẽ patre filium cũ sancto spiritu fateretur: quod si faceret, & facultatibus ditaretur, & magnus haberetur in populis. Quod ille consilium tanq̃ morsum uiperæ fugiens, iniqui uirus mortiferũ respuit anguis. Adiecit Rex, Video, inquit, duram intentionẽ mentis insanæ, sed noui temperamentũ tuũ, ut quem munera non deflectunt, facile tormenta subijciant. At ille, Vtinã dignus habear, ait, in hac iugulari confessione. Nam munera tanq̃ stercus exhorreo.

Tunc iratus Rex iussit eũ ad trocleas extẽdi, & fortiter cœdi interrogans, Quid credis? Qui respondit, Iam dixi tibi. Credo Deũ patrẽ omnipotentem, & filium eius Iesum Christum. Post hæc cęsus est ualde, sed semper durabat in confessione. Nec unquã eum â fidei linea potuit hæc tortura deflectere. Nam in primordio cũ cęderetur, tres tantũ uerberum ictus sensit, qui, ut ipse postea referebat, ipsam animã penetrarunt, reliqua uero flagella, tanq̃ si aliquod uelamentũ dorso superpositum fuisset, non sentiens, magis fidem quam tenebat, inter tormenta positus prædicabat. Itaq; cũ Regi satisfactũ de eius cęde fuisset, dimissus est, obtestante eo, ne in terminis Hispanię unq̃ amplius inueniretur. At ille lętus discedens, in Gallias est regressus; sed ut fides dictis adhibeatur, ego hominẽ uidi, qui hæc ab ipsius clerici ore audita narrauit.

Habetur in ope eiusdem in gloriam pluri morũ martyrũ edito.

MIRACVLA A DOMINO DEO AD CORroborationem Christianæ fidei facta, per beatum Gregorium Turonensem Archiepiscopum descripta.

Ac primum de miraculo facto apud Vrbem Vasatensem.

Cap. 12.

1

Ecce uigiliæ, psalmodia et oratio, quæ quã sint deo grata si scire cupis, uide miros effectus qui inde prouenerunt.

OPerepretium puto miraculũ, quod in Vrbe Vasatensi dominus largitus est, memorare. Tẽpore quo diuturna obsidione uallabatur ab Hũnis, omni 1 nocte sacerdos, qui pręerat, circuibat psallendo, & orabat, nec ab ullo auxilium, nisi Domini misericordiã requirebat. Hortabatur omnes orare & non deficere, asserens humiles preces cœlorum ianuas penetrare. Hostis uero in circuitu, depopulabatur uillas, domos tradebat incendio, agros uineasq; pecora intromissa uastabant. Sed sacerdoti bono operi insistenti celeriter uirtus diuina affuit. Nã nocte uisum est ipsi barbarorum regi, quasi psallentes homines in uestimentis Albis accensis cereis circuire muros urbis; & indignans ait: Quæ est hæc peruersitas & securitas uana, ut obsessi, quasi despectis nobis, canticis nescio quibus ac laudibus perstrepantur, uere quia digni sunt perditione. Et statim misit ad Vrbẽ nuncios interrogãtes, quid sibi ista uelint. At illi negant scire se quæ dicuntur, neque de his aliquid persensisse.

Alia

Alia uero nocte uidit quasi globum magnũ ignis super Vrbẽ descendere, & ait: Si contra nos sic obsessi contumaciter agunt, & nos non metuunt, uel cœlestis eos ira consumit. Cunque non uideret ullum ab Vrbe incendiũ consurgere, misit iterũ interrogantes, quæ essent, quæ uiderat. Similiter asseruerunt, nihil se omnino uidisse. Tunc Rex Gausericus ait: si hæc isti nesciunt, manifestũ est, quod Deus eorum adiuuat eos, & statim discessit à loco illo.

Sacerdos autẽ conuocatis ciuibus, uigilias celebrat, & missarũ agit festa pro liberatione populi sui. Dum autẽ hæc ageret, respiciens sursum, uidit super altare, quasi de camera tẽpli cadere tres guttas ęquales magnitudine, claritate & candore cristallum uincentes. Cunq; omnes cũ admiratione & stupore uehemẽti intenderent, easq; nullus auderet attingere, Petrus quidã presbyter, qui (ut res ipsa asserit) magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur, quæ dum per altare uago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenã, statim in se coniunctæ, quasi unam gemmã pulcherrimã effecerunt. Patuitq; euidenti ratione contra iniquam, & Deo odibilem Arrianã hæresim, quæ eo tẽpore pullulabat, hæc acta. Agnitũq; est sanctã Trinitatẽ in una omnipotentiæ ęqualitate connexam, nullis garrulationibus posse disiungi.

Tunc gauisus populus, & intelligens munus sibi indultum fuisse diuinitus, conferens aurũ, gẽmasq; pretiosas, crucẽ fecit, in qua hanc gẽmam statuit. Sed protinus omnes reliquę gẽmę hac accedẽte ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens, non esse consortium cœlestibus cum terrenis, fabricata [2] Cruce ex auro purissimo, eam gẽmam media intercapedine locat, & populo adorandam prębet. Nec mora, fugato, ut diximus, hoste, ciuitas liberata est. Iã ex hoc multi infirmi hausto uino, uel aqua, in qua gẽma abluitur, protinus sanitati redduntur. Denique cum adorata fuerit, si à peccato est homo ĩmunis, & ipsa apparet clara. Cęterum si (ut plerunq; assolet) humanę fragilitati aliquid detulerit criminis, tota ei uidetur obscura, miram prębens discretionem inter innocentẽ & noxium, cum uni atra, alteri monstretur splendida.

[2] Vides dominicæ Crucis signaculũ in omni materia insculpi solitum, & populis adorandum proponi.

Insigne miraculum de fontibus Hispanię.

Ibid. Cap. 23.

Est & illud illustre miraculum de fontibus Hispanię, quos Lusitana Prouincia profert. Piscina nanq; est apud ostij campũ antiquitus sculpta, & ex marmore uario in modum crucis miro cõposita opere. Sed & ędes magnę claritatis ac celsitudinis desuper Christianis constructa est.

Igitur cum dies sacer post curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus confuso proditore, mysticam discipulis prębuit cœnã, conueniunt in loco illo cum pontifice ciues, iam odorẽ sacri pręsentientes aromatis. Tunc data oratione, sacerdos ostia tẽpli iubet simul muniri signaculis, aduentum Dominicę uirtutis pręstolans.

Die autẽ tertia, quę est sabbati, conuenientibus ad baptizandũ populis, adueniens Episcopus cũ ciuibus suis, inspectis signaculis ostia reserat

clausa, ac mirũ dictu, piscina, quam reliquerant uacuam, reperiunt plenã sed cumulo altiore refertam, ut solet super ora modiorũ triticum aggregari, uideasque huc illuc latices fluctuare, nec parce indiuersa defluere. Tunc cũ .A. exorcismo sanctificata aqua, consperso desuper chrismate, omnis populus pro deuotione haurit, & uas plenũ domi pro saluatione reportat, agros uineasq; aspersione saluberrima curaturus. Et cũ exinde multitudo amphorarum sine collato numero hauriatur, nunquam tamen uel cumulum minuit, licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducatur. Et baptizatis omnibus, lymphę in se reuersę ut initio produnt nescio, ita & fine ignaro clauduntur.

.A. *Ecce antiquus usus benedictionis aquæ cum exorcismo.*

De illis, qui non adhibuerunt supradictis fidem.

Ibid. Cap. 24.

Quidam uero ex hęreticis Deum non metuens, neq; uenerationem præstans huic loco sancto, neque credens corde miraculum, quod in eo Dominus ad corroborandum suorum fidem præstare dignatur, uenit cum turba equorum, solutaque impedimenta iussit in basilicam poni, equitibusq; in ea præsepia præparari, irridens miser, quæ de hoc loco narrabantur ab incolis.

Igitur media nocte prætereunte à febre corripitur, ac pene exanimis & tardius quam debuerat pœnitens, exclamat equites ab æde expelli, erat enim ei, sub Rege licet, magna tamen in illa regione potestas, expulsisq; à basilica sancta equitibus, ad se reuersus cœpit dentibus proprium lacerare corpusculum, nec prorsus retineri à suis ob nimiam poterat debaccationem. Tandemq; oppressus inter suorũ manus spiritũ exhalauit.

Denique Theodegisilus Rex huius regionis cum uidisset hoc miraculum, quod in his sacratis Deo gerebatur fontibus, cogitauit intra se dicens, Quia ingenium est Romanorum (Romanos enim uocitant homines nostræ religionis) ut id accidat, & non est Dei uirtus. Veniens uero ad annum sequentem ostium sigillis suis cum episcopi sigillo muniuit, posuitq; custodes in circuitu templi, si forte aliquẽ deprehendere posset fraudis alicuius conscium, per cuius ingenium in fontibus aqua succederet; similiter & in alium fecit annum. Tertio uero conuocata uirorum multitudine, fossas in circuitu basilicæ fieri iussit, ne forte uenis occultis lymphæ deducerentur in fonte; fueruntque fossæ in profundo uicenum quinum pedum, in latitudine uero quindecim. Sed nihil abditum potuit reperiri. Tamen uitę finem faciens anno sequenti, diem, quo hoc mysterium celebrabatur, uidere non meruit, eo quòd arcanum uirtutis diuinæ inuestigare præsumpsit. Habentur autem in ea reliquiæ sancti Stephani leuitæ.

De illo, qui propter perpetratum furtum nequiuit aquã haurire.

Ibid. Cap. 25.

Ergo quia fons ille diuino nutu, ut supra diximus, ad officium baptizandi repletur, & quia cũ cõpletus fuerit, auide ex hoc populus aquam haurire festinat, quidam accepto uasculo, presbytero, qui hanc aquã ministrabat, porrexit ad complendum. Quod dum complet senior, hic in-

ter comprimentes turbas manũ alteram extendit ad balteũ, cultrumq; furatus est, quem uagina reconditũ habebat, manumq; alterā extendit ad accipiendā hydriam, quā tradiderat presbytero. Qua accepta, amotus in parte alia neque unam guttam aquæ in ea potuit reperire.

Tunc confusus ualde, & sibi hoc ob furti causam euenisse cognoscens, homini cultrum, quem furatus fuerat, reddidit: & sic iterum porrecta lagena, plenam aquæ recepit. Est autē populus ille 3 hæreticus, qui uidens hæc magnalia non compungitur ad credendum, sed semper callide diuinorum præceptorum sacramenta nequissimis interpretationũ garrulationibus non desinit impugnare. Sed uirtus Domini diuersam partē destruit, & confundit.

3 *Profecto ita est, quia semper hæretici negant diuina miracula & nequissimis interpretationibus exinanire nituntur.*

De uirtute fidei, & nominis Christiani.

Ibid. Cap. 40.

Magna est quidem dignitas nominis Christiani, si illa, quæ confiteris fide, 4 opere prosequaris. Nam sicut ait Apostolus: Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Sicut enim filios Abraham non carnalis natiuitas, sed fides facit, ita & Christianos uiros non solum nominis gratia, sed opera præstant. Per hoc enim nomen illuminantur tenebræ, serpentes fugiunt, idola prosternuntur, cessat ariolus, tabescit sortilegus, cultores dæmonum propelluntur: sicut Prudentius noster in libro contra Iudęos meminit, quòd procedens Imperator ad īmolationem fœtidam dæmoniorum, adoratis Dijs, atque coram sigillis prostratus, expectabat sacerdotes simulachrorum, mactantes turbas pecudum, quarũ frons reuincta lauro securibus cędebatur. Cunq; senex cruentis manibus internorũ tractaret uiscerũ partes, iecinoris pręcordia, & fibras, atq; inter exta animalium inuestigare aliquid tentaret diuinum, turbata omnia cernit, nec ea quæ cupiebat scire, poterat certus agnoscere.

4 *Vides quod non sufficit sola fides ad salutem consequendam, sed bona quoque opera requiruntur.*

Exclamat turbatus, & ait, Heu heu nescio quid agitur, quod dijs nostris contrariũ esse putatur; uideo enim Deos nostros à longe discedere, nec de pręparatis sacrificijs aliqua prælibare. Est hic (ut res ipsa docet) de officijs quispiam eorũ, qui nobis aduersari soliti sunt. Et mirũ, si ad hanc fugā nō aliqui de cultoribus Dei Christi, quē Crucifixũ asserunt, impellant. Thuribula thymiamatis refrigescunt: Aræ tepescit ignis: Et ipsum quoq; ferrũ iniectũ uictimis hebetare conspicitur. Require nunc sacratissime Auguste, si adstet quis ablutus baptismo, balsamoq; unctus, & abscedat protinus, ut accedant dij, quos inuocamus. Et hæc dicens, ac sursum cernens de his Christum ultorem, procidens ad terram exanimis, offensa proclamat numina.

Tunc & ipse Imperator, deposito diademate ait: Quis est hic numinibus nostris contrarius, ac religionis Christianæ socius, qui frontem 5 Chrismatis inscriptione signatā ferat, lignumq; Crucis adoret? Ne moretur edicere. Tunc unus de armigeris Augusti in medio positus, proiecit arma solo, & ait: Ego sum, cuius Deus Christus est, & qui eius baptismo ablutus, & cruce redēptus sum; qui semper eius nomen inuocabam, dum

5 *Chrismatis usus antiquissimus est in ecclesia sicut et cæterorum sacramentorum à domino Iesu Christo institutorum, simulq; ligni Crucis adoratio.*

ſacerdotes ueſtri dęmonijs hæc quæ ſunt appoſita conſecrarent. Eius nomen fugiunt dij ueſtri, nec poſſunt in loco illo ſtare, ubi tantæ maieſtatis nomen fuerit inuocatum.

Hæc dicente puero, obſtupefactus Imperator, & tremens reliquit tēplum dęmoniorū, tantumq; omnes aſtantes Dei timor accendit, ut nullus Auguſtū ad palatium ſequeretur: Sed cuncti erectis ad cœlū palmis, & oculis, Dominū Chriſtū uno ore unoq; conſenſu laudabant, atq; ut eiſdem adiutor exiſteret, uoce ſupplici inuocabant. Quæ relatio ne cui fortaſsis uideatur incredula, paucos ex his ſubijciam uerſus.

Principibus tamen è cunctis non defuit unus,
Quem puero memini ductor fortiſsimus armis,
Conditor & legum celeberrimus, ore manuq;
Conſultor patriæ, ſed non conſultor habendæ
Religionis, amans tercentum milia diuum,
Auguſtum caput ante pedes curuare Mineruæ,
Fictilis & ſoleas Iunonis lambere plantis
Herculis aduolui, genua incuruare Dianæ.
Forte litans Echatem placabat ſanguine multo
Vittatus de more ſenex, manibuſq; cruentis
Tractabat trepidas letali frigore fibras,
Poſtremoſq; animi pulſus in corde tepenti
Callidus interpres numeris & fine notabat.
Cum ſubito exclamat media inter ſacra ſacerdos
Pallidus, En quid ago? maius Rex optime maius
Numen neſcio quod noſtris interuenit aris.
Accitas uideo longe diſpergier umbras.
Neſcio quis certe ſubrepſit Chriſticolarum
Hic iuuenum, genus hoc hominum tremit infula, & omne
Puluinar diuum; lotus procul abſit, & unctus.
Pulchra reformatis redeat Proſerpina ſacris.
Dixit, & exanguis collabitur, ac uelut ipſum
Cerneret exerto minitantem fulmine Chriſtum.
Ipſe quoque exanimis poſito diademate Princeps
Pallet, & aſtantes circunſpicit, an quis alumnus
Chriſmatis inſcripto ſignaret tempora ligno,
Quis, oro, aſtreos turbauit fronte ſuſurros?
Armiger è cuneo puerorum flauicomantum
Purpurei cuſtos lateris deprehenditur unus:
Nec negat, & gemino gemmata haſtilia ferro
Proijcit, ac ſignum Chriſti ſe ferre fatetur.
Proſiluit pauido detecto Antiſtite princeps
Marmoreum fugiens nullo comitante ſacellum,
Dum tremefacta cohors, dominiq; oblita ſupinas

Erigit ad cœlum facies, uocat atque Iesum.

Hos tantũ uersiculos ad hæc quæ narraui confirmanda inserui lectioni, ostendens quid nomen Christianum, quid Crucis uexillum prosit ijs, qui fide credẽtes opere perficiunt q̃ crediderunt, sicut superius dictũ est.

De ultione cuiusdam furis.

Ecclesia est uici Taodorensis sub termino Turonicæ urbis, quæ plerunque sacris miraculis illustratur, fenestras ex more habens, quæ uitro lignis incluso clauduntur, quo præclarius ædi sacratæ lumen, quod mundus meruerit, subministrent. *Ibid. Cap. 58.*

Quam Ecclesiam fur importunus aggreditur, ingressusq́; nocte cũ omnia cerneret custodum cura teneri, & nihil de sacris ministerijs quod auferret aduerteret, ait intra se, si aliud inuenire nõ possum, uel has ipsas quas cerno uitreas auferam, fusoq; metallo aliquid auri cõquiram mihi. Ablatis igitur, dissipatisq; uitreis, metallum abstulit, & in pago Biturigi territorij contulit; missumq; uitrum in fornace per triduum decoquens, nullum exinde opus potuit expedire; Victusq; crimine diuinum super se iudicium intuens, nequaquã motus perdurat in malis. Ablatum autẽ à cacabo uitrum, quod in pillulis nescio quibus conuersum fuerat, aduenientibus negociatoribus uenundedit, ut scilicet accepta pecunia nouus Giezi perpetuam lepram cõpararet. Nam adueniente die post anni curriculum, quã hoc furtum fecerat, caput eius tumori datur. Oculi quoque inflantur, ut erui à suis locis autumentur. Hæc autẽ ei singulis annis eueniunt in die illa qua furtum admisit; Plangitq; miser uitrum, quod ex itinere, quo transmisit, non potuit reuocare.

Stupendum miraculum in auaros.

Audiui præteritis annis hoc gestum in Gallijs. Mulier quædã sub specie religionis uacabat 6 ieiunijs, orationibus insistebat, uigilabat pertinaciter, ac loca sancta deuotione simulata circuibat assiduè. Cunque in hoc colore iustæ uitæ duraret, immensas opes à multis suscipiebat, congregabat aurum, & quod deuotio Christiana pro redimendis captiuis porrigebat, loculis abdebat occultis, & quę dabantur inopum necessitatibus profutura, iniquis marsupijs condebat. Nam effosa mulier humo in medio cellulæ, ollam ĩmensam posuit, ibiq; cũ aliquid datum fuisset, recondebat diligenter, lapide superposito claudens, ut nulli pateret occultũ. O' terq; quaterq; execranda cupiditas, quæ luce fraudans homines demergis tenebris. Quid plura? Cum olla impleta fuisset nũmis, huic mulieri tẽpus resolutionis aduenit. Mortua uerò Deo, migrans sepulta est in Inferno.

Ibid. Cap. 105.

6 *Vides ieiunia, orationes, uigilias, & ad loca sancta peregrinationes? Hæc enim omnia de religione nostra etiam tunc agebantur.*

Post cuius exequias sacerdotes qui aderant puellam eius familiarẽ interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ad eam erogandã aliquod tẽporis statuisset spatium. At illa respondit nunquã se uidisse ꝙ ulli inopum manũ misericordiæ porrexisset: Vnum tantũ scio, ait, ꝙ in cellula deportatũ, regressum foras ultra non uidi. Hæc audientes clerici stupent, & quid ex hoc factũ fuisset, diligẽter inquirunt; & cũ totũ crebris ictibus

pauimentũ rumperent, locus, in quo occultata pecunia latebat, tinnitum dedit impulsus, cauoq; resonans prodidit quę latebant, & statim remoto lapide, inueniunt auri congeriem: & clerici stupentes tantæ subtilitatis peruersitatem, Episcopo quod actum fuerat indicant. Ille uerò cõmotus iussit reserato sepulchro, pecuniam super corpus exanime proijci, dicẽs: Sint tua, tibi quæ congregasti; pauperibus uerò Christi non deerit, unde sustententur. Nec mora, cũ prima quies nocturno tẽpore data fuisset, audiuntur uoces à tumulo, fletus, & ululatus ĩmensus; inter quas uoces hoc maximè resonabat, se miserã, se infelicem, q̃ auri cõsumebatur incendio.

Denique cũ per triduũ hæ uoces adueniente nocte, resonarent, populis non durantibus, ad sacerdotem uenitur. At ille accedens iubet tumuli opertorium amoueri; submoto, uidet aurum in fornace resolutum in os mulieris ingredi cũ flamma sulphurea. Tunc sacerdos orauit ad dominũ, ut, quia malitia eius populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam cessare iuberet à corpore. Et operto tumulo, discessit, uocesq; mulieris nõ sunt amplius auditæ.

Vides ergo quantum distat inter cõuersationem cęlestem, & opulentiam secularem? quantum distat inter martyrum diuitias, & seculi pompas? Vides qualia martyribus sunt collata præmia ad uitæ religiosę compendia? Et tu ò homo mortalis, non declinas à sceleribus, non cessas à uitijs, non agonizas, cum concupiscentia sæua te allicit, oculis dum contemplaris aliena?

Et licet iuxta Apostolum caro concupiscat aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ, & hæc inuicẽ aduersentur sibi, ut non quæ uolumus, illa agamus; tamen uide quid ait idem doctor, Video legẽ in mẽbris meis repugnantẽ legi mẽtis meæ, & captiuũ me ducentẽ in lege peccati. Ergo si te senseris captiuũ abduci in lege peccati, tutare frontẽ tuam 7 signo Crucis insigni, quo propellas iaculum huius insidiæ: quia iuxta Prudentium, Crux pellit omne crimen, fugiunt crucem tenebræ, & hoc munita signo mens fluctuare nescit. Nam ut cognoscatur, qualis sit huius uexilli sacratissimi fortitudo, quid contigerit nuper euoluam.

7 Ecce quõ signare se signo crucis murus est inexpugnabilis tam contra dæmones, quã cõtra omnia uitiorum incitamenta. Et quanta sit uirtus crucis.

De miraculo signo Crucis facto.

Ibid. Cap. 106.

Pannichius Pictauẽsis termini presbyter, dum ad conuiuium cũ amicis, quos euocauerat, resideret, poculum poscit. Quo accepto, musca importunior circumuolans, inquinare poculum nitebatur. Quã cũ sæpius manu presbyter abegisset, & illa paululum euolans rursus reuerti niteretur, sensit esse insidias inimici, susceptoq; læua poculo, de dextera signũ 8 crucis facit, mox in quatuor diuisus partes liquor, qui inerat, eleuata in excelso unda, terræ diffunditur. Patuit nanq; manifestissimè, hoc insidias esse inimici.

8 Dextera signo crucis poculum signauit, & statim miraculũ prodijt.

Ergo & tu si uiriliter, & non trepidè 9 signum uel fronti, uel pectori salutare superponas, tũc resistendo uitijs martyr habeberis, quia & ipsi martyres ea quæ uicerunt, non suis uiribus, sed Dei auxilijs per signacu-

9 Hortatur signare frõtes & pectora nostra signaculo crucis Christi, in cuius uirtute sãcti martyres tot mirabilia peregerunt.

lum Crucis gloriosissimè peregerunt: in quibus (ut sæpe diximus) & dominus dimicat, & triumphat. Vnde oportet nos eorū 10 patrocinia expetere, ut eorū mereamur suffragijs adiuuari, uel quod nostris digni non sumus meritis obtinere, eorū possimus intercessionibus adipisci; ut effici mereamur martyres, carnalibus abdicatis, ut ipse dicit, qui pro se fideliter dimicantes lapidibus pretiosis coronat in cœlo; ut etiam alumnos cultoresq; amicorū suorū protegere dignetur in seculo, ac præstet ut assistant martyres inuocati à suis, quos post uictoriam paradisus beatitudinis retinet immortales; ut in illo examinationis tēpore, quādo illos gloria æterna circundabit, nos aut excuset mediatrix uenia, aut leuis pęna pertranseat, nec damnet reos pro criminis actione in perpetuū, quos pretiosi sanguinis cōmercio reparauit.

10 *Hoc in loco multa habes pro sanctis contra Ecclesiæ aduersarios. Recurrendum ad eorum patrocinia. Sanctorum suffragijs nos adiuuari. Sāctos esse colendos tanquā Dei amicos. Cultores sanctorum a Deo protegi & defendi. Sanctos post mortem recipi in cœlo. Inuocatos suis inuocantibus assistere. Impetrare nobis ueniam peccatorum aut leuem pœnam pertrāseuntem.*

MIRACVLA D. IVLIANI MARTYRIS à beato Gregorio Archiepiscopo Turonensi descripta.

Caput primum, De passione eius.

Habentur post opus eiusdem in gloriā plurimorum martyrum æditum.

MAgnū in nobis quodāmodo igniculum ad iustitiæ suę adipiscendam semitā pietas diuina succendit cū dicit, Oculi domini super iustos, & aures eius ad preces eorū. Ostendens quod qui iustitiā ex toto corde dilexerit, cum precatus fuerit, audiatur à domino. Vtinam quisq; nostrū cū hæc tentare ceperit, statim spretis mundi scandalis, neglectis concupiscentijs uanis, derelictisq; semitis prauis, iustitiæ uiam expeditus & sine impedimento secularium actionū conaretur irrepere. Per hanc enim uiam Abel iustus suscipitur, Enoch beatus assumitur, Noe reseruatur, Abraham eligitur, Isaac benedicitur, Iacob dilatatur, Ioseph custoditur, Moyses sanctificatur. Dauid prædestinatur, Solomon ditatur, Tres pueri inter incendia rorulenta uaticinantur, Daniel inter innocuas bestias pascitur. Per hanc uiam Apostoli diriguntur, Martyres beati glorificantur. Et qualiter iniquis? Scilicet dum infirma curant, mortuos suscitant, præsentia contemnunt, futura desiderant, tortores despiciunt, pęnas non sentiunt, ad cœlestia regna contendunt. Quod proculdubio uirtute propria non obtinerent, nisi per uiam iustitiæ rectissime incedentes, à domino audirentur.

Sic & inclytus martyr Iulianus, qui Viennensi ortus urbe Aruernis datus est martyr, ab hoc igne succensus, hęc concupiuit, ac mente tota desiderauit. Quia cū esset apud beatissimū Ferreolum, iam tunc martyrij odore flagrabat, qui relictis diuitijs ac propinquis, tantū ob solius amorē Martini Aruernis aduenit. Sed nec hoc sine diuino mandato peregit, cū tunc persecutio in Viennensi urbe ferueret. Legerat enim dominū prædixisse, si uos persecuti fuerint in istam ciuitatē, fugite in aliam. Contulit ergo se hic in Aruerno territorio, nō metu mortis, sed ut relinquens pro

pria, facilius perueniret ad palmã, metuebat enim ne ei parentes essent obuij, si inter eos hoc certamen iniuisset. Et perderet miles Christi coronã gloriæ, si legittime non certasset. Igitur instante persecutione ad Briuatensem uicũ in quo fanatici erroris nęniæ colebantur aduenit. Et cũ insequi aduersarios nutu Dei sensisset, à uidua quadam se occultari deprecatur. Quẽ illa tegens, ilico martyre poscente detexit, qui suis insecutoribus ita dixit, Nolo diutius commorari in hoc seculo, quia sitio tota animi auiditate iam Christum.

At illi educta uibranti dextera framea, deciso capite, in tris (ut ita dicam) partes gloriosus diuiditur martyr. Nã caput Viennę defertur, artus
1 Briuate reconduntur, felix anima à Christo conditore suscipitur. Senes quoq; qui sacrosanctũ corpus mancipauerant sepulturæ, ita reintegrati sunt, ut in senectute summa positi, tanquam iuuenes haberentur. Caput quoq; eius Ferreolus martyr accepit, cõpletoq; certamine tam illius mẽbra, quam istius caput in unius tumuli receptaculo collocantur. Quæ ne cuiquã fortassis uideatur incredibilis esse narratio, quæ audiui gesta, fideliter prodam.

Sacrosanctum appellat martyris corpus, et non ossa emortua ut faciunt hæretici.

Cap. 2. De reuelatione capitis eius.

Quodam tẽpore dum ad occursum beati Niceti antistitis usq; Lugdu
2 num processissem, libuit animo non aliter nisi orationis causa Viennam adire, & præcipue 2 sepulchrũ uisitare Ferreoli martyris gloriosi. Inse derat enim menti propter antiquã dilectionẽ eorũ, me sic esse eius alumnum ut Iuliani. Denique oratione facta erigo oculorũ aciem ad tribunal, conspicioq; in eo uersiculos hoc modo conscriptos.

Ecce peregrinatio suscepta pro uisitatione sepulchri sancti Ferreoli martyris.

Heroas Christi geminos hæc continet aula
Iulianum capite corpore Ferreolum.

Cunq; hæc legens æditũ consulerẽ cur hæc scripta sic fuerint, respõdit, Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rodani littus ab antiquis fuerat collocata. Deniq; cũ impulsante uiolentia amnis, porticus quæ ab ea parte erat locata corrueret, Prouidus sacerdos Mamertus nomine, qui
3 tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinã futurã præueniens, aliam 3 basilicã eleganti opere & in ipsa mensura sagaci intentione construxit, illuc sancti martyris trãsferre cupiens corpus. Aduenit autẽ ad hoc opus Abbatũ atque Monachorũ magnus numerus, uigilataq; nocte accepto sarculo fodere ceperunt. Cunq; in profundo descenderent, tria sepulchra reperiunt, ac cõfestim stupor mentes spectantium inuadit. Nec quisquã erat certus quisnã esset beati martyris tumulus. Igitur cũ starent omnes in hebetate mentis attoniti, inspirante (ut credo) diuinitate, unus ex circũ stantibus exclamat dicens: Antiquitus referri solitũ erat, & celebri ꝑ populos sermone uulgatum, caput Iuliani confessoris in sepulchro retineri martyris Ferreoli, sic opertorio amoto unusquisq; consideretur. Et sic po
4 test quæ sint mẽbra Ferreoli martyris protinus inueniri.

Vides hic duas basilicas in honorem sancti Martyris constructas, secundamq; eleganti opere ?

Hæc audiens sacerdos, cunctos iubet in 4 oratione prosterni, qua

Ecce oratio cum prostratione

impleta procedit ad tumulos,detectisq; duobus singulos in his quiescentes inuenit uiros. Cunq; aperuisset & tertium,inuenit in eo uirũ iacentẽ illæso corpore,integro uestimento, q deciso capite caput amplexus aliud brachio detinebat. Erat enim ac si nuper sepultus,neque pallore faciei demutatus,neque capillorũ decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus,sed ita integer & illæsus, ut putares eũ adhuc sopore corporeo detineri. Tunc antistes gaudio magno repletus,ait,hoc esse cadauer Ferreoli,hoc esse caput Iuliani martyris dubium non habetur. Tunc cũ magno psalterio plaudente populo, in loco ubi nunc est, 5 adoratur domino annuente.

5 *Adorãtur sancti martyres adoratione Duliæ & nõ Latriæ, quia illa soli Deo debetur.*

Hæc autẽ ut ad sepulchrũ martyris ab ipso æditu o cognoui, fideliter retuli. Præbet tamen huic operi testimoniũ Sollius noster ipsi Mamerto scribens his uerbis, Tibi soli concessa est in parte orbis occidui, martyris Ferreoli solida translatio,adiecto nostri capite Iuliani,unde pro cõpensatione deposcimus,ut nobis inde ueniat pars patrocinij, quia uobis hinc redijt pars patroni.

Cap. 3. De uirtute fontis ubi caput eius ablutum est.

In loco autẽ illo quo beatus martyr est percussus, fons habetur splendidus,lenis,dulcibus aquis uberrimus, in quo & à persecutoribus caput amputatũ ablutũ est, de qbus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis. Nam sæpe cecorũ oculi ab his 6 tacti illuminati sunt, tertianarũ quarternarumq; febriũ ardoribus accensi,ut potatũ qui patiuntur iuerint, cõquiescunt. Nam & si quis graui laborans incõmodo,inspirante martyre desideriũ habuerit hauriendi,protinus ut hauserit,conualescit,& ita uelociter extinguitur uis febriũ, ceu si uideas super ĩmensum rogũ proiectis undis incendia uniuersa restingui.

6 *Ecce quot miracula operetur Deus ad aquas in quibus sancti martyris caput ablutum est.*

Cap. 4. De senibus,& matrona cuius uir tenebatur captiuus.

Post pasionẽ uerò beati martyris,ac fama prȩeunte de senibus qui dũ sanctos artus sepulturæ mandarent,fortitudini pristinȩ fuerint restituti, multa ibi beneficia expetentes credentesq; indulgente martyre consequuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor ueniam condonari, quod me minus uel peritũ, uel idoneum ad hæc narranda cognosco,nec imbutũ grãmaticis artibus,nec literis liberalibus eruditũ. Sed quid facio quod impellit me amor patroni,ut nequeam hæc silere?

Vinctus quidã ab Hispanis & carceri deditus apud Imperatorẽ Treueri cũ capitali dijudicatus sententia tenebatur. Quod coniunx illius cognitũ dum tumulare uiri mẽbra festinat ad Briuatensem uicũ peruenit, repertosq; uiros dũ diuersa studio intento rimaretur, cognoscit, quod in eo loco uel de martyre, uel de senibus fuerit gestũ, fideliq; insinuatione credens,ad sepulchrũ beati martyris deliberat properare,ut causam suggerat, casus referet, uel cunctũ laborẽ sui doloris exponat. Asserentibus tamen præterea hominibus,absque dubio pollicemur domina tibi à martyre reddi lȩtitiam qui senum quondam decrepitȩ ætatis mẽbra rigentia

7 antiquo uigori restituit. Impletaq; hęc oratione promittit 7 ut sospitē reciperet coniugē, martyris sepulchrū in quo possit spatio cemento concingere. Fide plena, & de martyris pietate secura, Treuerim est ingressa, inuentumq; ob uirum & gratia imperiali receptū lęta regreditur. Inquisitoq; tēpore quo uir relaxatus esset è carcere nouit quod hęc fuit absolutionis hora qua illa martyris est auxilium precata. Dehinc pollicitationē quā promiserat cū immensis muneribus adimpleuit.

Vides bonam fœminā ad sepulchrum sancti uotum emisisse, beati martyris pietate, desiderij sui compotem factam, denium pollicitationem quā fecerat luculenter adimpleuisse.

Cap. 5. De eo qui alium in basilica occidere uoluit.

Erat enim haud procul à cellula quā supra sepulchrum martyris hęc matrona construxerat, grande delubrū, ubi in columnā altissimā simulachrū Martis Mercurijq; colebatur. Cunq; delubri illius festa à gentilibus agerentur, ac mortui mortuis thura deferrent, medio è uulgo cōmouentur pueri duo in scandalum, nudatoq; unus gladio alterum appetit trucidandum. At ille cernens nihil uenię reseruari cū à dijs suis non defensaretur, nostræ religionis custodiā, nostræ confessionis ueniam, nostrę contagionis medelam, cellulam expetijt martyris gloriosi. Tunc ille qui sequebatur, cum in assultu gladij eum non potuisset contingere, & hic super se ostium reserasset, atq; ille arrepto utroq; poste ostium conaretur infringere, illico inhærentes manus tabulis dolore nimio quatiuntur, & tanta afflictione miser torquetur, ut ubertim lachrymæ qualis esset dolor intrinsecus nunciarent. Interea stupente uulgo inclusus qui fuerat progreditur liber, parentes quoque illius qui uirtute sancti retinebatur, cognoscentes martyris sepulturā, deuotis multis muneribus pro filio exorabāt.

Cap. 6. De conuersione incolarum.

Factum est autē dum hæc agerentur, ut presbyter quidam uia illa descenderet. Qui cū didicisset quæ acta fuerant, pollicetur parentibus si à gentilitate discederent, filium reciperent sanū. Ipse quoq; sacerdos sequēti nocte uidet per somniū simulachra illa quæ à gentilibus colebantur, numine diuino cōminui, atq; in puluerē redacta solo prosterni. Quarta autem die cū gentilitas uellet iterū dijs exhibere libamina, mœstus presbyter ad 8 sepulchrū sancti prosternitur, & cū lachrymis exorat ut tandē gentilitatē hanc quæ iacebat in tenebris, splendor diuinæ potentiæ uisitaret, nec 9 sineret ultra martyr beatus alumnos proprios ista caligine detineri, cum ille 10 perpetuæ claritatis gaudia possideret. Confestim ad eius orationem cōmouentur tonitrua, renident fulgura, descendit imber igne mixtus, & grandine turbantur omnia. Cōcurrit uulgus ad cellulam, prosternitur corā sacerdote omnis caterua gentilium, & mixto cū lachrymis ululatu, cuncti domini misericordiam deprecantur, pollicenturq; sacerdoti, si grādo recederet, & martyrē patronū expeterent, & ad Deum eius relictis simulachrorum cultibus integro corde transirent. Porrò ille fusa oratione cuncta quæ petijt, meruit obtinere. Recedente autē tempestate, puer cū parentibus credens, ipsa die à doloribus liberatur, gentiles in trinitatis nomine baptizati, statuas quas coluerant cōfringentes, in la-

8 *Orat sacerdos ad sepulchrum sancti cum prostratione & lachrymis, atq; exauditur.*

9 *Non ex hoc illata fuit iniuria domino nostro Iesu Christo, quod ad sanctū sacerdos prius confugit.*

10 *Vides animas sanctorum esse in cœlo &*

cum uico amniq; proximũ proiecerunt. Ab eo enim tẽpore in loco illo, & fides catholica,& martyris uirtus est amplius declarata.

Cap. 7. Qualiter Illidius populum ab hostilitate liberauit.

Post hæc uenientes quidam de Burgundionibus ad Briuatensem uicum, eum cũ armorũ multitudine copiosa circundant, captoq; populo, direpto ministerio sacrosancto, ultra amnem transeunt, & uiros gladio interficere,reliquũ uulgus sorte diuidere parant.Tunc Illidius quidam à Vellano ueniens,& ut aiunt,cõmonitione columbę alitis incitatus super eos irruit.Hortatosq; socios ita hostes ad internitionem cecidit ut captiuos,triumphansq; in laude martyris amne transmisso, ad beatã cellulam tanquã nouus Moyses cũ omni populo canendo reuertitur. Nec minor ut arbitror,exultatio fuit ereptis,quam quondam Israelitis,dimersis fuit Ægyptijs.Quod ne quis dubitet hanc beati martyris fuisse uictoriam,insinuatio columbæ aliquod mysterium creditur fuisse uirtutis diuinæ. Nã ueniente Illidio hæc ei obuiam uenit,& cũ ut ille assolet,aliquid demoraretur,hęc in circuitu illius uolitabat,illoq; progrediente ista præcedebat, & reuertebatur obuiam,quas accelerare deprecans iter.Dum hæc agerẽtur,aduenieus puer captiuitatem nunciat,& sic iste uiam accelerauit,sed & ipso pugnante,columba semper circa eum uisa est discurrere. Quod quis non inuideat quasi confictum dicens de columba,& homini præstitum Christiano,cũ Orosius consulem Romanorũ idest Marcum Valerium à coruoalite scribat adiutum.

Cap. 8. De interitu eorum qui ministerium basilicæ asportauerunt.

Prostratis ergo illius hostibus,quatuor ex his per fugã lapsi,patenam, & urceum qui anax dicitur,in patriã deferunt & diuisa in tantis ut erant partibus patena,urceum regi Gundobaldo ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquũ uero argentum Reginæ sagacitas reperit,quod additis multis muneribus loco illi sancto restituit, fideliter insinuans regi, non oportere eum ut gratiam martyris sancti propter argenti paruitatem amitteret.

Cap. 9. De Fœdamia paralitica.

Pro quibus ac talibus uirtutum 11 ornamentis magna ibi basilica fabricata à fidelibus, uirtutibus ut præfati sumus martyris beati refulget in qua paraliticorum,claudorum,cęcorum,& aliorum quoque morborum sępius petita remedia conquiruntur.

Fœdamia quędam mulier paralisi humore constricta,cui nullum corporis membrũ sine dolore uigebat, exhibita est deferentibus propinquis ad beatam basilicam, ut uel stipem largientibus mereretur, quæ dum in porticu illa quæ sanctę basilicę coniungitur decubaret, 12 noctẽ dominicam dum sacrosanctis uigilijs populi fides deuota concelebrat, & illa quiescens lectulo paululum obdormisset, à uiro quodam per uisum correpta atque increpata est dicente sibi, Cur reliquis excubias nocturnas

11 Tot & tãta miracula qualis fuerit sanctus in uita uirtutis & meriti optime manifestant.

12 Vides quod celebrare sacras uigilias res est Deo placens, & quod antiquitus illas celebrabant etiam in sanctorum Martyrũ Ecclesijs?

Deo exhibentibus illa deesset? Respondit se ab omni membrorum parte debilem, nec penitus gressum agere posse. Tunc quasi sustentata à uiro qui loquebatur ei, & ad sepulchrum usq; deducta, dum in sopore fundit orationem, uisum est ei quasi multitudinem catenarum ab eius mẽbris solo decidere, à quo etiam sonitu expergefacta, sensit omnium artuũ recepisse plenissimã sanitatem. Protinus surrexit à lectulo, & stupentibus cunctis cum gratiarum actione uociferans, sanctam est ingressa basilicã. Ferunt etiam quidam solitam fuisse eam referre habitum uiri qui eam fuerat allocutus, dicebat eum statura esse procerum, ueste nitidum, elegãtia eximium, uultu hilarem, flaua cęsariæ immixtis canis, incessu expeditum, uoce liberũ, allocutione blandissimum, candoremq; cutis illius ultra lilij nitorem fulgere, ita ut de multis milibus hominum quæ sępe uidisset, nullum similem cõspiceret, unde multis non absurde uidetur ei beatum martyrem apparuisse. Quæ mulier post decem & octo annos sanata est.

Cap. 10. De eo qui percussorem suum de basilica conabatur extrahere.

Quidam dum in seditione quã cõmouerat cum oculum amisisset, hominem qui ictum intulerat de basilica conabatur extrahere, quod dum agit, non modo amissio oculi non recipit lumen, 13 uerumetiam sensit cilium eius quem sanum habuerat obcęcari. Porrò cum peccata sua confiteretur dicens merito mihi euenit iudicium sine misericordia, qui non feci misericordiam. 14 Prostratus corã sancto sepulchro cum populo qui tunc ad festiuitatem aduenerat, indulgens lædenti, & uisum recepit, & gratiam, sicq; factum est ut is qui sancti auxilium expetierat, tutaretur, ille uero qui non credebat, argueretur. Et sic uterque lætus emendatusq; discessit.

13 *Ecce quem fructum reportent libertatis sacrorum templorũ uiolatores.*

14 *Prostratus corã sancto sepulchro, indulgens lædenti, lumen recepit & gratiam.*

Cap. 11. De contracto qui die dominica boues iunxit.

Alius quoque ausu temerario die 15 dominica boues iungens, agrũ sulcare cepit. Apprehensamq; securim ut aliquid emendaret in uomere, protinus contractis digitis manubrium in dextera eius adhæsit. Cunque præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos ueniens ad beati 16 martyris basilicam, uigilias fideliter celebrauit. Statimq; in ipsa die dominica reserata manus lignũ quod inuitus tenebat amisit, magnam inferens populo disciplinam, ut quod die dominica fuerat perpetratum, ipsa quoq; die dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam martyris, recessit incolumis, nec ultra die resurrectionis dominicę quicq; ausus est operari.

15 *Vide obseruationem diei dominicæ in quo nil manualis operis exerceri licet.*

16 *Ecce & hic Vigilias deuote ĩ basilica martyris celebratas.*

Cap. 12. De Anagilo muto, & surdo ac cęco.

Sic & Anagilus quidam mutus, surdus, & cecus, omnium membrorũ cõpage debilitatus, ad limina sacrosancta proiectus est, scilicet ut uel ab stipe pasceretur deuotorum, qui uictus alimoniam proprijs manibus laborare non poterat. Igitur cũ per annum integrum ante sanctam ædem decubasset, tandem uisitatus à uirtute beati martyris, ab omni infirmitate sanatus est. Videtur autem mihi non incongruum ut sicut sancti uirtute

tute curata morbida retexuntur, ita & infidelium prauitates oratione illius confutatæ, ad emendationem aliorũ ne similia appetant declarentur, quia utraque sancti gloria præstat, ut & hos sanitati reddat ne amplius crucientur, & illos arguat, ne in futuro iudicio condemnentur.

Et licet nullum latere credam aliquid de hostilitate Theodorici regis, ac infirmitatibus Siginaldi, quæ eis in Aruerno positis contigerunt, propter uirtutem tamen beati martyris est diligentius exponendũ, quo facilius fides dictis adhibeatur. Igitur cum ob direptionem Aruernorũ rex antedictus festinaret, et ingrediens terminũ uastatione cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata, ad Briuatensem uicũ infesta prorupit, fama uulgante quod in basilica essent incolæ cũ multis thesauris absconditi. Cunque peruenissent ad locum, inueniunt multitudinem promiscui sexus obseratis ostijs in templo ipso cum proprijs facultatibus residere. Cunque intrare non possent, unus per effractam ceu fur in altari sancto fenestram uitream ingreditur, quia qui non intrat per ianuam, hic latro est. Dehinc reseratis ædis illius ualuis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum supellectili, cum ministris ipsius basilicæ reliquũ populum qui infra erat eductum foras diuiserunt, haud procul à uico. Quæ cum ad Regẽ delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diuersis mortibus condemnauit. Fugiens uero ille qui irrupta ęde caput fuit huius sceleris, 17 igne de coelo dilapso consumptus interijt, super quẽ cum multi aceruum lapidum congregassent, à tonitruis, & coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui uero de consentaneis latentes Regem in patriam sunt regressi, correpti à dæmone diuersis exitibus hanc uitã finierunt. Hæc audiens Rex omnia exinde quæ fuerant ablata reddidit. Præceperat enim ne in septimo à basilica miliari quis uim inferret.

17 *Vide quam seueram ultionem exercuerit deus in uiolatores & prædatores Ecclesiæ.*

Cap. 14. De Sizinaldo peruasore.

Tunc Sizinaldus cum Rege præpotens cum omni familia sua in Arulerna regione ex Regis iussu migrauit, ubi dum multorũ res iniuste cõpeteret, uillam quandam quã gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Biturgensis basilicæ sancti Iuliani reliquerat sub specie obumbratæ cõmutationis auidus peruadit, sed mense tertio postquam aggressus est, 18 correptus à febre, & sine sensu effectus declinauit caput ad lectulum. Cuius uxor dũ de hoc exitu mœsta penderet, à quodam sacerdote commota est, ut eum si uidere uellet incolumem, auferret à uilla. At illa hæc audiens preparatis carrucis, compositoq; plaustro quo eum eueheret, mox ut prędium sunt egressi, protinus diuina sunt pariter gratia munerati. Nam iste sospitatem, illa meruit ex huius incolumitate lętitiam. Ferunt etiam in oratorium prędij illius sanctũ Iulianum martyrem cũ Tetradio Episcopo loquentem cuidam religiosæ reuelatum fuisse, promittentem se Episcopo uillam quam pro 19 animæ suæ remedio sibi reliquerat recepturũ. Sed & habitum beati martyris in eodem modo esse ut quondam paralitica exposuerat referebat.

18 *Aduertis non licere Ecclesiarũ prædia inuadere?*

19 *Ecce quomodo legata ad pias causas prosunt animabus dimittentium.*

Cap. 15. De pastoris malitia.

Pastor uero quidam non strennuitate sed nomine, ingenuus genere, dum in multis rebus contra basilicam sancti martyris iniuste ageret, ad hoc leuitas eius inimico incrassante conualuit, ut coloniam basilicæ concupiscens quæ agro eius erat proxima, peruadere non timeret. Ad quem sacerdos loci cum aliquos de clericis quasi legatos mitteret, ut accepta ratione quod male peruaserat relaxaret, ille quasi contra iniquũ hostẽ telis correptis prosiliit, fugatisq; sagittis clericis, res omnes in sua dominatione retinuit. Factum est autem ut in proximo adueniret dies passionis martyris gloriosi. Ad quam ille ĩmemor peruasionis suæ atque iniuriæ quã intulerat clericis, ante quinque dies 20 solennitatis, ad uicum Briuatensem aduenit, qui cum in domo hospitalitatis suæ conuiuio cum lætitia & exultatione fungeretur, subito coruscatione facta tonitrum sonuit, rursumq; iteratum, iaculoq; igneo de cœlis elapso 21 percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deinde ad exemplum omnium tanquam rogus flammeus ardens, paulatim consumebatur. Ad quod miraculum populus qui ad beati festa conuenerat, hæc cernens, cũ admiratione metuebat, satisq; illi fuit, ne de rebus sancti aliquid ultra contigeret. Quod ne fortuitu actum quis putet, cernat inter multos innoxios unum interisse sacrilegum.

20 *Dies festus sancti Iuliani celebris.*

21 *Et hic disce sanctorũ bona non esse inuadenda.*

Cap. 16. De contumacia Becconis comitis.

Quid etiam ad Becconis comitis confutandã superbiam beatus martyr sit operatus enarrabo. Hic cum actiones ageret publicas, & elatus iactantia multos contra iustitiam aggrauaret, casu contigit ut dimissum accipitrem diu per diuersa nagantem perderet, similiter, ut unus de seruientibus sancti Iuliani accipitrem alium dum per uiam abularet, quasi uagum inuenit. Erat enim puer ille pincerna in domo basilicæ. Quod cũ ad Becconem peruenisset quod scilicet puer repertũ teneret accipitrem, calumniari cepit ac dicere, meus ille erat, & hic furto eum sustulit. Deinde succendente auaritia, misit illum uinctum in carcerem, deliberans eũ in sequenti, patibulo condemnare. Tunc sacerdos mœstus ualde ad sepulchrum sancti properat, reseratisq; cum gemitu caulis, apprehensis decẽ aureis per fideles amicos Becconi obtulit. Quod ille pro nihilo respuens, cum iuramento asseruit nunquã se puerũ dimissurũ, nisi exinde aureos triginta acciperet. Quos presbyter desuper sepulchro sancti accipiens, Becconi transmisit. Quos acceptos saciata auri cupiditate, puerũ restaurauit incolumẽ. Sed Deus omnipotens qui permanet ante solem, secundum bonitatis suæ diuitias humiliauit calumniatorem, nam ipsius anni transacto curriculo, ueniens ad sancti 22 festiuitatem cum caterua satellitum, ingressus est limen sanctum. Procedente uero pastore qui beatę passionis recenseret historiam, ut reuoluit librum, & in principio lectionis sancti Iuliani protulit nomen, confestim Becco uoce nescio qua teterrima ad terram corruit, cruenteq; spumans dare uoces diuersas cœpit,

22 *Veniens ad sancti festiuitatem.*

inde inter suorum manus sublatus, à basilica domum reducitur. Nec fuit
23 dubium pueris eius hoc ob iniuriam basilicaris famuli euenisse. Omnem quoque ornatum quem super se tunc habuit, tam in auro, quam in uestimentis basilicæ contulit, & multa deinceps munera misit, sed usque ad diem obitus sui sine sensu durauit.

23 Non sunt ministri sanctorum martyrũ iniuria afficiendi.

Cap. 17. De Diacono qui oues basilicæ abstulit.

Fuit etiam quidam Diaconus qui relicta ecclesia, fisco se publice iunxit, acceptaq; à patronis potestate, tanta perpetrabat scelera ut uix posset à uicinis circumpositis sustineri. Accidit autem ut saltus montenses ubi æstiuandum oues abierant circuieret, atque pascuaria quæ fisco debebantur inquireret. Cunque diuersos spoliaret iniuste, conspicit eminus greges qui tunc sub nomine martyris tuebantur, ad quos leui cursu euolans, tanquam lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti pastores ouium dicunt ei, ne quesumus contingas hos arietes, quia beati martyris Iuliani dominio subiugati sunt, quibus ille hæc irridens respondisse fertur. Putasne Iulianus comedit arietes? Dehinc ipsos uerberibus affectos quæ uoluit abstulit ignorans miser quod qui 24 de domibus sanctorum aliquid aufert, ipsis sanctis iniuriam facit, ipso sic domino protestante, qui uos spernit me spernit, & qui recipit iustum, mercedẽ iusti accipiet. Contigit autẽ ut post dies multos non religione sed casu conferente, ad uicum Briuatensem properaret, proiectusq; humo ante sepulchrum, mox à febre corripitur, & tanta ui caloris opprimitur, ut neque consurgere, neque puerum euocare posset. Famuli uero cum uidissent eum extra solitum plus occumbere, accedentes quid tu (inquiunt) in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi longus mos erat orandi aut deuotio? Ferebant enim de eo, quod quando quidem in ecclesia fuisset ingressus, parumper ĩmurmurans, nec capite inclinato regrediebatur. Tũc interpellantibus pueris cum responsum reddere nõ ualeret, ablatus manibus è loco in cellam quæ erat proxima, lectulo collocatur. Igitur inualescente febre proclamat se miserum incendi per martyrẽ. Et quod primo siluerat, admotis animæ iudicij facibus crimina confitetur, iactariq; super se aquam, uoce qua poterat deprecabatur. Delatis quoq; cum uasculo limphis in eum sępe deiectis, tanquam de fornace ita fumus egrediebatur è corpore. Interea miseri artus ceu combusti in nigredinem cõuertuntur. Vnde tantus procedebat fœtor, ut uix de astantibus possent aliqui tolerare. Mox illis recedentibus, hic spiritũ exhalauit de quo haud dubium est qualem illuc teneat locũ, qui hinc cum tali discessit iudicio.

24 Qui de domibus sanctorũ aliquid aufert, ipsis sanctis iniuriam facit.

Cap. 18. De eo qui caballum in uigilia sancti Petri furatus est.

Alius autem per 25 uigiliam festiuitatis equum alicuius qui tunc forte ad eandem solennitatẽ uenerat, furto comprehendit. Ascensumq; uelociter properat, scilicet ut qui lumen perdiderat ueritatis, non inueniretur à luce, & cuius pectus cupiditatis tenebræ obsederant, eius & furtiuam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim dominus dicebat in

25 Ecce quomodo etiam antiquitus celebrabãtur sanctorũ Vigiliæ. Nota solennitatem S. Petri.

euangelio. Omnis qui male agit odit lucem. Absente igitur cœlo dicebat iam securus sum. Nã triginta leucas à sancti basilica elongatus sum, iam secus propriam domum esse me credo. Dum hæc tacitus reuolueret intra se, demotis exasse tenebris, cognoscit seipsum uico propinquum inter populos deuagari, timensq; ne scelus suum patefieret publico, cum cautela grandi caballum in loco unde digressus fuerat reformauit, sic miser uirtute martyris tota nocte detentus in circuitu uici, & ut ego credo, ab auctore qui eum obsederat est delusus, ut uiam quam apprehendere uoluit, non ualeret. O scelerata cupiditas quid agis? Semper amatores tuos in confusionem præcipitas.

Cap. 19. De eo qui propter trientem peierauit.

Quidam alteri trientem præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum uero in atrio sancti conuentum hominẽ, rem suam quasi non recepisset, sibi reddi deposcebat. At ille detestans asserebat se reddidisse susceptum. Cunque diutissime altercarentur, ille qui reddiderat ait ad socium, usquequo uterque contendimus, sub iudicio hoc omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat uirtus sancta patroni. At ille nec dubitans, ingressusq; sepulchrum, dum audacter eleuat manus ut periuret, infeliciter miser 26 irriguit. Hæret uox in gutture, lingua coarctatur in fauce, uibrant labia uacua à sermone, ipsa quoque brachia quæ ad adiutorium frustrati sacramenti erexerat prorsus retrahere nõ ualebat. Ad hæc uulgo admirante publicato scelere, multitudo cuncta populi una uoce prorumpens, domini misericordiam ac beati martyris auxiliũ deprecatur. Post quatuor uero aut eo amplius horas, ad sensum regressus, quod iniuste repetebat publica confessione patefecit, & sic sanus abscessit.

26 *Vide quomodo peierantes in sanctorum suorum Ecclesijs uel ante martyrum sepulchra, seuere castiget dominus.*

Cap. 20. De eo qui basilicam sanctam furto spoliauit.

Sæpe hæc audierat qui basilicæ sanctæ uiolentiam intulit, sed iniquã mentem semel obsessam uitio, bonitas mollire nõ potuit. Salomone obtestante, In maliuolam animã non ingreditur sapientia. Aduenerat festiuitas, & ecce quidam è populo conspicatur 27 ornamentis ĩmensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente quod adipiscens nõ poterat occultare. Igitur discedente populo à basilica post gratiam uespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens, latitauit, ac dato cunctis nocturnæ quietis silentio, operienteq; umbrosa caligine mundum, confugit ab angulo, & nihil dubitans, utique qui à satellite sathana impellebatur, super cancellum beati sepulchri cursu prosilit rapido, detractamq; à summo unam gẽmis corruscantibus crucem ad terrã deiecit, collectisq; uelulis ac palliolis de circuitu parietum pendentibus, unum uoluculum facit, impositoq; humeris, ac eleuata cruce manu, ad locum unde discesserat repetit, ac posita capiti sarcina peccati, sopore compressus obdormiuit, Media uero nocte, circueuntes custodes sanctã basilicam, aspiciunt

27 *Si ornamenta hæc basilicæ Sancti donata displicuissent deo, ut iactant noui somniatores, non tam aperto miraculo furem deprehendi uoluisset.*

in angulo

in angulo unā gemmā crucis tanquā iubar coeleste refulgere, obstupefacti accedunt cōminus cū timore, admotoq; cereo, inueniunt personā rebus furatis quas auferre non potuerat, inibi decubare. Deniq; sub custodia illa nocte detentus mane facto cuncta quæ fecerat patefecit, asserens se lassum obdormisse, eo quod diutissime circuiens cū fasce basilicā, ostiū unde egrederetur reperire non poterat.

Cap. 21. De eo qui caballum in festiuitate perdidit.

Multa quidē & alia in præuaricatoribus ostendit, sed satis sunt ista ad coërcendam desidiam eorū. Nunc uero ad gaudia prosperitatū quæ larga pietate præstat populis reuertamur. Sed prius illud non arbitror postponendum, quod expertum ualde cognouimus, quid in rebus perditis apud hunc 28 patronū fidelis deprecatio consequatur, ex quibus unū tantum cōmemorare studui. 29 Ad festiuitatē beati martyris deuotus pauper aduenerat, laxatoq; equo, sacrā ingressus est ædem, ac 30 uigiliis īmobilis instans, noctem cū cæteris orando deduxit. Illucescente uero cœlo ad metatum regressus, caballum quē reliquerat non inuenit quæsitoq; diutissime, nec signa quidem in quam partem discessisset agnouit. Transacto igitur biduo, recurrit iterū per saltus perscrutans à locorum incolis, si forte aliquis aut teneret captū, aut capi uidisset ab aliquo. Nullum dehinc indicij genus reperiens, anxius atque mœstus ad sepulchrum sancti regreditur ibique causas doloris ac mœroris exponens aiebat. Ad tua sanctæ limina ueni, nihil aliud quam paruitatis meæ uota deferre, nihil iniuste abstuli, nihil gessi indignum tuæ solemnitati. Cum inquam perdidi rem meam, rogo, ut restituas amissum, ut necessariū reddas. Hæc fletu addito loquens, ut egressus est templum, conspicit 31 eminus à quodam uiro suū equū retineri. Ad quem accedens quærit unde sit aut unde uenerit aut ex quo tempore hunc habeat equū, didicitq; ipsa hora eum fuisse repertum, qua ille beati martyris implorauit auxilium.

Cap. 22. De cęco illuminato.

Cum autem quidam ab eo loco per incursum diabolicū oculum perdidisset, & ad hospitiolum suum uiduatus lumine infeliciter resideret, ac manibus proprijs nihil laborare præualens, spem alimoniæ non haberet, apparuit ei uir in uisu noctis, cōmonens ut ad basilicam ambularet, ibiq; si deuote preces suggerat, promittit auxilium inueniri. At ille nil moratus, arepto bacillo adminiculante puero, sanctum ingressus est locū qui post completam orationem Archipresbyterum qui tunc locum ipsum regebat, nomine publianum adiuit, supplicans ut oculis cęcis Christi crucem imponeret, erat enim ualde religiosus. Quod ille dum iactantiam euadere cupit euitans, tenetur à cęco, nec omnino dimittitur, nisi quę petebat adimpleret. Tunc ille 32 prostatus ante sepulchrum, diutissime martyris est suffragium imprecatus. Deinde admota oculis cęci manu, protinus ut 33 signum Crucis imposuit, uisum iste recepit. Admira-

28 *Sancti patroni nostri sunt.*

29 *Ad festiuitatem beati martyris pauper deuotus aduenerat.*

30 *Vide quō olim uigilias sanctorū in Ecclesijs tota nocte orantes celebrabant.*

31 *Valeant qui garriūt sanctos ignorare quæ circa nos aguntur, uel eos post mortem nihil posse, cum hic & scire nostra in Dei lumine, magnamq; habere potestatem conuincantur.*

32 *Prostratus ante sepulchrū, diutissime martyris est suffragium imprecatus.*

33 *Signo Crucis cæci ocūlis imposito, is statim lumen recepit.*

34 *Miracula quæ sancti per se uel per discipulos suos faciunt, nõ est dubium dominum Iesum Christũ sua uirtute in illis siue per illos facere, cuius sancti membra sunt uel proxima.*

mini quæso 34 uirtutem martyris, cui cum parum sit per se exercere miracula, nunc etiam per manus discipulorum astipulante uirtutis suæ fauore publicè operatur, sed nec meritum discipuli fuit exiguũ, cui hæc præstita esse cernuntur.

Cap. 23. De pede Galli postmodum Episcopi sanato.

Erat tunc temporis apud urbem Aruernam patruus meus, Gallus Episcopus, de quo non uidetur omitti qualiter in adolescentia sua fuerit à sancti uirtute adiutus. Et sæpius cõmemoraui quale excidium Aruernæ regioni Rex Theodoricus intulerit, cum neque maioribus, neque minoribus natu aliquid de rebus proprijs sit relictum, præter terram uacuã quã secum barbari ferre non poterant. His temporibus gloriosæ memoriæ patruus meus, qui postea (ut dixi) sacerdotali fasce Aruernam rexit ecclesiam, pupillus erat, cuius facultates ita direptæ sunt ab exercitu, ut nihil prorsus remaneret in promptu. Ipse quoque cum uno tantum puerulo usque ad Briuatensem uicum plerunque itinere pedestri discurrebat. Accidit autem quodam tempore dum hoc iter teneret, ut laxatis prę calore solis calciamentis, nuda incedens planta, sudem calcaret spineum, qui tunc fortassis incisus adhuc terrę hærens, erecto acumine inter herbas uirides latitabat. Qui defixus plantæ & supergressus effractusq́; deorsum extrahi nequibat. Igitur defluente sanguinis riuo, cũ gressum facere non ualeret, beati martyris implorat auxilium, paululumq́; dolore compresso, licet claudicando, iter quod ceperat expediuit. Tertia uero nocte computrescente uulnere, dolor maximus incitatur. Ille uero ad experta dudum præsidia confugiens, 35 sepulchro glorioso prosternitur, expletisq; uigilijs regressus ad lectulum, dum uirtutem martyris præstolatur, somno incumbente deprimitur. Deinde consurgens, nullam doloris sentit iniuriam, aspectaq́; planta pars sudis quæ ingressa fuerat non uidetur, euulsam tamen sentiebat a pede. Quod lignum diligenter inquirens, in stratu suo repperit, admirans qualiter fuisset egressum, solitus namq; erat in episcopatu suo locum uulneris ostendere, in quo magna adhuc fossa cõspiciebatur, obtestans in hoc beati martyris fuisse uirtutẽ.

35 *Orat prostratus ad sancti sepulchrũ, & expletis uigilijs, per somnum pes uulneratus martyris uirtute sanatur.*

Cap. 24. De febre Petri fratris eius.

36 *Aduenerat festiuitas beati martyris.*

Post multum uero tempus aduenerat 36 festiuitas beati martyris, & pater meus cum omni domo sua ad huius festiuitatis gaudia properabat. Nobis uero iter agentibus, Petrus frater meus senior ab ardore febrium occupatur, & tam grauiter agit, ut neque uigere, neque cibum sumere posset, totumq́; illud iter cum grandi agitur mœrore, & in discrimine res uertitur, utrum conualescat, an pereat. Denique cum isto labore peruenitur ad locum, ingredimur basilicam, 37 adoramus sacrosancti martyris sepulturam. Prosternitur & ægrotus in pauimento deprecans medelam à martyre glorioso. Post completam uero orationem ad metatum egressus, febris paululum conquieuit. Veniente autem nocte

37 *Adoramus sacrosancti martyris sepulturam. Ea semper intellige adoratione, quæ sanctis uiris, non Deo exhibetur.*

nobis ad 38 uigilias properantibus, rogat se & ille deferri, incumbens ante sepulchrum tota nocte martyris suffragium deprecatur. Exactis de inde nocturnis excubijs, rogat ut de puluere quod circa beatum erat tumulum collecto, uel potui darent, uel collo suspenderent. Quo facto, ita omnis ardor febrium conquieuit, ut ipsa die & cibũ caperet incolumis, & ubi delectatio uertisset animum, ambularet.

38 *Ecce nocturnæ uigiliæ ante sancti sepulchrum, ecce suffragij eius imploratio, ecce & per puluerem de eius monumento collectum repentina sanatio. Quid hic dicere possunt hæretici?*

Cap. 25. De mei capitis dolore.

Sequenti uero festiuitate dum iterum cũ magno gaudio ad sanctam properamus basilicam, mihi caput à sole percussum grauiter dolere cepit, qui dolor accrescens febrem intrinsecus generabat, ita ut nec cibum me capere, nec loqui permitteret. Cunq; per duos dies ab hoc dolore con sumerer, die tertia ad basilicam sancti Ferreoli cuius fons ille de quo superius meminimus, est contiguus aduenimus. Distat autem basilica à Briuatensi uico quasi stadijs decem. Cunq; in loco illo uenissemus, libuit animo ad fontem usque procedere, confidens de uirtute martyris, si me exinde lauans illo profunderer, mox sanarer. Adueniens uero, fundo aquam haurio, ob refrigerium caput infundo, statimq; decedentibus limphis fugato dolore, sanus abscedo, & usque ad sepulchrum martyris gloriosi lætus ingredior, admirans, & gratias agens martyri, quod prius me uirtute sua dignatus fuerit uisitare, quam ipsius mererer cernere sepulchrum.

Cap. 26. De febricitante ad fontem sanato.

Est enim ad hunc fontem quia ibidem martyr percussus est, 39 uirtus eximia. Quidam à febre correptus, dum in extremis ageret, desiderium habuit de aqua fontis haurire. Ad quam etiam se deportari fideliter exorauit, quem sui inter manus apprehensum, & in loco depositum, protinus ut aquæ haustum accepit, & faciem caputq; perfudit, recipere meruit sanitatem, & aliorũ manibus illatus, proprijs gressibus est regressus. Fuit autem incola huius uici, sed excidit nomen eius.

39 *Vides etiam in fonte ubi martyr percussus est, uirtutem esse eximiam?*

Cap. 27. De tonitruo in basilicæ facto coruscatione.

Quadam autem die orta tempestas cum magno uenit impetu, super uicum Briuatensem grando descendebat, micabant enim de nubibus fulgura, ac tonitrua terribiliter uoces dabant, quatitur terra fragore, & exuri à coruscatione penè omnia putabantur, sola erat expectatio in uirtute martyris gloriosi. Nec mora, dato cum fulgore graui sono tonitrui, iaculum igneum per aditum quo funis ille signi dependet ingreditur, percussisq; duabus columnis frusta excussit. Inde repercutiens, per fenestram quæ super sanctum habetur tumulum, est egressum, nullo tamen per beati custodiam de populo læso. O quam magnus circa alumnos proprios beati martyris affectus, columnas sinit percuti non phalanges. Confringi passus est uitream, non cateruam, permisit super sepulchrum pro priuui præterire coruscum, ne fieret multitudinis totius interitus. Igitur expulsum à basilica sancti martyris iaculum, aceruum fœni combussit,

interfecit pecora, iumenta deleuit. Quod si hæc fortuitu quis aduenisse putat, admiretur magis & stupeat inclyti 40 potētiam martyris, quod præteriens ignis per medium populi, nemini nocuit, sed ibi tantū expleuit uota, ubi se cognouit habere licentiam.

40 *Stupeat inclyti potentiam martyris.*

Cap. 28. De eo qui præ multitudine populi ad sepulchrum non ualebat accedere.

Clericus autem Aredij lemonicini Abbatis ad festiuitatem ueniens, præ multitudine populi non solum ad sanctum tumulum accedere, uerū etiam nec in ipsam basilicam potuit introire. Cunque mœstum metu se reddidisset, recubans in lectulo obdormiuit. Protinus astitit ei uir in uisu dicens, quid tu sopore deprimeris? uade celerius ad templum martyris, & omnia inuenies reserata. At ille metu territus, exurgens credulus dictioni, properat uelociter experiri si uera essent quæ sibi fuerant iudicata. Cunq; uenisset ad ostium, reperit remotos undique populos usq; ad sanctum altare uel ipsum tumulum, uia facta nullo obsistente. Et sic sine ulla impressione accedens, fusa oratione cū gaudio est regressus. Quod ne quis dubitet, testor omnipotentē Deum quia ab ipsius Abbatis hæc ore cognoui, apud cuius monachum gesta sunt.

Cap. 29. De festiuitate eius.

Huius festiuitatis tempus ignorans plebs mœsta pendebat, nesciens diem in quo martyr beatus deberet pro uirtutis ac passionis gloria honorari. Et hæc ignorantia usque ad beatum Germanum Antisiodorensem antistitem est protracta. Factum est autem ut antedictus Pontifex Briuate aduenirct, sciscitatusq; ab incolis quo tempore huius sacra celebrarentur, se nescire respondent. Tunc ille Oremus (inquit) & fortassis nobis hæc domini potentia reuelabit. Quod cū fecissent, mane orto, conuocatis senioribus loci ait, quinto 41 Kalendas mensis septimi celebrandā esse solemnitatem. Ex hoc nunc deuotus adueniens populus, uota presuli reddens, refert & animæ & corporis medicinam.

41 *Quinto Calendas Septembris celebratur festiuitas sancti martyris Iuliani.*

Cap. 30. De inerguminis.

Inergumini uero cū aduenerint, plerunque euomunt in sanctum Dei conuitia, cur 42 sanctos alios ad sua conuocet festa, ipsosq; nominatim confitentes, eorum fatentur uirtutes & merita. Aiunt enim, sufficiat tibi Iuliane, nos propria uirtute torquere, ut quid reliquos prouocas? Quid inuitas extraneos? Ecce Martinum Pannonium inimicum iugiter nostrum, qui tres à nostris cauernis repulit mortuos. Adest Priuatus & Gabalis qui oues suas barbaris nostra instigatione commotis tradere noluit. Aduenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis præsidium misit. Quid Simphorianum eduum? Quid Saturninum uocas Tholosanum? Aggregasti concilium, ut nobis ingeras inferiale tormentum. Hęc & his similia dicentes, ita sanctos Dei humanis mentibus representant, ut nulli sit dubium, eos inibi cōmorari, multi tamen ab his infirmi curantur, & sani recedunt.

42 *Vide rem mirabilem etiam ex confessione Dæmonum, Sanctos alios sanctos ad sua festa celebranda conuocare.*

Cap. 31.

Cap. 31. De mansuetudine pecorum.

Sed & illud est memoratu dignissimũ, quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica uotiuorũ, qualiter uituli petulantes, calcitrantes equi, grũnientes suillæ, cũ limen sanctũ ingressi fuerint conquiescunt. Nam uidimus sæpe coturnosos tauros, qui a quindecim, aut eo amplius uiris alligati funibus ducebantur, talem in hominibus impetũ dare, ut putares eos ipsos quoq; disrumpere funes. Sed cũ ædem 43 sanctam ingressi sunt, ita quieuerunt, ut arbitreris eos tanquã agnos mãsuetos haberi. Vidimus etiam per medias turmas multos ingredi inclinato capite, populos admonentes rostro non cornibus, & tanquã tribunal adirent iudicis aliquẽ sensum habere timoris, non calcẽ mittere, non aliquẽ cornu petere, non oculis toruis aspicere, sed in omni mansuetudine usque ad sanctũ properantes osculantesq; altare, rursus in ipsa qua ingressi fuerant patientia repedare. Sic & reliquorum iumentorũ petulantia cũ illic accesserit, deposito cuncto furore mansuescit, ut eam mansuetudinẽ columbarũ cum grandi admiratione conspicias. De his uero quæ uotiua sunt, nulli penitus quidpiam subtrahere licet, nullus priusquã ad basilicam ueniat, aut cõmutare presumit, aut emere. Nã qui fecerint, sępius ultione diuina grauiter quatiuntur. Nam aut febris ĩminet, aut malum aliquod obrepit, aut damnũ graue succedit, aut hoc quod abstulit, morbus aufert. Difficile tamẽ sine præsenti ultione res præterit.

43 *Ecce quõ etiam immanissimæ bestiæ in sanctorum Ecclesijs mansuetæ redduntur.*

Cap. 32. De reliquijs eius in Campaniam translatis.

De illis dixisse uirtutibus sufficiat quæ circa sanctam basilicã eius gesta sunt aut geruntur, nunc pauca de locis illis in quibus habẽtur reliquiæ differentes, finẽ huius libelli facere placet. Deuotione cõmouente quidã apud Belgicæ secundę prouinciam, idest suburbano Remensis urbis, basilicam 44 in honore beati martyris studiose cõstruxit, cuius reliquias post perfectam fabricam expetijt fideliter ac deuote, quas acceptas dum uiatim psallendo regreditur, Remensem est ingressus Campaniam. Erat enim haud procul à uia ager cuiusdam diuitis Campanensis, ad quẽ scindendum magna multitudo conuenerat. Igitur appropinquante uiatore cũ his pignoribus, cepit quidam de aratoribus male torqueri, & quasi in excessu mentis dicere, En beatissimũ Iulianum appropinquantẽ. Ecce uirtutem eius. Ecce gloriam eius, occurrite uiri, relinquite boues, dimittite aratra, caterua omnis eat ei obuiam. Stupẽtes illi, & quid narraret ignari, dum hebetati admirantur tam uoces quã dicta personæ, protinus miser relicto aruis uomere, elidens se in terram, uerberansq; palmas, in parte qua uir ille beati martyris ferens reliquias ueniebat, cursu celeri rapitur, clamans 45 ut quid me sancte sic crucias? ut quid me gloriose martyr incendis? Cur regionẽ tibi non debitam aggrederis? cur habitacula nostra perlustras? Talia eo dicẽte, ad locum ubi iam sacerdos tabernaculum erexerat, turbulentus aduenit, 46 prostratusq; coram sanctis reliquijs,

44 *Basilicam in honorem beati martyris studiose construxit.*

45 *O rem grandem, Dæmones cõfitentur martyrum uirtutes, et hæretici nostri temporis eas negant.*

46 *Prostratus coram sanctis reliquijs, diutissime humo incubuit. Tactusq; capsula in qua deferebantur, illico liberatus est.*

diutissime humo incubuit. Tunc presbyter capsulam illam sanctã super eum ut posuit, ilico erumpente ex ore eius sanguine, ab incursione diabolici erroris mundatus est, ac deinceps uirtutem sancti prædicans comes fuit huius itineris.

Cap. 33. De reliquijs eius morienti exhibitis.

Quid de eius reliquijs in oriente fidelium fratrum relatio signat edicã.
47 In quadam orientis ciuitate dum in ecclesia à dęmonio quidam torquetur, in naui beati martyris prædixit esse reliquias. Cumq; nauis portum fuisset adepta, hic ad eam saltuatim prosilijt, ac prouolutus solo corã naui, erumpente ab ore & naribus tabe, persona purgata est. Quæ cũ Episcopo nunciata fuissent, cõmouit populum cum 47 accensis cereis ad portum usque procedere. Igitur Nauclerus audiens flensq; præ gaudio in occursum Episcopi properat, nihil se aliud asserens de beati sustulisse
48 basilica, nisi parumper pulueris 48 qui circa sanctũ iacebat tumulum, sed Deus omnipotens cõprobans fidem uiri, occultari uirtutẽ martyris non permisit. Dehinc Episcopus sublatas reliquias usque ad sanctam ecclesiam cũ magno honore deportat. Negociator uero tanta cernens mirabilia, basilicam in honore martyris ædificauit. In qua beatas reliquias collocans, multa deinceps miracula uidit operari.

Episcopus & populus cũ cæreis accensis usq; ad portum procedunt obuiam. Vides si sanctorum reliquias cum lampadibus uenerabantur etiam tunc?

Hinc cognoscere licet quãti sit meriti apud Deum sanctus martyr, si paululum pulueris ex eius tumulo collectum tãtis noluit corruscare miraculis.

Cap. 34. Qualiter Turonis in basilica eius reliquiæ sunt locatæ.

Hæc ego dudum expertus sum. Contigit ut post ordinationẽ meam
49 Aruernis accederem, profectusq; beati basilicam adiui, expletaq; festiuitate, disruptis à pala quæ sanctum tegit tumulum fimbrijs, in his mihi præsidium credens, impleta oratione discessi. Apud Turonicã uero urbẽ
50 49 monachi in honore ipsius basilicam qualem possibilitas eorum habuit, ædificauerunt, cupientes eam eius uirtutibus consecrari. Audientes autẽ hæc pignora à me fuisse delata, rogant ut dedicata ædes hisdem augeretur reliquijs. At ego apprehensa secretius capsa ad basilicam beati Martini incipiente nocte propero. Referebat autem mihi uir fidelis qui tunc eminus astabat cũ nos basilicam sumus ingressi, uidisse se pharum immensi luminis è cœlo dilapsam super beatam basilicam descendisse, &
51 deinceps quasi intro ingressa fuisset. Cum enim nobis hæc in crastinum à fidelibus relata fuissent, coniecimus eam à uirtute beati martyris processisse. Depositis ergo super altarium 50 sacrosanctis reliquijs, uigilata nocte cũ grandi psalterio, ad antedictam deferebantur basilicam. Et ecce unus ex inerguminis manibus in se collisis, ore patulo cruenta proijciens sputa aiebat: Vt 51 quid te Martine Iuliano iunxisti? Quid eum in his prouocas locis, dum nobis erat præsentia tua supplicium, similem tui ad augenda tormenta uocasti, cur hæc agis? Quare nos cũ Iuliano sic crucias? Hæc & alia misero declamante, expletis missarum solemnitatibus dum se ante sanctum altarium diutissime collidit, profluenteq; sanie ex ore

Monachi in honorem ipsius basilicam ædificauerunt.

Depositis super altare sacrosanctis reliquijs, uigilata nocte cũ grãdi psalterio, ad antedictam deferebãtur basilicam.

Vide quam mirabilis sit deus in sanctis suis cum pauxillum fimbriarũ a tumulo sancti detractum ita cruciauit dæmones. Eant nunc hæretici miseri, & dicant si possunt, sanctos post mortem nullam habere potestatem.

eius, ab infestatione furoris diabolici liberatus est.

Cap. 35. Quod uinum ea nocte accreuit.

Sed nec hoc silendũ puto, quod in nocte illa priusquã sanctæ reliquiæ ibidem collocarentur sit gestum. Monachus ipsius loci dum de aduentu solemnitatis gauderet, & singulos quosque ad cellariolum basilicæ promptissimus inuitaret, hortans ut omnes in basilica fideliter uigilarent, extracto à uase uino cepit eis causa deuotionis cũ gaudio propinare dicens. Magnum nobis patrocinium in beatũ martyrem pietas diuina largitur. Iccirco rogo charitatẽ uestram, ut unanimiter uigiletis mecũ. Cras enim eius reliquiæ in hoc loco sunt collocandę. 52 Exacta quoque cum sacris hymnis modulisq; cœlestibus nocte, celebratis etiam missarũ solemnijs, festiuitate ouans clericus, cepit eos iterũ quos prius inuitauerat rogare ad refectionẽ dicens. Gratias uobis ago quod sic ad uigilandum immobiles perstitistis. Sed nec martyr diu distulit bonã uoluntatẽ, uirtutis suę gratia munerari. Nam ingressus promptuarium clericus, reperit cupellam quã penè mediam reliquerat, per superiorẽ aditum redundare in tantũ, ut copia defluentis uini riuũ per terrã ad ostium usque duceret. Quod ille admirans posito deorsum uase, sępius extulit plenũ, sed & de ipso cum satis abundeq; fuisset expansum, nihil prorsus defuit, sed usque in crastinum mirantibus cunctis semper stetit plenũ. Erat autẽ tertio Kalendas mẽsis quinti, admirabilis uirtus martyris cũ produxit de uase sine flore uindemiam, cũ sit solitũ ut collecta uina condantur in uascula, protulit dolium musta, in quo non uina, sed uirtus sola defluxit, turgescit uasculũ à liquore quo fructus non illatus, sed creatus. Agit hoc ille dominus 53 ad glorificandum martyrẽ, qui implens uterũ uirginis sine semine, permanere præstitit matrẽ in castitate, sed tamen hic nouo magis exuberat fructu, cũ sine codicibus falerna porrigit. In alijs uineis, uix adhuc erumpunt gẽmæ, in hoc uero uase uinũ defluit a uirtute, æquatur, Maius Octobri, cũ noua porrigit pocula, plus habet quã ille, cũ in promptu non ostenditur uinea, & in domo gignuntur falerna. Rudis etenim uenit sine torculari uindemia, quæ non in palmitibus, sed in occultis est reperta, aceruus acinorũ non premitur ab arbore, & uini defluunt undę, hauriuntur falerna, cũ in torculari non cernuntur impressa, uitis ecce non aspicitur, & pocula large cõplentur. Sed quid inquam? non enim deest fidelibus uirtus illa cœlestis. Nam qui quondã in nuptijs de aquis præstitit uina, nunc suis eadem large porrigit sine ullius elementi natura, & qui geminis piscibus quinque milia hominũ saciauit, nunc bonæ uoluntati multiplicata restituit. In ipsius enim ortus tẽpore angelica uox testata est dicens, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Sed iam ad sequentia uirtutum opera reuertamur.

52 Exacta nocte cum sacris hymnis modulisq; cœlestibus.

53 Miracula quæ facit dominus ad sanctorũ reliquias, splendorem uitæ eorum manifeste comprobant, & quam grati ei sint amici eius.

Cap. 36. De Contracto in eodem loco sanato.

Seruiens huius monasterij diu Cõtractus infeliciter trahebatur. Adueniens autẽ ad ipsam sanctã basilicã, 54 uigilias celebrat, quibus expletis

54 Vide rem mirã, celebrat tantũmodo uigilias in Ecclesia, & sanatur. Quis est ergo qui uigilijs detrahere posit, ne si penitus desipiat?

mane dum ad stratum suũ regreditur, inter portantium manus resolutis sanatus est neruis.

Cap. 37. De puella cęca illuminata.

Puella quædam lippis oculis & nimio imbre lachrymarũ profluente, penè cęcata, cuius pater audita uirtute martyris gloriosi, cũ ea ad basilicã sanctã properat, celebratisq; 55 uigilijs, mane pauperibus qui ad matriculam illam erant, cibũ potumq; protulit. Epulantibus uero illis, subito puella capitis dolore se torqueri proclamat, & ut modicum sopori indulgeatur implorat, qua quiescente, cum conuiuæ epulum applicarent, illa surrexit, & ad sanctum se altare duci deposcit. Ante quod cũ solo prostrata fuisset, & attente domini misericordiã deprecaretur, restrictis lachrymis, purgatis lippitudine oculis, læta surrexit. Tunc patre gaudente domi redditur sana.

55 *Et hic puella post uigiliarum celebrationem, post charitatem pauperibus impẽsam, post orationẽ ante altare martyris fusam, sanatur a lippitudine oculorũ seu cæcitate.*

Cap. 38. De alio contracto.

Alius quidam puerulus paruulus cuius parentes haud procul ab ipsa basilica cõmanebant, in secundo ortus sui anno mẽbris totis contractus, sine fide alicuius boni nutriebatur, qui ita contractus erat, ut genua ab eius ore penitus separari non possent. At cũ ad sancti basilicam parentes eius uigilassent, & proiectum infantulum corã 56 sacrosanctis reliquijs dimisissent, post paululum reperiunt eum sedentem, ac membris omnibus esse directum. Dehinc fusa oratione gaudentes ad domum suam regressi sunt.

56 *Vides martyris reliquias dici sacrosanctas?*

Cap. 39. De periuris.

Est autẽ in Turonico uicus cui Gaudia nomen est, in quo beati martyris reliquiæ continentur. Qui cũ magnis uirtutibus crebro illustretur, in periuros tamen plerunq; agitat ultionẽ. Nam cũ ibidem quis inimico humani generis suadente periurauerit, ita ultio diuina ꝓsequitur, ut protinus aut in succesione damni, aut in amissione proximi, aut in consumptione morbi manifesta patescat, nec 57 causam remanere inultã martyr prorsus indulget. Sed nec inibi iam ausa temerario periurat barbarorum cruda rusticitas. De quo negocio ista sufficiant, quia longũ est singula quæ de his acta sunt per ordinem memorari.

57 *Si sanctus Martyr nõ sinit causam periurorum manere inultã, quõ dicunt aliqui sanctos ignorare quæ circa nos aguntur?*

Cap. 40. De reliquijs eius quas Aredius presbyter sustulit.

Cum autem ad me Aredius presbyter ex lemonicino uenisset, uir ualde religiosus, cuius etiã in secundo uirtutũ beati Martini libro memini, dum sollicite uitã eius perscrutarer, actionẽ inquirere cępi, quę ibidẽ beatissimus Iulianus in miraculis prodidisset. In honorẽ 58 enim beati martyris basilicã ædificauit, quã & eius reliquijs illustrauit. Sicut ergo est uerecundissimus, diu cũctatus, tandem hæc & ualde inuitus exposuit. Quãdo (inquit) primũ beati Iuliani adiui basilicam, parũper cęræ a sepulchro sustuli, inde ueniens ad fontẽ in quo beati sanguis effusus est, abluta aquis facie, paruã ab his pro benedictione cõpleui ampullam. Testor omnipotentem Deum, quia antequã ad domũ accederẽ, colore, spissitudine, atq;

58 *Ecce quõ in honorem sanctorum ædificãtur ecclesiæ, & earum reliquijs illustrantur.*

odore, in 59 balsamũ cõmutata est. Veniens uero sacerdos ad dedicandã ædem, cũ hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquijs in sanctũ altare 60 condere uoluit, nisi uasculum cuius aqua in balsamum commutata fuerat, dicens, Hæ sunt certæ reliquiæ, quas martyr paradisiacis uirtutibus illustrauit. 59 *Vide rem stupore dignã & quã potestatem habeat sanctus martyr, cũ aquam in balsamũ conuerterit.* 60 *Ecce consecrationem Ecclesiæ cũ appositione reliquiarum.*

Cap. 41. De Paralitico sanato.

Multa quidẽ & alia sunt de quibus plurima prætermittens aliqua pando. Infirmus quidam omnibus mẽbris debilis plaustro impositus ad eius monasterium est aduectus. Qui cũ ante ipsam basilicam in hoc uehiculo nocte iaceret, uidet eam subito magno splendore fulgentẽ uocesq; in ea psallentium tanquã multorũ hominũ audiebat. Dum hæc agerentur, & ille orationẽ funderet quasi stupefactus, nec memor dolorũ, ea appropinquante splendor quẽ uiderat, præterit ante oculos eius. At ille fulgore demoto in se reuersus, sensit se pristinæ saluti recuperatum.

Cap. 42. De cęco illuminato.

Cęcus quoq; adminiculo deducente ad sacrosanctum altare eius accedens, dum de opertorio sanctarũ reliquiarũ oculos attigit, lumẽ recepit. Sed & inergumini ab hac palla cooperti, sæpe mundati sunt, & potestas iudicum quotienscunq; in eo loco superflue egit, confusa discessit.

Cap. 43. De Cruce altaris furata.

Pendebat autẽ super ipsum altare crux olocrisa, eleganti opere facta, & erat tam præclara uisu, ut eã putares ex auro esse mundissimo. Aduenientibus uero Barbaris, à quodam esse aurea ęstimata direpta est, & sinu recondita. At is qui eã sustulerat, tanto subito pondere prograuatur, ut eã penitus sustinere non posset, statimq; cõpunctus uirtute martyris, pœnitentia motus, de itinere transmissam loco sancto restituit.

Cap. 44. Qualiter expetita sunt eius pignora.

Quæ postquã gesta sunt, misit clericũ suũ dicens, Vade ad beati Iuliani basilicã, & fundens orationẽ, supplica ut tibi aliquid cęræ uel pulueris de sepulchro iacentis largiri dignentur æditui, ut delatũ à me cũ benedictione suscipiatur. Ille uero ueniens quæ sibi fuerant imperata flagitat, ac suscepit. Et cũ susceptũ ferre uellet, tanto grauatur pondere, ut uix ceruicẽ posset erigere. Vnde tremore magno concussus, 61 pauimento prosternitur, & iterũ cũ lachrymis orationẽ fundens, surrexit incolumis, & acceptã sensit abeundi habere se libertatẽ. Igitur arrepto itinere, incalescente nimiũ sole corripitur. Veniens autẽ ad uillam uiæ proximã, unam casulam adit, aquã deposcens. De qua egrediens iuuenis dare responsum, ut eos uidit, in terrã corruit, factusq; est sicut mortuus. Cõcurrentes autẽ cognati eius calumniabantur hominibus, asserentes consanguineum suũ eorũ magicis artibus fuisse peremptum. Et apprehensum puerũ eleuauerunt semiuiuũ. At ille de manibus eorũ elapsus, percussis palmis cępit debacchando clamare & dicere, quod martyris Iuliani uirtute exureretur. Clericus uero hæc audiens, posita super caput eius capsula cũ pignoribu

61 *Pauimento prosternitur, & iterum cũ lachrymis orationẽ fundens, surrexit incolumis.*

ſanctis, fide plenus orare cępit attentius, ipſe quoque cũ uomitu ſanguinẽ dæmoniumq; proijciens, purgatus abſceſſit. Dehinc firmatus in fide, portitor iter totũ cũ pſalmis & gratiarũ actionibus carpens, ad locũ præoptatum martyre ducente peruenit. Iam exinde tẽpore procedente, quãti ibi inergumini, frigoritici, uel diuerſis morbis oppreſſi, martyris uirtute ſanati ſunt, nec nomina retineri, nec numerus potuit colligi.

Cap. 45. De puero ad Ariolos ducto, & alio per uirtutem ſancti ſanato.

Inter reliqua uero inſignia ſuſcipiendorum miraculorũ ponimus & iſtud, quod inſipientes corrigat, & roboret ſapientes. Igitur Cautini Epiſcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Aruerna regio ab excidio luis quã inguinariam uocant deuaſtabatur. Ego Briuatenſem uicum expetij, ſcilicet ut qui meritis tutari nequibam, beati martyris Iuliani ſaluarer ſubſidio. In quo dum cõmorarer uico, unus puer ex noſtris ab hoc morbo corripitur. Reclinatoq; ad lectulum capite, grauiter agere cępit. Erat autẽ febris aſſidua cũ ſtomachi pituita, ita ut ſi aliquid acciperet, cõfeſtim reijceret. Nec erat ei cibus confortatio, ſed magis exitus putabatur. Deniq; mei cũ uiderent eum in extrema uexari, ariolum quendam inuocant. Ille uero uenire non differens, acceſſit ad ægrotũ, & artẽ ſuam exercere conatur, incantationes ĩmurmurat, ſortes iactat, ligaturas collo ſuſpẽdit, promittit uiuere quẽ ipſe mancipauerat morti. Hæc autẽ me neſciente agebantur, quæ cũ mihi delata fuiſſent, amariſſimus reddor, & cũ graui ſuſpirio illud cõmemoro quod dominus per Heliam prophetã Oziæ regi pronunciat dicens, Quia dereliquiſti dominũ Deum Iſrael, & conſuluiſti Deum Acharon, ideo de lectulo in quo aſcendiſti nõ conſurges, ſed morte morieris. Nam iſte poſt aduentũ Arioli ualidius febre ſuccenſus, ſpiritũ exhalabat. Cuius poſt obitum interpoſitis paucis diebus puer alius ſimili laborare cepit incõmodo. Tunc ego, ecce inquio, accedite ad martyris tumulum, & aliquid exinde ad ægrotum deportate, & uidebitis magnalia Dei, atque cognoſcetis quid ſit inter iuſtum & iniuſtum, & inter timentẽ Deum & non ſeruientẽ illi. Accedentes autẽ, parumper 62 pulueris circa ſepulchrũ iacentis ſuſtulerunt. De quo ut hauſit infirmus cũ aqua, protinus aſſecutus eſt medicinã, recuperatisq; uiribus, ac reſtincta febre conualuit. Intelligite ergo nunc ò omnes qui inſipientes eſtis in populo, & poſtquã ita diſcuſſeritis, ſcitote quia nihil ſunt quæ ad ſeducendum humanũ genus diabolus operatur. Ideo moneo, ut ſi quis uexillo crucis ſignatus, ſi quis baptiſmi ablutione mundatus, ſi quis uetuſtate depoſita in nouo nunc homine uiget, talia poſtponat ac negligat, querat autem 63 patrocinia martyrũ, per quos ſanitatum miracula celebrantur, poſtulet adiutoria confeſſorum, qui merito amici ſunt domini nuncupati, & quæ uoluerit obtinebit.

62 Vide quõ etiam paululum pulueris ex ſepulchro ſancti aqua hauſti, ęgrotum ſanauit.

63 Sanctorum qui amici ſunt domini, petenda sũt patrocinia chriſtianis, & nõ a dæmonibus, & quæcunque uoluerint obtinebũt.

Cap. 46. De roſis ad ſepulchrum eius diuinitus oſtenſis.

Eo tempore cũ poſt obitum Perſerij martyrarij, Vrbanus diaconus

huius basilicæ ordinatur ædituus, mira res ad sepulchrũ sancti apparuit. Nam uigilante diacono in lectulo suo, auditus est sonitus quasi ostium basilicæ panderetur. Post multarũ uero horarũ spacium, audiuit ipsum iterum claudi. Post hæc surgens de stratu, præcedente lumine accedit ad tumulum sancti. Mirum dictu, uidit pauimentum rosis rutilantibus esse respersum. Erant autẽ magnæ ualde cũ flagrantia odoris immensi, in ipsas quoq; cancelli cælaturas mirabatur rosas intus. Nonus enim erat mensis, & hæ ita erant uirides, ut eadẽ ipsa putares hora, & momẽto ramis uirentibus esse decerptas. Tunc cũ grãdi reuerentia collectas secretius posuit, multis 64 exinde infirmis medicamenta distribuens. Nam Inerguminus quidam ex Turonico ueniens, ut exinde delibuto potum sumpsit, eiecto dæmone purgatus abscessit.

64 *Ex rosis quæ miraculose in pauimento sancti martyris apparuerunt, multis infirmis medicamenta distributa sunt, dæmonesq; fugati.*

Cap. 47. De muliere illuminata.

Mulier quædam à natiuitate cęca erat, quæ se exhiberi à parentibus ad beati Martini tumulum deprecata est. Vbi cũ uenisset, prostrata per triduũ ad cancellos qui ante sepulchrũ sancti Antistitis habentur extrinsecus, responsum accepit per somnium dicente sibi sancto uiro. Si lumen recipere desideras, require basilicam sancti Iuliani, in qua dum præsidiũ martyris expetes, ille coniunctus Martino, uisum tibi necessarium, simul orationũ suarum suffragijs reuocabit. Exurgens autẽ mulier, & ignorans quod in Turonico huius martyris reliquiæ tenerentur, ad Sanctonicam urbem iter dirigit. Victorina etenim materfamilias ex nobili stirpe progenita, in urbis suę territorio basilicã construxerat, reliquiasq; beati martyris condiderat. Ad hanc ergo ædem mulier accedens, orat per triduũ. Die autẽ tertia aduenit 65 natalis Baptistæ dominici. Stante autẽ populo, & lectionũ dogmata auscultante, subito murmur magnũ oritur. Presbyter uero qui solemnia celebrabat, cõprimere uoces cupiens interrogat quid hoc esset. Cui unus ex astantibus ait, murmur mitescere non potest, quia uirtus domini miraculum prodidit. Ecce enim mulier illa quę se cęcam testabatur ortam, erũpente ab oculis sanguine uisum recepit. Tunc omnes benedixerunt Deum, cognoscentes pariter quæ fuerant gesta.

65 *Dies Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ solennis.*

Cap. 48. De reliquijs quas Nauinus presbyter detulit.

Nauinus presbyter domus Vibriacensis, martyris huius gloriosi reliquias expetiuit, quas ex iussu beati Auiti Pontificis sumptas, cũ psalterio usq; ad basilicã sancti Ferreoli quæ procul ab ipso uico sita est perduxisset, unus ex inerguminis est mundatus. Procedens autẽ psallendo, cũ ad Medianam peruenisset, palam hoste 66 improbo uirtute sancti depulso, puella alia purgata discessit.

66 *Virtute sanctarũm reliquiarum hostis improbus, nẽpe dæmon, a puella depulsus est.*

Cap. 49. Quod eiusdem reliquijs multi infirmi sanati sunt.

Accedens autẽ ad locũ ubi oratorium quod in honorẽ sancti construxerat, posuit hęc pignora in altari sancto. Veniens autẽ ad eum unus 67 cũ amissis oculis, alius manu debilis, impleta oratione hic lucem percipit

67 *Ecce quot infirmi eisdem reliquijs curati sunt.*

post tenebras,manus ille usum post ocia diuturna. Mulier etiam nomine Eterna,cum filia ab hoste iniquo uexata,ad hoc altare curata, cum prole sospes abscessit.

Cap. 50. De alio cęco illuminato.

Frigoretici etiam in illo loco multi sanati sunt. Sed quoniam non est absurdum si beatus Iulianus cũ Ioanne aut Martino dona sanitatum impertiatur cũ quibus uictor sęculi in 68 cœlo tripudiat. Referam adhuc qualiter cũ Nicetio Lugdunensi simili uirtute floruerit. Igitur infra terminũ territorij Turonici Litomeris quidã in honore sancti martyris 69 basilicã ædificauit, in qua nos ex more ad benedicendum euocati, sancti Iuliani martyris pignora cũ Nicetij Lugdunensis reliquijs collocauimus. Sed non multo post tẽpore cęcus adueniens dum fideliter orationẽ fudit, uisum recipere meruit. Memini huius rei in libro uitę sancti Nicetij,quia dignũ est,ut cõmunis uirtus utriusq; sancti scripta cõnectat.

Ex his miraculis Lector intendens intelligat, non aliter nisi 70 martyrũ reliquorumq; amicorũ Dei adiutorijs se posse saluari. Ego autẽ domini misericordiam per beati martyris Iuliani patrocinia deprecor, ut 71 aduocatus in causis alumni proprij corã domino assistens,obtineat,ut absque impedimento maculæ ullius,huius uitæ cursum peragam,atque illa quæ confessus sum in baptismo, irreprehensibiliter teneam, fideliter exerceam, ac uiriliter usque ad consummationem huius uitæ custodiam. Amen.

68 *Iuliani anima in cœlo cum Ioanne & Martino tripudiat.*

69 *Vide basilicæ in honorem sancti ædificationem. Vide & illius per sanctorum reliquias dedicationem.*

70 *Hoc ideo dicit quia sancti memoriam nostri habent in conspectu Dei,& nobis peccatorũ ueniam impetrant.*

71 *Ecce sanctos dici posse aduocatos nostros coram domino,citra Redemptoris nostri iniuriam.*

EPISTOLA BEATI GREGORII TVRONENsis Antistitis in quatuor libros,quos de miraculis beatissimi Episcopi Martini descripsit.

Habetur post libros eiusdem beati Martini uitam continentes.

DOminis sanctis,& in Christi amore dilectissimis fratribus ac filijs Ecclesiæ Turonicæ mihi à Deo cõmissæ Gregorius peccator. Miracula illa,quæ dominus Deus noster per beatum Martinum Antistitem suũ in corpore positũ operari dignatus est,quotidie ad corroborandam fidẽ credentium confirmare dignatur. Ille nunc exornat uirtutibus eius tumulum,qui in eo operatus est cum esset in mundo; & ille præbet per eum beneficia Christianis,qui misit tunc præsulem gentibus perituris. Nemo ergo de anteactis uirtutibus dubitet,cum præsentium 1 signorum cernat munera dispensari,cum uideat claudos erigi,cęcos illuminari, dæmones effugari, & alia quæque morborum genera, ipso mediante curari.

1 *Et tamen cum hæc omnia ad sensum pateant,miseri hæretici negare nõ erubescũt.*

Ego uerò fidem gerens libro huic, qui de eius uita ab anterioribus est scriptus,præsentes uirtutes,quantum ad memoriam recolo,memoriæ in posterum,Domino iubente mandabo. Quod non præsumerem,nisi bis & tertio admonitus fuissem per uisum. Vnde omnipotentem Deum te-

ſtem inuoco, quia uidi quadam uice per ſomnium medio die in baſilica Domini Martini debiles multos, ac diuerſis morbis oppreſſos ſanari, & uidebam eos, ſpectante matre mea, quæ ait mihi; Quare ſegnis es ad hęc ſcribenda quæ proſpicis? Cui aio, Non te latet, quod ſim inſcius literarũ, & tam admirandas uirtutes ſtultus & idiota non audeam promulgare? Vtinam Seuerus, aut Paulinus uiuerent, aut certè Fortunatus adeſſet, quia iſta deſcriberent. Nam ego iners ad hanc notam incurro, ſi hęc adnotare tentauero. Et ait mihi, & neſcis quia propter intelligentiam populorum ſiquis loquitur ſicut tu loqui poteris, eo habetur magis præclarum? Itaq; ne dubites, & hęc agere nõ deſiſtas, qa crimẽ tibi erit ſi ea tacueris.

Ego autẽ hæc agere cupiens, duplicis tædij affligor cruciatione, mœroris pariter & terroris. Mœroris, cur tãtæ uirtutes, quæ ſub anteceſſoribus noſtris factę ſunt, non ſunt ſcriptę. Terroris, ut aggrediar opus egregium ruſticanus. Sed ſpe diuinę pietatis illectus, aggrediar quod mouetur. Poteſt enim (ut credo) per meę linguę ſterilitatem proferre iſta, qui ex arida petra in eremo producens aquas, populi ſitientis extinxit ardorẽ. Aut certe conſtabit, rurſum os aſinæ Dominũ reſerare, ſi labia mea aperiens, per me indoctum iſta dignetur expandere. Sed quid timeo ruſticitatem meam, cũ Dominus Redemptor & Deus noſter, ad deſtruendam mundanę ſapientię uanitatẽ, non oratores, ſed piſcatores, nec philoſophos, ſed ruſticos pręelegit? Confido ergo orationibus ueſtris; quia etſi non poteſt paginã ſermo incultus ornare, faciet eam tamen glorioſus Antiſtes pręclaris uirtutibus elucere.

INCIPIT LIBER PRIMVS MIRACVlorum ſanctiſſimi Martini.

Quòd Seuerus uitam ſancti Martini conſcripſit. Cap. 1.

MVlti ſunt, qui uirtutes ſancti Martini, uel ſtante uerſu, uel ſtilo proſaico conſcripſerunt. De quibus primus ille Seuerus Sulpitius, cui tantus feruor amoris fuit in ſanctum Dei, ut eo adhuc degente in ſeculo, unum librũ de mirabilibus uitę eius ſcriberet; exinde poſt tranſitum beati uiri, duos libros ſcripſit, quos dialogos uoluit uocitari. In quibus nonnulla de uirtutibus Eremitarum, anacoretharum'ue inſeruit. Sed nullo inferiorem noſtrum potuit reperire Martinum; quem Apoſtolis, ac Sanctis martyribus, ſanctiſq; prioribus exæquauit; ita ut etiam diceret, Felicem quidem Gręciam, quę meruit audire Apoſtolum Paulum prędicantem, ſed nec Gallias à Chriſto derelictas, quibus donauit Dominus habere Martinum.

Quòd eandem uitam beatus Paulinus uerſu compoſuit. Cap. 2.

Paulinus quoque beatus Nolanę urbis Epiſcopus, poſt ſcriptos uerſu de uirtutibus eius, quas Seuerus complexus eſt, quinque libros, illa com-

prehendit miracula, quæ post eius gesta sunt transitũ, idest in sexto operis sui libro.

Ait enim. Cum energumini per cancellos basilicæ ueherentur uolatu aëreo, & sæpe in puteum impulsu dæmonis iactarentur, abstracti exinde illæsi, ac populis spectantibus sunt resumpti. Idq; nostris temporibus uidimus gestum.

Alius quoq; dæmon acquisitum uasculum præcipitẽ duxit ad amnẽ, quasi prædam, quam cœperat, dimissurus. Sed non defuit perituro beati Confessoris auxilium. Nam ingressus in flumen, & ulteriorem ripam petens, nihil nocumenti accepit, sed siccis est etiam uestimentis egressus. Cumq; ad cellulam maioris monasterij peruenisset, mundatus apparuit. Hunc etiam testantur multas uoces emittere solitum, ac lingua gẽtium incognitarum sæpissimè loqui, uenturaq; fateri, & crimina confiteri. Sed ut diximus, postquã limen sancti attigit, sanus abscessit.

2 *Nota, per inuocationẽ beati uiri fugatis hostibus liberatus est. Ergo bonum est sanctos inuocare.*

Egidius quoq; cum obsideretur ab hostibus, & excluso à se solatio turbatus impugnaretur, per 2 inuocationẽ beati uiri, fugatis hostibus liberatus est. Idq; dæmoniacus in medio basilicæ ipsa hora, qua gestũ fuerat, est professus, sancti Martini obtentu hoc fuisse concessum.

3 *Puella beati sepulchrum expetijt, uigilijsq; celebratis, sanitati reddita est.*

Puella, quæ paralysis humore grauata, & quod peius est, errore cultus fanatici inuoluta erat, beati 3 sepulchrum expetijt, uigilijsq; celebratis, sanitati est reddita. Rursum autẽ ad Idololatriæ uomitũ reuocata, langorem quo obtentu beati Pontificis caruerat, iterato incurrit.

4 *Disce non audere res sanctorum uiolenter eripere.*

Thimus quidam rabidus, instinctu dæmonis actus, coronã 4 sepulchri, quæ sancti meritum declarabat, uiolenter eripuit. Mox lumine priuatus, præda, cogente dolore, restituta, lumen, quod perdiderat recepit.

Quidam uerò à tentatore cõmotus, prolato gladio, cũ quendam ferire conaretur in atrio Confessoris, protinus ira in se retorta, ueloci iudicio Dei prosequente, ipso se mucrone perfodit.

Deniq; cũ populus ad beati templi ornatum columnas deferre cuperet gaudens, quidam uir, qui operi huic inuidus & contrarius erat, multa minabatur, pro eo quod solatium aliquod ad plaustra petentibus nõ præberent. Cumq; superbus equum feriret, in paruo fluuiolo pręcipitatus, in sinu aquarũ gurgitis, ictibus suis suffocatus interijt. Tunc iuuentute pręcedente, columnæ usq; ad beatum templum delatæ sunt.

5 *Vide ad sancti tũmulum oleum redundare, mixtumq; puluere è sepulchro eiusdem desumpto, sanitatum remedia conferre.*

Quotiens etiam ad beatum sepulchrũ oleum fuisset positum, referunt illud uidisse adauctam. Sanctus uerò Perpetuus Episcopus merito beati discipulus pędicandus, ampullam cũ oleo ad sanctum tumulum detulit, ut eam uirtus iusti infusa sanctificaret. Et eraso à marmore, quo sancta membra teguntur, 5 puluere, liquore permixto oleum redundauit, ita ut uestimentũ sacerdotis nectareo efflagrans odore, oleagina unda pfunderetur. Multiq; ex hoc infirmi potiti sunt salute. Sed & procellę ab agris hoc liquore sanctificatis sæpe prohibitæ sunt.

Cum autẽ ad tẽplum sanctũ quidam deuotus fide plenus accessisset,

& gratiam sancti sitiens cogitaret, quid de beata æde raperet ad salutem, prope sepulchrum accedens, ædituo supplicat, ut sibi parum benedictæ ceræ largiretur è tumulo. Quã accipiens lætus abscessit, & agro, cui frugem seuerat confisus imposuit. Adueniens autẽ tempestas sæuissima, quæ omnia in annis præcedentibus sæpe uastauerat, ab hac est prohibita bene dictione, nec ibidem ultra uti consueuerat nocuit.

Magnifica uerò atque desiderabili 6 paschali festiuitate adueniente, populus ad beati cellulam, in qua cõmoratus sæpe frequentauerat cum Angelis, deuotus aduenit. Et singula loca allambens oculis, uel irrigans lachrymis, in quę uir beatus ante sederat, aut orauerat, siue ubi cibũ sumpserat, uel corporis quieti post multos labores indulserat, classe nauium præparata, amnem transire parat, 7 ut beatum sepulchrum adeat, & cũ fletu ueniam deprecans, corã confessore se prosternat. Nauigantibus autem illis, tentatoris impulsu cõmoto uento, classis in profundo demergitur, & populus undique ab amne diripitur. Cumq; inter procellas fluctuum rotaretur, & spes omnis euadendi deperisset, una omnium uox in clamore profertur dicens, Miserator 8 Martine eripe à præsenti interitu famulos famulasq; tuas. His dictis, ecce afflatus auræ placide actus, submersos subuehit ab undis illæsos, omnesq; littori, quod desiderabant, unda famulante restituit, nec ullus deperijt, sed cuncti saluati paschalia festa summa cũ exultatione prosequuti sunt. Non enim defuit illa uirtus, quæ Iordanem scindens, populum sub aquarum molibus margine arente trã duxit, cum de fundo fluuij duodecim lapidibus ablatis signa Apostolica præstantibus, Iosue littus, cui aduenerat, consecrauit; uel illa, quę Petrum pereuntem pia amplectens dextera, ne periret, eripuit; uel quæ nautam submersurum, Martini Dominum inuocantem de profundo pelagi ad littus, quod optabat, elicuit.

6 *Magnifica atq; desiderabili paschali festiuitate adueniente.*

7 *Vt beatum sepulchrũ adeat, & cum fletu ueniam deprecans, coram confessore se prosternat.*

8 *Non fecerunt hi domino nostro Iesu Christo iniuriam, qui prius ad sanctum recurrerunt.*

Quidam pro benedictione aliquid de sancta æde assumere flagitans, parum ceræ de sepulchro sancti accepit, & infra penetralia domus, tanquam thesaurum cœlestem imposuit. Factum est autem, ut inuidia tentatoris immissum incendium domũ uoraci flamma concuteret, & sparsum per aridas tabulas cuncta uastaret. Interea clamor ad cœlum tollitur, & beati Martini auxilium imploratur. Meminit ille etiam ceræ particulę à sancti templo delatę. Quæ reperta, & igni iniecta, protinus cunctum 9 restinxit incendium; nouoq; miraculo cera, quæ ignẽ alere erat solita, uiolentias ignis, ui sanctitatis oppressit.

9 *Ecce quõ & cera de sepulchro sancti extracta, ignis incendiũ extinxit.*

Hęc Paulinus in sexto operis sui libro uersu conscripsit, accepto à sancto Perpetuo Episcopo de his indiculo. Verũ cũ ad eum huius indiculi carta uenisset, nepos eius graui tenebatur incõmodo. At ille confisus in uirtute sancti, ait, si tibi placet, beate Martine, ut aliquid in tua laude conscribam, appareat super hunc infirmũ. Impositaq; carta pectori eius, ex templo recedente febre sanatus est, qui erat ęgrotus.

Sed & Fortunatus presbyter omne opus uitę eius in quatuor libris

uersu conscripsit. His nos illecti, etsi imperiti, tentabimus tamen aliqua de uirtutibus sancti ac beatissimi uiri, quę post eius obitũ acta sunt, quantum inuenire possumus, memorię replicare; quia hoc erit scribendi studium, quod in illo Seueri aut Paulini opere non inuenitur insertum.

De ordinatione & transitu beati Martini. Cap. 3.

Lucidus, & toto orbe renitens gloriosus Dominus Martinus, decedenti iam mundo sol nouus exoriens, sicut anterior narrat historia, apud Sabariam Pannonię ortus, ad saluationem Galliarum, opitulante Deo, dirigitur. Quas uirtutibus ac signis illustrans, in urbe Turonica Episcopatus honorem inuitus, populo cogente, suscepit. In quo gloriosam, & penè inimitabilem agens uitam, per quinquennia quinque bis insuper geminis mensibus cum decem diebus, octogesimo primo ętatis suę anno, Cęsario, & Attico Consulibus, nocte media quieuit in pace. Gloriosum ergò, & toti mundo laudabilem eius transitum in die Dominica fuisse manifestũ
10 est, ut in sequentibus certis testimonijs cõprobabimus. Quod non parui meriti fuisse censetur, ut illa die eum Dominus in 10 paradiso susceperit, qua idem dominus & Redemptor, uictor ab inferis surrexit, & ut qui Dominica solennia celebrauerat impollutè, post mundi pressuras dominica die locaretur in requie.

Anima Martini die Dominica a domino suscepta est in paradiso.

Quòd sancto Seuerino Episcopo chorus psallentium de eius transitu reuelatus est. Cap. 4.

Beatus autem Seuerinus Coloniensis Ciuitatis Episcopus, uir honestę uitæ, & per cuncta laudabilis, dum die Dominica loca sancta ex consuetudine post matutinos hymnos cũ suis clericis circuiret, illa hora, qua beatus obijt, audiuit chorũ canentem in sublimi. Vocatumq; archidiaconũ, interrogat, si aures eius percuterent uoces, quas ille attentius audiret. Respondit nequaq̃: cum ille, diligentius, inquit, ausculta. Archidiaconus autem cepit, sursum collum extendere, aures erigere, & super summos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, à quo hęc non merebantur audiri. Tunc prostrati terrę ipse pariter & beatus Episcopus, Dominum deprecantur, ut hoc ei diuina pietas audire permitteret. Erectis autẽ, rursum interrogat senex, Quid audis? Qui ait: Voces psallentiũ in cœlo audio, sed quid sit, prorsus ignoro. Cui ille, ego, inq̃t, tibi narrabo: Dominus meus Martinus Episcopus migrauit de hoc mundo, & nunc Angeli canendo eũ deferunt in excelsum. Et ut parumper morę esset, ut hæc audirentur, diabolus eum cũ iniquis Angelis retinere tentauit, nihilq; suum in eodem reperiens, confusus abscessit. Quid ergo de nobis peccatoribus erit, si tantũ sacerdotem uoluit pars iniqua nocere? Hęc sacerdote loquente, notauit tempus Archidiaconus, & Turonos misit uelociter, qui hæc diligenter inquirat. Qui ueniens, eo die, & hora manifestissimè nouit transisse beatũ uirum, quo sanctus Seuerinus audiuit psallentem chorũ. Sed & si ad Seueri recurramus historiam, ipsa hora eum sibi scripsit cum libro uitę suę fuisse reuelatum.

Quòd

Quòd beato Ambrosio idem transitus est ostensus. Cap. 5.

Eo nanque tempore beatus Ambrosius, cuius hodie flores eloquij per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi ciuitati præerat Episcopus. Cui celebranti festa 11 Dominici diei ista erat cōsuetudo, ut ueniens lector cū libro, non antea legere præsumeret, q̃ sanctus nutu iussisset. Factum est autem, ut illa dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altarium stante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret. Quod uidentes multi, cum nullus eum penitus excitare præsumeret, transactis ferè duarum, aut trium horarum spatijs, excitauerunt dicentes, Iam hora præterijt; Iubeat dominus lectori lectionē legere, expectat enim populus ualde iam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius, Nolite, inquit, turbari; multū enim mihi ualet sic obdormisse, cui tale miraculū Dominus ostendere dignatus est: Nam noueritis fratrem meum Martinū sacerdotem egressum fuisse de corpore, me autem eius funeri obsequium præbuisse, peractoq; ex more seruitio, capitellam tantum, uobis excitantibus, nō expleui. Tunc illi stupentes, pariterq; admirantes, diem & tempus notant solicitè requirentes: Qui ipsam diem tempusq; transitus sancti repererunt, quo beatus confessor dixerat, se eius obsequijs deseruisse. O beatum uirum, in cuius transitu sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumq; cœlestium uirtutum occurrit exercitus, diabolus præsumptione confunditur, Ecclesia uirtute roboratur, sacerdotes glorificantur. Quē Michael suscepit cum Angelis, Maria admisit cum Virginum choris, paradisus retinet lætum cum sanctis. Sed quid nos in laudem eius tentemus, quod non sufficimus adimplere? Ipse est enim laus illius, cuius laus ab eius ore nunquam recessit. Nam nos utinam uel simplicem possimus historiam explicare.

11 *Cui celebranti festa Dominici diei.*

De Translatione beati corporis sancti Martini. Cap. 6.

Operepretium est etiam illud inserere lectioni, qualiter eius corpusculum in locum ubi nunc 12 ueneratur, fuerit, Angelo annuente translatum. Anno sexagesimoquarto post transitum gloriosi domini Martini, beatus Perpetuus Turonicę sedis cathedram sortitus est dignitatis. Adeptusq; hunc apicem cum uotorum magno consensu, fundamenta templi ampliora, q̃ fuerant, super beata membra locare disposuit. In quod sagaci insistens studio, mirifico mancipauit effectui. De qua fabrica multum quod loqueremur erat. Sed quia præsens est, cōticere exinde melius putauimus. Adueniente ergo optato tempore sacerdoti, ut 13 templum dedicaret, & sanctum corpusculum à loco, ubi sepultum fuerat, transferret, conuocauit beatus Perpetuus ad diem festum uicinos Pontifices, sed & Abbatum, ac diuersorum clericorum non minimam multitudinem. Et quia hoc in Calendis Iulij agere uolebat, uigilata una nocte facto mane, accepto sarculo, terram, quæ super sanctum erat tumulum, ceperunt

12 *Ecce quomodo ueneramur sanctorum corpora.*

13 *Habes hic ecclesiæ dedicationem, habes & sanctū corpusculum.*

effodere. Quo detecto, manus, ut eum cõmouerent, iniiciunt, ibiq; multitudo tota laborans, nihil prorsus per totam diem profecit. Vigilata denique alia nocte, mane tentantes, nihil omnino agere potuerunt. Tunc conturbati atque exterriti, quid facerent nesciebant. Dicit eis unus ex clericis, sciatis quia post hoc triduum natalis Episcopatus eius esse consueuerat: Et forsitan in hac die se transferri debere uos admonet. Tunc 14
14 ieiunijs, ac orationibus, & iugi silentio die noctuq; insistentes, triduum illud continuatim duxerunt. Quarta autem die accedentes, ponentesq; manus, non ualebant penitus mouere sepulchrum. Pauore autem omnes exterriti, iam in hoc stantes ut terra uasculum, quod detexerant, operirent, apparuit eis ueneranda canicie senex, instar niuis candorem efferens, dicens se esse Abbatem, & ait eis, Vsquequo conturbamini, & tardatis? non uidetis dominum Martinum stantem uos iuuare paratum, si manus apponitis? Tunc iactans pallium, quo utebatur, posuit manum ad
15 sarcofagum cum reliquis sacerdotibus, 15 crucibus paratis, ac cereis, impositaq; antiphona, dederunt cuncti uoces psallentes in excelso. Tum ad senis conatum protinus sarcofagum cum summa leuitate cõmotum, in loco, ubi nunc ueneratur, Domino annuente perducitur. Quo ad uotum sacerdotis composito, dictis etiam missis, ut uentum est ad conuiuium, requirentes solicitè senem, nequaquam reperiunt. Sed nec homo quidem extitit, qui eum de basilica exire uidisset. Credo aliquam fuisse uirtutem Angelicam, quæ & beatum uirum se uidisse pronunciauit, & deinceps nulli comparuit. In quo loco ex illa die multæ uirtutes factæ sunt, quæ per negligentiam non sunt scriptæ. Nos uerò quantum tempore nostro aut fieri uidimus, aut factum certe cognouimus, silere nequiuimus.

Ieiunijs, orationibus, & iugi silentio die noctuq; insistentes.

Posuit manum ad sarcofagum cũ reliquis sacerdotibus crucibus paratis ac cereis, impositaq; antiphona dederunt cuncti uoces psallentes in excelso.

De Theodimindo muto. Cap. 7.

Adueniens iuuenis quidam Theodimindus nomine, audiendi loquendiq; obstructo aditu, quotidianis diebus ad sanctam basilicam recurrebat, & inclinans se ad orationem, labia tantum mouebat, nam nullam poterat uocem emittere sensu integro, sed erat mulctatus uocis officio. Qui tam promptè uidebatur orare, ut flere cerneretur inter ipsa tacita uerba plerunque. Cui si quis pro mercedis respectu aliquid eleemosinæ contulisset, continuò hoc similibus pauperibus erogabat, & stipem ab alijs nutu postulans, stipendia indigentibus porrigebat. Cumq; in loco illo sancto in hac deuotione per trium annorum spatia cõmoratus fuisset, quadam die à diuina pietate cõmonitus, uenit ad sanctum altare. 16
16 Et stans oculis ad cœlum eleuatis, & manibus, erupit ab ore eius riuus sanguinis cum putredine. Et conspuens in terram, cepit grauiter gemere, & excreare partes nescio quas cum sanguine; ita ut putaretur quod aliquis ferramento guttur eius incideret. Sed & tabes ex ore eius tanquam fila sanguinea dependebat. Tunc diruptis aurium, ac faucium ligamentis,

Ecce oratio cum eleuatione manuũ & oculorum.

eleuans se, & erigens iterum, oculos & manus ad cœlum, ore adhuc cruẽto in hanc primum uocem prorupit. Grates tibi 17 magnas refero, beatisſime domine Martine, quòd aperiens os meum, fecisti me post longũ tempus in tuas laudes uerba laxare. Admirante autem omni populo, & stupente de tali miraculo, interrogant, si & auditum pariter recepisset. Qui liberè omnia audire, populo testatus est. Post sanitatem ergo rediјt ad Trodechildẽ Reginã, & pro uirtute, reuerentiaq; sancti Martini collectus est; & ad scholam positus, omnem psalmorũ seriem memoriæ cõmendauit. Quem Deus perfectum efficiens clericum, per multos in posterum annos in seruitio Ecclesiæ cõmorari permisit.

17 *Licet agantur sanctis gratiæ pro beneficiјs adeptis, et merito quidem, sciendũ tamen, quod miracula quæ faciunt Sancti, in uirtute Dei faciunt, imo ipse Saluator noster ea per illos seu in illis operatur omnia, cuius spiritu dum uixerunt pleni fuerunt. Et hæc notula sit tibi Canon in omnibus miraculis sanctorum.*

De Chamemunda muliere cæca. Cap. 8.

Mulier quædam nomine Chamemunda, oculorum luce priuata, nesciens uisu tenere uiam, nisi alio ducente, deuota ualde, & fide plena, uenit ad uenerabile templum beati Martini antistitis. Erat autem non solum, ut diximus, cæca, sed etiam toto corpore ulceribus plena. Obsederat enim omnia membra eius putredo cum pustulis, & erat miserabili facie, & horribilis ad uidendum, ut tanquam leprosa putaretur à populo. Cumq; palpando diebus singulis ante ædem gloriosi præsulis cum fide staret, post tres ferè annos stante ea ante sepulchrum, aperti sunt oculi eius, ita ut cuncta clarè prospiceret. Amotoq; omni langore membrorũ, atque siccato humore qui fluebat à corpore, noua cute superueniente, taliter est pristinæ reddita sanitati, ut nec indicium quidem infirmitatis in eius corpore resedisset. Quæ multos in posterum uiuens annos, gratias omnipotenti Deo referebat asſiduas, ꝙ eam per beatum Confessorem suum sic instaurasset incolumem.

De beato Baudeno Episcopo. Cap. 9.

Quòd præsens 18 inuocatio nominis eius mare procellosum compescuerit, non omittam. Cum beatus Baudenus Episcopus Turonicæ ciuitatis, de urbe in urbem, nauigio subuehente, transiret, subito adueniente cum uiolentia uento, nimbus teterrimus mare placidum cõmouet fluctuum impulsu, nauisq; undarum mole turbatur, caput primum in fluctus, secundum declinatur inter undarum hiatus: Hi in scena montis aquosi dependent, hi apertis undis in ima dehiscunt; sed nec antennę resident, quæ beatæ Crucis signaculum præferebant. Tunc resolutis timore membris, & omnibus sine spe uitæ iam mori paratis, 19 prostratus senior in oratione cum lachrymis, & geminas tendens palmas ad astra, beati Martini auxilium precabatur, & ut sibi dignaretur adesse, uelociter proclamabat. Vnus autem ex perfidis dixit, Martinus ille, quem inuocas, iam te dereliquit, nec tibi in hac necesſitate succurret. Verè credo hanc uocem ab insidiatore fuisse prolatam, ut beatum sacerdotem ab oratione turbaret. Sed ille hoc iaculum fidei lorica repellens, magis ac magis sancti uiri pręsidium flagitabat, simulq; cohortabatur, ut omnes ora-

18 *Inũocatio nominis Martini mare procellosum compescuit.*

19 *Ecce oratio cum prostratione, lachrymarum effusione, eleuatione manuũ, sancti inuocatione & exauditione.*

rent. Cumq; hæc agerentur, ſubitò ſuperuenit odor ſuauiſsimus tanquã balſamum in naui, & tanquam ſi cum thuribulo aliquis circuiret, odor thiamiamatis effragrauit. Quo odore adueniente, ceſsit uiolentia uentorum, eliſiſq; aquarum aſtantium molibus, redditur mare tranquillum. Mirantur omnes iam morti dediti fluctuum pacem, & protinus data ſerenitate redduntur littori; quò nullus ambigat beati uiri aduentu hanc tempeſtatem fuiſſe ſedatam. Tunc omnes in cõmune Domino gratias

20 referunt, ꝙ eos per 20 inuocationem Antiſtitis ſui dignatus ſit de hoc periculo liberare.

Gratias deo referunt quod per inuocationẽ Antiſtitis ſui dignatus ſit eos de hoc periculo liberare.

De eo, qui ſancti reliquias cameracum contulit. Cap. 10.

Huius temporis quidam de Cameracenſi eccleſia reliquias beati Martini expetijt. Quibus iam ueſpere acceptis, cum pſallendo proficiſceretur, dumq; Ligerim fluuium tranſit, ſero factum eſt, & ſubito contenebratũ eſt cœlum, & ecce fulgura magna ac tonitrua deſcendebant. Dum hæc agerentur, duæ puerorum lanceæ, emiſſa flamma, lumen euntibus præbuerunt. Ibantq; fulgurantes haſtæ, non minus miraculi, q̃ beneficij præuiantibus præferentes, uirtutemq; Antiſtitis oſtendentes.

De Gallis Sueuis conuerſis. Cap. 11.

Deficit lingua ſterilis tantas cupiens enarrare uirtutes. Charrarici cuiuſdam Regis Galliciæ filius grauiter ægrotabat, qui tale tædium incurrerat, ut ſolo ſpiritu palpitaret. Pater autem eius fœtidæ ſe illi Arrianæ ſectę unà cum incolis loci illius ſubdiderat. Sed & regio illa plus ſolita, q̃ alię prouinciæ, lepra ſordebat. Cumq; Rex uideret urgeri filium in extremis, dicit ſuis, Martinus ille, quem in Gallijs dicunt multis uirtutibus effulgere, cuius, quæſo, religionis fuerit, enarrate. Cui aiunt, Catholicæ fidei populum paſtorali cura in corpore poſitus gubernauit, aſſerens filium cum patre & ſpirituſſancto ęquali ſubſtantia uel omnipotentia uenerari debere: Sed & nunc cœli ſede locatus, aſsiduis beneficijs non ceſſat plebi proprię prouidere. Qui ait, ſi hęc uera ſunt quę profertis, diſcurrant uſque ad eius templum fideles amici mei, multa munera deportantes, & ſi obtineant mei filij medicinam, inquiſita fide catholica, quam ille credidit, credam. Penſato ergo auro, argentoq; ad filij pondus, tranſmiſit ad uenerabilem locum ſepulchri. Qui profecti, oblatis muneribus exorant ad beati tumulum pro ægroto. Sed inſidente adhuc in patris eius pectore ſecta, non continuò integram recipere meruit medicinam. Reuerſi autem nuncij narrauerunt Regi, ſe multas uirtutes ad beati tumulum uidiſſe, dicentes, Cur non ſanatus fuerit filius tuus, ignoramus. At ille intelligens, non ante ſanari poſſe filium, niſi ęqualem cũ patre crederet Chri-

21 ſtum, in honorem beati Martini fabricauit 21 Eccleſiam, miroq; opere expedita, proclamat, ſi ſuſcipere mereor uiri iuſti reliquias, quodcunque ſacerdotes prædicauerint, credam. Et ſic iterum ſuos dirigit maiore cum munere; qui uenientes ad beatum locum reliquias poſtulabant.

In honorẽ beati Martini fabricauit Eccleſiam miro opere expeditam.

Cumq;

Cumq; eis offerrentur ex consuetudine, dixerunt, Non ita faciemus, sed nobis quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc partem pallij serici pensatam super beatū sepulchrum posuerunt, dicentes, si inuenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus plus insequenti pensabunt, eruntq; nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem. Vigilata ergo una nocte, facto mane, quæ posuerant pensitabant. In quibus tanta beati uiri infusa est gratia, ut tandiu eleuarent in sublime æream libram, quantum habere poterat quo ascenderet momentana.

Cumq; eleuatæ fuissent reliquiæ cū magno triumpho, audierunt uoces psallentes qui erant in ciuitate detrusi in carcere, & admirantes suauitatem soni, interrogant custodes, quid hoc esset; qui dixerunt, Reliquiæ Domini Martini in Galliciam transmittuntur, & ideo sic psallitur. Tunc illi flentes inuocabant sanctum Martinū, ut eos sua uisitatione liberaret. Exterritisq; custodibus, & in fugam uersis, diruptis obicibus retinaculorum, liber populus surgit à uinculo, & sic usque ad sancta pignora, plebe inspectante, uenerunt, 22 osculantes flendo beatas reliquias, simulq; & gratias beato Martino pro sui absolutione reddentes, ꝙ eos dignatus fuerit sua pietate saluare. Tunc obtentis per sacerdotem à iudice culpis, incolumes dimissi sunt. Quod uidentes gestatores reliquiarum gauisi sunt ualde, dicentes, Nunc cognouimus, ꝙ dignatur beatus antistes nobis peccatoribus propitium se præbere. Et gratias agentes prospero prosequente patroni præsidio nauigio, undis leuibus, temperatis flatibus, uelo pendulo, mari tranquillo, uelociter ad portum Galliciæ peruenerunt. Tunc cōmonitus à Deo quidam nomine Martinus de regione longinqua, qui ibidē nunc sacerdos habetur, aduenit. Sed nec hoc credo sine diuina fuisse prouidentia, ꝙ eo die se cōmoueret de patria, quo beatæ reliquiæ de loco leuatæ sunt, & sic simul cū ipsis pignoribus Galliciæ portū ingressus sit. 23 Quæ pignora cū summa ueneratione suscipientes, fidem miraculis firmant: nam filius Regis dimissa omni ægritudine, sanus properat ad occursum. Beatus autem Martinus sacerdotalis gratiæ accepit principatum. Rex unitatem patris & filij, & spiritussancti confessus, cū omni domo sua 24 chrismatus est. Squalor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi saluantur, nec unquā ibi usque nunc super aliquē lepræ morbus apparuit. Talemq; gratiam ibi in aduentu pignorum beati patroni Dominus tribuit, ut uirtutes, quæ ibidem illa die factæ sunt, enarrare perlongum sit. Nam tantū in Christi amore populus ille prōptus est, ut omnes martyrium libentissime susciperent, si tempus persequutionis adesset.

22 *Osculātes flendo beatas reliquias, simulq; & gratias beato Martino pro sui absolutione reddentes.*

23 *Quæ pignora cū summa ueneratione suscipientes, fidem miraculis firmant.*

24 *Cum omni domo sua chrismatus est.*

De Vltrogotha Regina. Cap. 12.

Nam & Vltrogotha Regina, auditis miraculis, quæ ad locum fiunt, quo 25 sancta membra quiescunt, tanquā sapientiam Salomonis, expetijt corde deuoto prospicere. Abstinens ergo se à cibis & somno, præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis, peruenit 26 ad locum sanctū,

25 *Quo sancta membra quiescunt, non dicit ossa emortua.*

26 *Vides peregrinantem Reginam ad basilicā D. Martini.*

ingreſſaq; baſilicam timens,& tremens,nequaquã audebat adire ſepulchrum,indignam ſe eſſe proclamans,nec ibidem poſſe,obſiſtentibus culpis,accedere. Tamen deducta uigilijs nocte,& orationibus,ac profluis lachrymis,mane oblatis muneribus multis, in honorem beati Confeſſoris

27 *Ecce quomodo et olim in honorem ſanctorũ Miſſæ celebrabãtur, neq; hoc nouitium eſt inuentum.*

miſſas 27 expetijt celebrari. Quæ dum celebrantur, ſubitò tres cæci, qui ad pedes beati Antiſtitis longo tempore priuati lumine reſidebant, fulgore nimio circundati,lumen,quod olim ꝑdiderant,receperunt. Quo facto,clamor in cœlum attollitur magnificantium Deum. Ad iſtud miraculum currit Regina,currit & populus, mirantur omnes fidem mulieris,mirantur gloriam confeſſoris:ſed ſuper omnia collaudatur Deus noſter,qui tantam 28 uirtutem preſtat ſanctis ſuis,ut per eos talia operari dignetur, tale inter reliqua luminaria huic mundo beatum Martinum immenſum ſydus attribuens, per quem eius tenebræ refulgerent; Qui uerè ſicut oliua fructifera,per ſingulos dies factis exhibet gloriam Domino, & conuerſionibus iuſtorum.

28 *Miracula quæ ad ſanctorum inuocationem fiunt, ex Dei uirtute geruntur,qui tantam eam præſtat ſanctis ſuis, ut per eos talia operari dignetur.*

De eo,qui puſtula in extremis poſitus laborabat. Cap. 13.

Sed nec prætereundum eſt, ꝙ uenerabilem conſeruũ meum Fortunatum presbyterũ retuliſſe cõmemoro.Quidam in Italia dum ueneno puſtulæ peruaſus in diſcrimine ſic ageretur,ut uiuere deſperaret,aliquos interrogant,ad templum beati Martini quis fuerit; Tunc quidam ex aſtantibus aſſerit ſe fuiſſe.Requirit ægrotus,quid idem pro benedictione detulerit. Qui negat,ſe aliquid præſumpſiſſe. Quem iterum interrogat,qua tunc ueſte indutus ſit,cũ ad templum ſancti peruenerit.Reſpondit,ꝙ ea, qua ſuper ſe, ipſo tempore utebatur. Tunc abſciſſa fideliter indumenti particula,impoſuit ſuper puſtulam. Mox 29 ut ægri membra tetigit, uulnus puſtulæ ueneni uim perdidit: Quæ tali medicamine uirtutẽ ſancti protulit,& infirmũ refert incolumẽ. Hanc apud Italos aſſerens ſpiritalem uigere medelam,ut ſiquis puſtulæ percutiatur uulnere,ad propinquũ,quod fuerit, beati Martini oratorium habeatur perfugium, & aut ex uelo ianuæ,aut palliolis, quæ pendent de parietibus,quicquid primũ raptum fuerit,fit ſalubre. Hæc medela genitorem ſuũ carnalem ab interitu puſtulæ,ut ipſe patris ſui teſtis aſſerit,liberauit.

29 *Vide magnum miraculum, & q̃uo etiam res exteræ ad ſanctos quomodocunq; pertinentes,gratiarum beneficia præſtent.*

De Caſtello Italiæ Tertio nomine. Cap. 14.

Idem his uerbis retulit,in cacumine Caſtelli regionis Italiæ, quod dicitur Tertium,oratorium beati Martini fundatum eſſe, ibiq; turri uicinæ quotiens incurſione barbarorum per fraudem hoſtis accederet nocturnis inſidijs,quiſquis deuigilantibus habuiſſet in turre lanceam,aut ſpatã, uel cultellum,ſeu grafium protuliſſet ex theca,ferè per horę ſpatium tale lumen reddebatur ex uniuerſo gladio, tanquã ſi illud ferrum uerteretur in cereum. Et mox ex ipſo ſigno cuſtodes admoniti, magis intenti uigilijs, hoſtes latebrantes lapidibus exturbabant. Quod opi ſancti Martini recto iudicio reputatur,qui uicinitate ſua ſibi deuotis populis ſedulã exhibuit,præſentemq; cuſtodiam.

De oleo Cicendilis super pictura beati. Cap. 15.

Et hanc uirtutẽ à supradicto cognouimus Fortunato, qui sibi in Rauenna, & Felici & Rethorico socijs suis ex oleo, quod sub imagine picturæ beati Martini in cicendili ardebat, dum tetigerunt oculos, lumen redisse confessus est.

De Placido Procuratore. Cap. 16.

Similiter in prædicta urbe dum Placidus procurator desperatus à medicis, ad illud puellarum oratorium sibi uicinũ confugeret, & in atrio decubaret, uenit noctu ad Abbatissam beatus Martinus per somnum, quã requirens quid faceret, ait, se quiescere. Dicit sanctus ad illam, In Gallias habui iam redire, sed propter istum, qui foris iacet in atrio, me remoratu rum profiteor. Tunc surgens Abbatissa, & referens uisum, fidẽ fecit homini, quia de periculo liberaretur. Quod certe meruit obtinere. Sed ut prædictus presbyter asserit, multum desiderabilius in locis Italicis uenera tur, q̃ ubi propria membra recubant: in tantum ut frequentia miracula nec sparsa colligantur in uerbis, nec tamẽ finita recondantur in paginis.

De his quę Ambianis gesta sunt. Cap. 17.

In porta Ambianensi, in qua quondam uir beatus pauperem algentẽ chlamide decisa contexit, oratorium à fidelibus est ædificatũ, in quo nunc puellæ religiosę deseruiunt ob honorem sancti Antistitis, parumper habentes facultatis, nisi q͂ eas deuotorũ alit sæpe deuotio. Tamen eis quodã tempore pauca apum aluearia fuerant data, quæ cũ quidam inuidus aspexisset, ait infra se, Vtinã aliquid de his uasis possem auferre. Sequuta autẽ nocte instigatus à dæmone ablatis tribus uasis nauim onerat, ut scilicet transito amne sibi facilius quæ abstulerat uendicaret. Sed credo ei impedimentũ fuisse hoc furtum, sicut postea manifestè probatum est. Igitur cũ sole oriente ad portũ fluminis causa transmeandi homines properarent, nauim ad littus aspiciunt, apesq; exaluearijs cateruatim emergere, hominemq; seorsum iacere prostratum. Sed putantes eum à somno occupatũ (sicut didicerant iam à puellis furtum factum) quantocius properant ad alligandum eum, sed accedentes 30 mortuũ reperiunt. Statimq; puellis notum faciunt factũ, & quod furto raptũ fuerat cellulæ restituunt, admirantes tam uelociter in homine diuinæ ultionis accessisse sententiam.

30 *Ecce uindictam contra sacræ domus direptorem factam.*

De Siroiabense oratorio. Cap. 18.

Sic & apud Siroiabense oratorium, cuius altarium sancti confessoris manus alma sacrauit, dum plerıq; beneficia expetita mererentur, quidã paralyticus adueniens 31 cereum in status sui altitudine nocte tota uigilans retinuit, qui mane facto, ut lux reddita est mundo, absolutis gressibus, populo teste, incolumis exilijt.

31 *Cereum tota nocte uigilans tenens paralyticus, mane facto sanatus est.*

De Bella cæca. Cap. 19.

Nec hoc silebo, quid cæcitati contulerit, cũ beati sepulchrũ deuota mulier expetisset. Quædam de Turonico territorio fœmina, Bella nomine, amisso oculorum lumine grauiter laborabat. Et cum die noctuq; incessa

bilibus doloribus urgeretur, dicit suis, si ad basilicam Domini Martini ducta fuissem, continuo sanitatem recepissem: confido etenim, quod possit oculis meis lumen infundere, qui potuit pauperis lepram osculo libato sanare. Deinde adminiculo deducente 32 uenit ad sanctum locum, ibiq; ieiuniis, & orationibus crebris insistens, uisum, quem amiserat, recipere meruit. Et ita sanata est, ut quae ceca uenerat alio producente, cecis affatim dux futura regressa sit.

32 *Venit ad locum sanctum, ibiq; ieiunijs et orationibus crebris insistens, uisum quem amiserat, recipere meruit.*

De Ammonio precipitato. Cap. 20.

Et quia bis aut tertio de sola gloriosi nominis imprecatione & uirtutes factas, & pericula sedata narrauimus, quale cuidam pereunti in ipso mortis precipitio beatus Pontifex inuocatus sustentaculum prebuerit euoluam. Ammonius quidam uices agens sancte Basilice, dum de coena madefactus uino ueniret, de rupe excelsa, que uie coniungitur, inimico impingente precipitatur. Erat autem profundum loci illius ducentorũ pedum. Cumq; per profunditatẽ precipitij illius rotaretur, & deorsum sine alarum remigio uolitaret, sancti Martini auxilium per singula descẽsionis suae momenta clamabat. Tunc quasi manibus aliorum de iumento suo excussus, super arbores, quae ualli inerant, deijcitur. Et sic paulatim per singulos ramos descendens sine mortis periculo ad terrã usque peruenit. Tamen ut opus insidiatoris non usquequaque uideretur cassatum quod fuerat inchoatum, pedem eius leuiter laedit. Sed ueniens ad gloriosi domini templum, orationi incumbens omnem uim doloris amisit.

De alio appenso. Cap. 21.

Non credo haberi superfluũ, si inseratur lectioni, qualiter inuocatio nominis eius 33 uitam praestiterit morituro. Quodam loco unus propter furti scelera cõprehensus, atque grauiter uerberibus actus, ductus est ad patibulum, ut condemnaretur suspendio. Cumq; in hoc exitu morte iam appropinquante uenisset, orandi spatium petijt. Tunc sicut erat ligatis post tergum manibus, iactauit 34 se pronus in terram, & cepit cum lachrymis inuocare nomen beati Martini, ut si & in hac necessitate non succurreret, uel à culpis eum in posterũ excusaret. Cumq; cõpleta oratione suspensus fuisset, recesserunt milites à loco illo; ipse autẽ ore semiaperto parumper labia mouens, sancti Martini semper nitebatur auxilium implorare. Discedentibus tamen illis, statim solutae sunt manus & pedes eius. Et sic per biduũ pendente eo, reuelatum est cuidam religioso ut eũ tolleret. Qui ueniens inuenit eum adhuc uiuentẽ. Tunc adiutorio beati Martini de patibulo depositum incolumẽ adduxit ad ecclesiam. Vidẽtes uerò eum, stupescebant, & admirabantur, dicentes, Quomodo uiuit. Et interrogabant eum qualiter liberatus esset. Ille autem dicebat, Beatus 35 Martinus me de praesenti morte eripuit, & hucusq; perduxit. Verè hanc ego uirtutem in hoc homine ostensam, iuxta sensus mei intelligentiam non inferiorem censeo, quam mortuum suscitatum; Quem sic beatus confessor confracto, ut ita dicam, mortis hiatu, & eius ab ore retractum uitae

33 *Inuocatio nominis Martini uitam praestitit morituro.*

34 *Tunc iactauit se pronus in terrã, & cepit cum lachrymis inuocare nomẽ beati Martini, & liberatus est.*

35 *Vide quanta possit beatus Martinus, & an ignorent Sancti quae circa nos aguntur, & an malum sit sanctos inuocare.*

restituit. Qui usque hodie ad testimonium uirtutis beati uiri uiuus habetur in seculo.

De Leomere contracto. Cap. 22.

Quid etiam in Condatensi diocesi actum sit, non præteribo. Locus autem ille crebris uirtutibus illustratur. In hoc enim uir beatus sarcina carnis abiecta, migrauit ad dominũ. Leomeris ergo quidam nomine, seruus cuiusdam hominis Andegauini, ab angue percussus, contracta manu ligatur, lingua quoque rigebat, multoq; tempore in hac debilitate detentus, neque sibi, neque Domino aliquid operis exercebat. Hic fide cõmonitus, cũ ad beati basilicam uigilasset, directa manu, liberataq; ab omni impedimento lingua beati Martini miraculum populis testabatur dicẽs, Ecce quid in hac nocte sanctus Dei operatus est, me teste probate. Reuersus autem ad Dominum suũ narrauit ei omnia quæ acta fuerant. Sed ille minimè uirtutem gloriosi Pontificis credens, ad solitum eum adaptat seruitium. Qui cum operari cepisset, rursum in debilitatem redigitur. Intelligens autem Dominus eius, Dei hoc esse mysterium, transmisit eũ iterũ ad locũ, in quẽ prius abierat. Ad quem ille cũ maxima deuotione perueniens, data illi sanitate, quã prius habuerat, instauratur.

De Chranio soluto à cathenis. Cap. 23.

Dignum existimaui & illud nõ omittere in relatu, quod, Viliathario presbytero referente, audiui. Tempore quo propter perfidiam Chranius iram Clotarij Regis incurrerat, ad basilicam sancti Martini confugit, atq; ibidem in cathenis positus custodiebatur, sed uirtute beati præsulis cõminutę cathenę stare non potuerunt. Nescio autẽ qua imminente negligentia foris atrium cõprehensus est. Quem oneratum ferro, uinctisq; post tergũ manibus, ducebant ad Regẽ. At ille uoce magna clamare cœpit, & ut sibi beatus Martinus misereretur, orare, nec eũ sineret abire captiuũ, cuius deuotus expetierat tẽplum. Statimq; in eius uocibus, orante beato Euphronio Episcopo de muro ciuitatis contra basilicam, dissolutæ sunt manus eius, & omnes baccæ cathenarũ confractę ceciderunt. Perductus autẽ usque ad Regẽ, ibi iterũ in cõpedibus & cathenis constrictus retinebatur. Sed inuocato nomine sæpedicti patroni, ita omne ferrũ super eum cõminutum est, ut putares illud fuisse quasi figulum. Hoc tantũ erat in spatijs, ut non solueretur à uinculo, quoadusq; nomen illud sacratissimũ inuocasset. 36 Inuocato autẽ omnia soluebantur. Tunc Rex altioris ingenij uidens uirtutes sancti Martini ibidem operari, & ab onere uinculorũ absoluit eum, & pristinæ restituit libertati. Hæc ab ipsius Viliatharij presbyteri ore corã multis testibus factum esse cognoui. Vtinam se mihi in tali uirtute dignaretur manifestare beatus confessor, & sic absoluere meorum ligamina peccaminum, sicut super eum contriuit uasta pondera cathenarum.

36 *Si inuocare sanctos res esset Deo displicens, non tot & tanta miracula per eos ille operaretur.*

De Alpino Comite debili. Cap. 24.

Alpinus quoque Comes Turonicæ Ciuitatis cũ per totum annum

grauiter ab unius pedis dolore consumeretur, & nocte dieq; requiē non haberet, atque inter ipsas torturæ suę uoces beati Martini iugiter auxilium imploraret, apparuit ei beatus confessor in uisu nocte, hilari uultu arridens, & consueta deferens arma, beatum 37 signaculum sanctæ Crucis super pedem infirmum imposuit. Mox omni dolore fugato sanus surrexit de lectulo.

37 *Ecce quō inuocatus sanctus Martinus affuit, & signaculo crucis infirmi pedem sanauit.*

De Charigisito contracto. Cap. 25.

His expertis Charigisitus Referendarius Regis Clotarij, cui manus & pedes ab humore contracti erant, uenit ad sancti basilicam, & orationi incumbens per duos aut tres menses, à beato Antistite uisitatus, mēbris debilibus sanitatem obtinere promeruit; Qui postea antedicti Regis domesticus fuit, multaq; beneficia populo Turonico, & seruientibus beatæ basilicæ ministrauit.

De Aquilino amente. Cap. 26.

Narrabo & illud, qualiter diabolicæ artis insaniæ ad eius basilicā denudentur. Quidā Aquilinus nomine, dum uenationē cū patre suo in syluis Franciæ exerceret, pauorē pessimū, inimico insidiante incurrit. Erat enim ei tremor cordis, & interea uidebatur extensus. Parentes uerò eius intelligentes eum diaboli immissione coarctari, ut mos rusticorū habet, à sortilegis, & ariolis ligamenta ei, & potiones deferebant. Sed cū nihil ualeret mos ille, sancti Martini auxilia prompti, dolore cogente, requirunt, dicentes, Potest in his insidijs nudare malitiam, qui detexit umbrā multum, ut audiuimus, falso religionis nomine adoratam. Quem de regione cōmotum miserunt ad sanctam basilicā, ibiq; in oratione cū summa parcitate se continens, opem sancti poscebat assiduè. Cumq; in hac fide diutius cōmoratus esset, omni pauore dempto, sensum ut habuerat ante, recepit. Oblitisq; parentibus in eo loco usque hodie pro beneficio accepto deseruit.

De Charinaldo debili. Cap. 27.

Sed & Charinaldus quidā per uenationem similes incurrens insidias, latus unū debilitata manu ac pede perdiderat. Qui ad gloriosum tēplum famulorum manibus deportatus, 38 ieiunijs & orationibus se subdens assiduis, per totū ferè annū, omnium mēbrorum sanitate recepta, gaudens remeauit ad propria. Et ideo monemus, ut nullus solicitetur ab ariolis, quia nihil unquā proderunt infirmis. Plus enim ualet parumper de puluere basilicæ, quàm mille cū medicamentis insaniæ.

38 *Ieiunijs & orationibus se subdens assiduis per totum ferè annum, omnium mēbrorum sanitatem recepit.*

De fune abscisso. Cap. 28.

De puluere, 39 aut cera loci illius, uel quicquid rapere quis potuit de sepulchro, quantę uirtutes aut assiduè fiant, aut factæ sint, quis unquā poterit inuestigare, aut scire? Vnū tamen manifestum miraculum, quod à fidelibus cōperi, putaui crimen tacere. Vnus fide plenus expetijt, ut aliquid pignoris de sancti basilica secretius deportaret. Et multis conatus uicibus, nunquā potuit, dum publicè non præsumpsit. Reuerti autem cu-

39 *O rem mirabilem, puluis, cera, uel quicquid de sancti sepulchro rapi potuit, demum & funis campanæ uirtutes operantur.*

piens,nocte ad funem illum,de quo ſignum cõmouetur,aduenit.Ex quo fune deciſam cultro particulam ſecũ detulit.Regreſſusq; ad domũ,multis exinde infirmis ſanitatem accõmodauit;ita ut non dubium eſſet ægrotum euadere,qui pignus illud meruiſſet fideliter oſculari. Ecce quid ſancte præſtas fidelibus,qui tua mœnia expetunt piè. Per te ſaluantur, qui pignora uotiue detulerint,& ſubſequẽte tuo auxilio,liberantur. Sed hæc omnia fides ſtrenua operatur,dicente Domino,Fides tua te ſaluã fecit.

De Chariberto Rege,qui res eccleſiaſticas peruaſit. Cap. 29.

Videtur nec ſilendum,qualiter uir beatus præſidia famulis ad res ſuas defendendas quaqua iubet accõmodat.Charibertus Rex cũ exoſis clericis,eccleſias Dei negligeret,deſpectisq; ſacerdotibus,magis in luxuriam declinaſſet,ingeſtum eſt eius auribus,locũ quendam,quẽ baſilica ſancti Martini diuturno tẽpore retinebat,ſiſti ſui iuri,reddiq; debere. Loco autem illi Nauicellis nomen priſca uetuſtas indiderat. Qui accepto iniquo conſilio,pueros uelociter miſit,qui Remiculam illam in ſuo dominio ſubiugarent. Cumq; hæc rectè poſſidens uideretur habere,iuſſit in locũ illũ ſtabularios cũ equitibus dirigi,ibiq; ſine æquitatis ordine præcepit equos ali. Accedentes ergo pueri fenum quod coaceruatũ fuerat, accipiunt in equorũ expenſas. Cumq; iniunctum ſtudioſe ageretur ſeruitium,atque equi appoſitũ fenum cepiſſent expendere,corripiuntur rabie.Et fremẽtes adinuicẽ diruptis loris,per plana proſiliunt,& in fugam uertuntur,& ſic male diſperſi, alij 40 excęcantur, alij rupibus præcipitantur, alij ſe ſepibus ingerentes,paloꝝ acuminibus transfodiuntur. Tandem ſtabularij iram Dei intelligentes,paucos extra terminũ loci,quos aſſequi potuerunt expellunt,ſanosq; recipiunt,nunciantes Regi rẽ illam iniuſtiſsimè retineri. Et ideo hæc cũ fuiſſent perpeſsi dixerunt; Dimitte eam,& erit pax tibi.Qui furore repletus ſic dixiſſe fertur,ſiue iuſtè,ſiue iniuſtè reddi debeat,regnante me,hanc baſilica non habebit. Qui protinus diuina iuſsione tranſitum accipiens quieuit. Adueniente autẽ glorioſiſsimo Sigiberto Rege,in eius regnũ,ad ſuggeſtionẽ beati Eufronij Epiſcopi hoc in domo ſancti Martini reſtituit,quod uſque huc ab eius baſilica poſsidetur. Audite hæc omnes poteſtatem habentes: Sic ueſtite alios,ut alios nõ ſpolietis; hoc adiungite ueſtris diuitijs, ut damna non inferatis Eccleſijs. Vindex eſt enim Deus uelociter ſeruorum ſuorum. Et ideo monemus, ut qui de poteſtatibus hæc legerit,non iraſcatur.Nam ſi iraſcitur,de ſe fatebitur dictum.

40 *Vide ſi ſancti ſciunt uindicare ſe de ſuis raptoribus.*

De Euſtochio Pictauienſi. Cap. 30.

Simili conditione beatus Confeſſor in rebus ſibi iniuſtè ablatis apparuit.Euſtochius quidam cũ plerunq; contra iuſtitiam ſanctũ Epiſcopũ de hæreditate Baudulphi cognati ſui pulſaret, qui hæredem baſilicã 41 ſancti Martini inſtituerat, cõmotus ab eo per inſidias & iniurias, beatus Pontifex aliquid ei de rebus illis reddidit.Portante autẽ illo hoc ad domũ ſuam,protinus filius eius unicus in febrẽ corruit, unaq; die & nocte gra-

41 *Vides per miraculum ſubſequutum placere domino Deo quod ſanctorum baſilicæ inſtituantur hæredes defunctorum?*

uiter æſtuans expirauit. Cui tam præſto fuerat mortis occurſus, quam uelociter pater eius de rebus ſibi non debitis effectus eſt Dominus. Qui in exemplum Giezi poſſedit aurum, & argentũ, ſed, quod illis erat pretioſius, acquiſita animæ lepra, amiſit filium: nec unquam meruit deinceps alium adipiſci.

De eo, qui in ſancta porticu peierauit. Cap. 31.

Quàm pręſens, & ſuper alium ultio diuina proceſsit, qui in ſancta porticu peierauerat, ad cõprimendam perfidorum audaciam non ſilebo. Cũ ad maculam illam, quã ſanctus ſuo beneficio deuotorum eleemoſynis paſcit, quotidie à fidelibus neceſſaria tribuantur, conſuetudinem benedicti pauperes habent, ut cũ multi ex his per loca diſceſſerint, cuſtodem inibi derelinquant, qui quod fuerit oblatum accipiat. Quidam ergò deuotus unum trientem mercedis intuitu detulit, quẽ cuſtos loci collectum fratribus occultare non metuit. Conuenientes autẽ pauperes ad ſextam, ſciſcitati ſunt antedictũ cuſtodem, quid ſibi beatus paſtor ſolita pietate reſpiciens tranſmiſiſſet; audierant enim ibidem aliquid fuiſſe largitũ. Qui ait cum ſacramento, Per hunc ſanctum locum & uirtutes domini Martini, quia hic amplius non uenit, ꝙ̃ unus argenteus. Nec dum enim uerba cõpleuerat, ſed adhuc in ore ſermo pẽdebat, cũ 42 ſtatim tremens corruit in terram, ſuoq; lectulo aliorũ manibus redditus, cepit grauiter ſingultare. Interrogatus autem à circunſtantibus quid ſibi eſſet, reſpondit, trientẽ illum, quẽ pauperes requirebant, periuraui, & ideo me præſens uindicta flagellat, ſed rogo ut eũ accipientes reddatis maculæ. Quo reddito, ſtatim emiſit ſpiritum. O` infelix, qui ſic ab iniqua cupiditate præuentus perijt, ut & lucrum uitæ perderet, nec damna captæ pecuniæ poſsideret. Sed ad quid non mortalia pectora cogis execranda cupiditas? Quę inuida quondam uiduæ duobus minutis cœleſte Regnũ mercandi cauſa fueras, hunc per unũ trientem ad ima præcipitas; & quæ Iudam appendiſti laqueo in magiſtri pretio, hunc per paruũ numiſma demergis in tartara. Satis ergo hæc ad cõprimendam malorum temeritatem dicta ſufficiant.

42 *Diſce non peierare præſertim in locis deo dicatis.*

Quòd me uirtus eius ab infirmitate reſtaurauit. Cap. 32.

Ergo his exactis, quæ circa alios geſta ſunt, aggrediar quę circa me indignũ uirtus præſentis eſt operata patroni. Anno centeſimo ſexageſimo tertio poſt aſſumptionẽ ſancti ac prædicabilis uiri beati Martini Antiſtitis, regente eccleſiam Turonicam ſancto Eufronio Epiſcopo anno ſeptimo, ſecundo anno Sigiberti glorioſiſsimi Regis, irrui in ualetudinem cũ puſtulis malis & febre, negatoq; uſu potus atq; cibi, ita angebar, ut amiſſa omni ſpe uitæ pręſentis, de ſolis ſepulturæ neceſſarijs cogitarem. Obſederat enim me mors cum ardore, animam cupiens expellere de corpore. Tunc iam ualde exanimis inuocato nomine beati Martini antiſtitis parumper conualui, & lento adhuc conamine iter incipio præparare; inſederat enim animis, ut locum uenerabilis ſepulchri uiſitare deberẽ. Vnde tanto deſiderio affectus ſum, ut ne uiuere me optarem, ſi tardius direxiſſem.

sem. Et quia uix euaserã ex ardore incõmodi, cepi iterum feruore febris succendi. Nec mora adhuc parũ fortis 43 iter cum meis arripio, actisq; uel duabus uel tribus mansionibus, ingressus syluas, corrui rursus in febrem, & tam grauiter ægrotare cepi, ut omnes me autumarent uitã amittere. Tunc accedentes amici, & uidentes me ualde lassum, dicebãt, Reuertamur ad propria, & si te Deus uocare uoluerit, in domo tua moriere; si autẽ euaseris, uotiuũ iter facilius explicabis; satius est enim reuerti ad domum, quàm mori in eremo. Ego uerò hæc audiens, uehementer lachrymabam, & plangens infelicitatem meam, loquutus sum cũ eis, dicens, Adiuro uos per omnipotentem Deum, & reis omnibus metuendum iudicij diem, ut ea quæ rogo, consentiatis; de cepto itinere non desistite, & si mereor sancti Martini uidere basilicam, gratias ago Deo meo; sin aliàs, uel exanime corpus deferentes ibidem sepelite, quia deliberatio mea est, non reuerti domũ, si non eius sepulchro meruero præsentari. Tunc una pariter flentes, iter, quod ceperamus, aggredimur. Præcedente ergo præsidio gloriosi domini, ad basilicam eius aduenimus.

43 *Ecce peregrinationẽ ad sepulchrũ sancti.*

De Clerico nostro amente. Cap. 33.

Eo tempore unus ex clericis meis Armentarius nomine, bene eruditus in spiritualibus scripturis, cui tam facilè erat sonorum modulationes appendere, ut eũ non putares hoc meditari, sed scribere, in seruitio ualde strenuus, & in cõmisso fidelis, Hic uerò, inficiente ueneno, â pustulis malis omnem sensum perdiderat, & ita redactus fuerat, ut nihil penitus aut intelligere posset, aut agere. Tertia autẽ nocte, postquàm aduenimus ad sanctam basilicam, uigilare disposuimus, quod & impleuimus. Mane autem facto, signo ad 44 matutinas cõmoto, reuersi sumus dormitum: qui lectulis quiescentes usque ad horã propè secundam dormiuimus. Expergefactus ergo, amota omni languoris & cordis amaritudine, sentio me pristinam recepisse sanitatẽ, & gaudens puerũ familiarẽ, qui mihi seruiret, euoco. Exurgens autem Armentarius uelociter corã me stetit, & ait, Domine ego parabo quod iusseris. At ego existimans adhuc esse cũ extensum, uade, inquã, uoca puerũ. Et ait, Ego quæcunque præceperis adimplebo. Obstupefactus interrogo quid hoc esset. Qui ait, Intelligo me ualde sanũ, sed unus error est animi, quod nescio de qua parte huc aduenerim. Et ita incipiens ita mihi impendit seruitiũ, sicut erat solitus ante triduũ. Tunc ego exultans & flens præ gaudio, gratias omnipotenti Deo tam pro me, quàm pro ipso refero, quòd 45 intercedente patrono incolumem me corpore, illum mente reddiderit, & unus excursus ex fide etiã alteri amenti, qui nec petere nouerat, salutẽ præstitisset. Sed nec hoc preteribo, quòd post dies quadraginta eodem die primo uinum delectatus sum bibere, cũ illud, faciente incõmodo, usque nunc exosum habuerim.

44 *Vide matutinũ unã ex horis canonicis.*

45 *Vides quod sanctis intercedentibus redduntur sanitates.*

Quòd uirtus eius ab agro nostro tempestatem prohibuit. Cap. 34.

Nos uerò reuertentes tres cereolos pro benedictione beati sepulchri

46 portauimus. De qua 46 cera q multæ uirtutes factę sunt super frigoreticis, & alijs infirmis longum est enarrare. Sed unũ è multis miraculum proferã. Agrum quendã possessionis nostrę grando annis singulis uastare consueuerat; & tam grauiter sæuiebat, ut nihil ibidem cũ uenisset relinqueret. Tunc ego in uineis illis arborem unã, quæ erat excelsior cæteris eligens, de sancta cera super eam posui. Post illam autẽ diem usq; in præsens tẽpus nunquã ibidem tẽpestas cecidit, sed ueniens, locũ illum tanquã timens præterijt.

Cera ex sancti sepulchro sumpta multas uirtutes operata est, grandinemq; amouit.

De ligno beati Cancelli. Cap. 35.

Fide cõmouente, quidã ex nostris lignũ uenerabile de cancello lectuli à monasterio sancti, me nesciente, detulerat, quod in hospitiolo suo pro saluatione retinebat. Sed credo quia nõ sic honorabatur, aut decorabatur, ut decuerat, cepit familia eius grauiter ægrotare. Et cum penitus nescire tur quid hoc esset, nec minueretur aliquid, sed quotidie augeretur deterius, uidit in uisu noctis personã terribilem dicentẽ sibi, Cur sic tecũ agi-
47 tur? Qui ait, Ignoro prorsus unde hoc euenerit. Dicit ei persona, lignũ, 47 quod de lectulo domini Martini tulisti, negligenter hic retines, ideo hæc incurristi. Sed uade nunc, & defer illud Gregorio diacono, & ipse secum retineat. At ille nihil moratus mihi exhibuit. Quod ego cũ summa ueneratione collectum, loco digno reposui. Et sic omnis familia in domo eius sanata est, ita ut nemo ibidem deinceps aliquid mali perferret.

Ecce quõ omnes res ad sanctos qualitercunq; pertinentes, uenerandæ sunt.

Quòd uirtus eius nobis inimicos inhibuit. Cap. 36.

Factũ est autẽ quodam tẽpore, ut uisitationis studio ad uenerabilem matrẽ meam in Burgundiam ambularẽ. Cum autẽ syluas illas, quæ trans Berberẽ fluuium sitę sunt, præterirẽ, latrones incurrimus. Qui circundan
48 tes nos, uolebant spoliare & interficere. Tunc ego ad auxilia consueta cõfugiens, sancti Martini 48 præsidium flagitabã. Quod mihi protinus dignanter assistens, ita eos conterruit, ut nihil contta nos agere possent. Sed uersa uice qui uenerant ut timerentur, timere ceperunt, & cursu uelocissimo fugere. Sed ego non ĩmemor Apostoli dicentis, Inimicos nostros potu ciboq; debere satiari, potũ eis offerri pręcipio. Qui nequaquã expectantes, quantũ poterant, fugiebant. Crederes eos fustibus agi, aut inuitos contra possibilitatẽ caballorũ suorũ currere cogi, & sic tribuente Domino, & iuuante patrono, quò dirigebamur, aduenimus. De quantis me tribulationibus & ærumnis eripuit; in quãtis mihi necessitatibus sua pietas astitit, uel quantas in me amaritudines sua uirtute cõpescuit, non dicam ad scribendum, sed etiam ad referendum, perlongum est.

Inuocatus D. Martinus præsidio suo cito affuit.

De dissintericis. Cap. 37.

49 Quid de dissintericis dicã, ubi tam uelociter inuenitur medela, q fideliter fuerit inquisita? Nam uidi mulierem à dissinteria per quinque menses laborantẽ, ita ut cũ necessitas cõmoueret, inter manus in loca necessaria transferretur, quæ simul & confortationem cibi, & uirtutẽ corpusculi superfluè digerendo perdiderat, me indice, ad basilicam 49 uigilasse.

Celebratis nocturnis uigilijs, & hausto puluere de sancti tumulo, mulier est reddita sanitati.

Reddito autē poſt nocturnas tenebras die, abraſo beati tumuli puluere, & remedium hauſiſſe,ſimul & poculum,eamq; domi proprijs greſſibus fuiſſe redditam,quæ ueniens ab alijs fuerat ſuſtentata.

De Energumenis,& frigoreticis. Cap. 38.

Quid ego de energumenis,uel frigoreticis referam,quibus ſi ueré fuerint parcitas & fides coniunctæ,mox adminiculante patrono,mente ſubmouentur inſidiæ? Sic multi ex frigoreticis,dum ui febris peſſimè quatiuntur, tota die inter altariū & ſanctū tumulum debachantes, ad ueſperum 50 hauſto ex beato ſepulchro puluere, continuò promeruerunt accipere ſanitatē. Nam Paulus Energuminus,qui legionē dęmoniorum dicebatur habere,inſiſtente inimico,machinam,quæ ſanctę camerę erat propinqua, conſcendens dixiſſe fertur, Parcatur uaſculo, quod exutus inhabito. Et exęſtuans & ꝑcipitans ſe deorſum,ita beati uirtute leuiter in pauimentū depoſitus eſt,ut nullū mēbroꝝ dānati corpuſculi collideret.

50 *Infirmi hauſto ex beato ſepulchro puluere,continuo ſanantur.*

De Leomeria cæca. Cap. 39.

Leomeria quædam cæca atq; contracta,longo tēpore miſerabiliter uiuens,dum iter per manus alioꝝ crebris occurſibus uerteret,quo ad baſilicam itur,tandē ab eius pietate reſpecta,iacens ad ſanctum oſtium,lumen pariter,greſſumq; recepit.O' ſi totū proderetur in publico,quod ſinguli quiq; dum fideliter poſcunt,latenter accipiunt,& retinet occultū multorum conſcientia,quod fideliter poſcendo clam quęſita ſanitas eſt adepta. Quod ſi hæc,ut diximus,cuncta publicarentur,nō ſolum libros,ſed nec ipſum mundū,ut ait Euāgeliſta de Domino,arbitror potuiſſe recipere.

De Securo contracto. Cap. 40.

Et quando ſermo clauſurā petit, unū uobis adhuc præclarū miraculū, priuſquā finē accipiat, enarrabo. Adoleſcens quidā nomine Securus, ex utero matris egrediens,manū aridā pedemq; protulerat, & ita omnium membroꝝ ſiccata cōpago diriguerat,ut monſtrū aliquod figuraret: Erat autē & iugo ſeruitutis innexus. Quē cū uiderent domini ſui iam ꝑ ſeptē annos nihil omnino proficere,manibus deportando poſuerunt eum ante ſepulchrū,ut uel à prætereuntibus paſceretur,qui labore proprio ali nō poterat. Iacente autē eo in loco per multos dies, directus eſt pes eius qui fuerat debilis,manuſq; eius ſicca,infectis ſanguine uenis,ſanata eſt,& ita omni corpore,accepta beati Cōfeſſoris ope, ſanatus eſt,ut putares denuo fuiſſe renatū. Qui puerulus à Iuſtino comite redēptus, & ingenuus dimiſſus eſt; & poſtea baptiſmū conſequutus, uſque hodie ſub patrocinio ſanctę Eccleſię perſiſtit incolumis. Quis unquā iſta ſic ex ordine inquirere,aut referre poterit,uel laudare ſufficiat? Tamen nos,quantū inueſtigare potuimus,ſcribere fideliter ſtuduimus, hanc ſperantes retributionem mercedis accipere,ut dum hæc leguntur in laudē ſanctiſſimi ſacerdotis, nobis fortaſſe tribuatur refrigerium pro delictis, dicente Poeta, Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Explicit liber primus.

Tomus tertius. Pars tertia.

INCIPIT PROLOGVS in Librum Secundum.

QVoniam perſcripſimus uirtutes ſancti Martini, quas uidimus, uel à fidelibus uiris de anteacto tempore reperire potuimus, ardentes ualde in hac ſiti, ne traderetur obliuioni, quod Dominus exercere dignatus eſt, in laudē Antiſtitis ſui, narrare etiam ea cupimus; quæ noſtro tēpore agi miramur, relinquentes non paruā materiam eloquentioribus, ſumentes autem magnalia uirtutum in noſtris operibus; ut quod peritia non dilatat in paginis, numeroſitas uirtutum extendat in cumulis.

INCIPIT LIBER SECVNDVS MIRAculorum ſancti Martini Epiſcopi.

Qualiter à febre & diſſinteria erutus ſum. Cap. 1.

ANno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt tranſitū beati Martini Antiſtitis, Sigisberto glorioſiſſimo Rege duodecimo anno regnante, poſt exceſſum ſancti Eufronij Epiſcopi, non meo merito, cū ſim conſcientia teterrimus, & peccatis obuolutus, ſed tribuente fideli Deo, qui uocat ea quæ non ſunt, tanquā ea quæ ſunt, onus Epiſcopale indignus accepi. Menſe autem ſecundo ordinationis meæ cū iſſem in urbē, incurri diſſinteriam cū febre ualida, & taliter agi cepi, ut īminente morte uiuere omnino deſperarē. Emittebantur autē aſſiduè digeſtionū officia, quæ accipere non poterant in expenſa, & erat horror cibi; cumq; ab inedia deficeret uirtus ſtomaci, febris tantū erat uirtus corporis; Nam nullatenus accedebat confortatio ſumptuoſa: Erat autem & dolor grauis totū aluum penetrans, & deſcendens ad ilia, non minus conſumens tortura ſua quàm febris exegerat. Cumq; ſic ageretur mecum, ut non remanſiſſet ſpes uitæ, ſed cuncta deportarē in funere, nec ualeret penitus medici anthidotum, quē mors mancipauerat ad perdendum, ego ipſe de me deſperans, uocaui Armentarium architarium, & dico ei, Omne ingenium artificij tui impendiſti, pigmentorum omnium uim probaſti, ſed nihil proficit. Perituro ex ſeculo unū reſtat quod facias, Magnā tibi thiriacā oſtendam, Puluerē de ſacratiſſimo Domini ſepulchro exhibe, & exinde inibi facito potionem; quod ſi hoc non ualuerit, amiſſa ſunt omnia euadendi præſtigia. Tunc miſſo diacono ad antedictum beati præſulis tumulum, de ſacroſancto puluere exhibuit, dılutumq; mihi porrigunt ad bibendum. Quo hauſto, mox omni dolore ſedato, ſanitatē recepi de tumulo. In quo tam præſens fuit beneficium, ut cum datum fuerit hora tertia, incolumis procederem ad conuiuium ipſa die hora ſexta. Viſum eſt & hoc inſerere lectioni, qualiter me Deus arguerit, ne ante me permitterem ſtultos & faciles, & beatis ſolemnibus obtrectarem. In craſtino autem poſtquā conualui,

51 *Hauſto ſacroſancto puluere, a febri & diſſenteria ſanatus eſt Gregorius.*

ualui, die Dominico ad missam ueniens, nolensq; me fatigare, uni presbyterorum gloriosa solennia celebrare præcepi. Sed cũ presbyter ille nescio quæ rusticè festiua uerba depromeret, multi eũ de nostris increpare ceperunt, dicentes, Melius fuisset tacere, q̃ sic incultè loqui. Nocte autem insequuta, uidi uirum dicentē mihi, de mysterijs Dei nequaquã disputandum. Testor enim quia hoc à me non est cõpositum: sed ipsa uerba quæ audiui, uobis exposui. Vnde dilectissimi nullus de hoc mysterio, etiam si rusticè uideatur dici, disputare p̨sumat, quia apud Dei maiestatem magis simplicitas pura, q̃ philosophorum ualet argutia.

De infirmitate Iustini. Cap. 2.

Gratũ arbitratus sum & illud non omittere, quod mihi in libro anteriore excidit, cũ retulerim de cereolis illis, quos de sepulchro beati Antistitis sustuli, à quibus & tẽpestates sedatas, & alias infirmitates prohibitas dixi. Hos cũ mecum detinerẽ, Iustinus uir sororis meæ in ualetudinem irruit, & inualescente febre cum doloribus membrorum omnium, ualde ad extremũ agi cepit. Nuncius hæc ad me delatus retulit, efflagitans ut si quid medicamenti reperire possem, morituro transmitterem, ne obiret. At ego in uirtute beati Antistitis confisus, unum ex cereolis transmitto per puerum dicens, Accendite illum corã eo, & in contemplatione luminis orationem fundat, ad Dominum, & deprecetur 52 omnipotentiam Antistitis, ut ei succurrat. Missus autem puer quod dederam deportauit. Quo accenso ante lectum ægroti, fauillam scirpi, quē iam ignis consumpserat, cultro eradunt, dilutumq; aqua ægro porrigunt ad bibendum. At ille ut hausit, 53 sanitatē protinus recepit, incolumisq; redditus est nobis. Postea qualiter sibi uirtus beati Antistitis subuenit, exposuit. Nam referre erat solitus, quod ubi primũ oculis eius iubar luminis progressum à cereo pepulit tenebras noctis, protinus in contẽplatione flammæ febris recessit à corpore, ac stomacus qui diu langueral inedia, cibum cõsolationis efflagitat, & qui tantum aquã puram ad restinguendum febris ardorem haurire consueuerat, nunc uinum desiderat. Facit hæc uirtus Antistitis, quæ 54 sæpe miseris opem proflua miseratione tribuit, & infirmis medicamenta largitur.

52 Pie lege omnipotentiam Antistitis, nam solus Deus est omnipotens. Sed quod uidetur Martinus quasi omnia posse, in uirtute omnipotentis Dei potest, qui illum tãta gratia prosequitur.

53 Mirum dictu quod emunctione scirpi cereoli ebibita, infirmus sanatus est.

54 Sanctus uir Antistiti uirtuti tribuit infirmorum sanitates & medicamenta, sed hæretici obdurati hoc negant.

De Maurusa Cyragrica. Cap. 3.

Vereor ne nimium progredi præsumens, obsoleat paginã sermo rusticior. Maurusam quandam grauiter cyragricus corporis dolor affecerat, ita ut retortis ad crura pedibus, nullatenus se erigere posset. Erat enim & oculorũ luce mutata, quæ longo tẽpore grauiter agens, tanquã mortua putabatur superstes, nec erat ei spes alimoniæ, nisi aliquis ei manũ misericordiæ porrexisset. Quotidie autẽ respectum intuens deuotorum, uictus necessaria poscebat. Factum est autẽ ut quo tempore extra solitum grauius ageret, nec poterat quoquã modo iuuari mẽbrorũ officio, nisi quod tantũ in pectore flatus spiraminis decurrebat. Quæ iam ualde examinis rogauit, ut eam ad pedes sancti Martini deferrent. Ad quē locum cũ ma-

55 *Confugiens cyragrica mulier ad sancti auxilium, ante sepulchrum eius orans sanata est.*

nibus fidelium fuisset illata, dolore cogente, 55 uociferans beati uiri auxilium, ut sibi misereretur orabat. Tandem pietas illam respiciens, quæ pauperes dimittere nunquã cõsueuit inanes, in festiuitate sua laxata sunt fila neruorum arentium, & sic de dextera, quã per sex annos non leuauerat, signũ beatæ Crucis in os faciens, in pedibus restituta est, ita ut ad hospitiolum suũ nullius usa adiutorio remearet, oculorum lumine non recepto. Post annos autẽ duos iterum ueniens ad beati patroni tumulum, cepit attentius, sicut erat opportunum, orare; mox apertis oculis, in rediuiua luce surrexit. Hanc uirtutem ideo hic scripsimus, quia postquã huc aduenimus, illuminata est. Nam antea à debilitate sanata fuerat.

De seruo Simonis presbyteri. Cap. 4.

Simonis fidelissimi cõpresbyteri nostri seruus Veranus nomine, qui erat in cõmissis promptuarijs prælibatus, dum ad custodiam sibi depositam resideret, superueniente humore podagrico, pedum gressu mulctabatur, Qui cũ per totum annũ talibus doloribus uexaretur, ut etiam uicina in proximo posita cõmoueret, contractis subito neruis, ad plenũ debilitatur. Quod uidens Dominus eius, dolens exitium fidelis uernaculi, iussit eũ ad pedes beati Antistitis deportari, promittens uotũ, & dicens,

56 *Huiusmodi uota subsannant moderni hæretici, quasi paciscamur cum Deo & sanctis eius. Et tamen uides quantũ placeant Deo, ut illis emissis, intercessione sanctorũ concedantur petita.*

Si eum reddideris sanitati, pijssime 56 Domine Martine, in illo die absolutus à mei seruitij uinculo, incisis capillis tuo seruitio delegetur. Positus ergo ad pedes pretiosissimi Domini, cũ per quinque dies ibidem iaceret ĩmobilis, sexta die sopore cõprimitur, & obdormienti uisum est sibi quasi in lectulo suo solito pedes extẽdere. Expergefactus autẽ sanus ab omni debilitate surrexit. Qui tonsurato capite, & accepta libertate, ibidẽ Domini usibus deseruiuit. O admirabilem beati uiri redemptionem. Quis unquã de mille talentis sic redimet, sicut præsens nostroꝝ criminũ suffragator, qui uno ictu unoq; momento, sine nummismate auri, & corpus à debilitate, & conditionem soluit ab onere.

De Paralytico Antisiodorensi. Cap. 5.

57 *Oratione iugi ac ieiunio ante sancti sepulchrũ, paralyticus eius uirtute sanatus est.*

Quidam ex Antisiodorensi oppido Manlulfus nomine, deferentium manibus ad beati Martini 57 sepulchrũ iactatus est. Qui iugi oratione & ieiunio incumbens, pedes quos intortos exhibuit, reddita subitò sanitate, retulit in usu consueto directos, & ita sancti uirtute reformatus est, ut qui aliorum manibus deportatus est, proprijs firmatus uestigijs, præsentibus nobis consurgeret sospes.

De paralytico Aurelianensi. Cap. 6.

58 *Ecce sancti inuocatio, & auxilium subsequutum.*

Alius autem paraliticus ex Aurelianensi territorio carruca deuectus, uenit ad sanctam basilicã, qui diebus multis iacens ad ostium illud, quod secus baptisterium ad medium diem pandit egressum, beati 58 Antistitis implorabat auxilium. Factum est autẽ ut una die iacens grauius extra solitum torqueretur, ita ut uicini de proximo ad eius uoces cõcurrerent. Dissoluebantur autem ligaturæ neruoꝝ eius, & dirigebantur, propterea erat dolor intolerabilis, & sic tribuẽte patrono, erectus super plantas, flens

præ gaudio, populo teste surrexit. Qui continuò clericus factus, & in sospitate firmatus, ad domum egressus est.

De paralytico ex Biturigo. Cap. 7.

Sed & alius gressu debilis, nomine Leubouius, iam clericus, adueniens, sed per terram se trahens, quia paupertate faciente nō habebat qui eum ferret, de die in diem beati Martini limina requirebat. Qui dum quadā die à foris ad sancti pedes fleret, directis genibus atque pedibus, spectante populo sanitatem recepit. Tres uirtutes istas ipsa die factas fuisse cōstat, quo Sigisbertus gloriosissimus Rex Secanā transiens, sine collisione exercitus pacem cū fratribus fecit. Quod nullus ambigat, hanc tertiam beati Antistitis fuisse uictoriam.

De cæco illuminato. Cap. 8.

Eo quoq; tempore cæcus quidam ab eleemosynarijs postulans, cui nō erat aliud in uictu, nisi aliquis ei manum porrexisset pietatis intuitu, nec erat domi præsidium, nisi miseratio deuotorū, die una dum ante sanctum sepulchrū fixis staret 59 uestigijs, subito corripuit eū dolor in oculis. Et cū grauiter ab hoc dolore consumeretur, ceperunt eius oculi spumā emittere. Et sic erumpente à palpebris sanguine, in rediuiuā lucem renascens, lumen, quod olim perdiderat, uidere promeruit.

59 *Ante sancti sepulchrū fixis uestigijs cæcus lumen recepit.*

De alia cæca. Cap. 9.

Gundetrudis quædam de Vicomadensi territorio, oculorū lumen perdiderat; Quæ relinquens domū & patriam, fide cōmonente, uenit ad sanctam basilicā, ibiq; diebus multis deseruiens, unius oculi meruit recipere uisum. Quæ mox oblita uirum & filios, uesteq; mutata, ad religionem Ecclesiasticam, Domino inspirante, transiuit.

De muliere à profluuio sanguinis liberata. Cap. 10.

Sed nec hoc silebo, qualiter, uelut ex ueste Redemptoris nostri, ad beatum sepulchrū fluxus sanguinis sit siccatus. Mulier quædā ex Aruerno ueniens cū uiro suo de pago Transiliensi, profluxu sanguinis ægrotabat, secus autem atrium basilicæ mansionem habebat. Quæ diebus singulis ad sancti confessoris limina iacens prostrata, opem sanitatis poscebat. Factum est autem ut quadam die accedens ad sanctum sepulchrum orans, & osculans, de 60 palla, quæ super est posita, aures & oculos sibi tangeret. Protinus siccato riuo sanguinis, ita sanata est, ut putaret se Redemptoris fimbriam contigisse. Cuius uir in ualetudinē ruens, ad ostium basilicæ manibus depositus aliorum, fideliter exorans, restricta febre, conualuit. Et sic pariter hic ab incommodo; hæc à profluuio sanata, magnificantes Deum ad propriam domum regressi sunt.

60 *Vide rem mirabilem tacta palla quæ est super sancti tumulum, mulier à profluuio sanguinis sanata est.*

De muliere clauda. Cap. 11.

Coniunx Aniani Tribuni, nomine Vnimola, nocte conterrita à pauore, usum unius pedis perdiderat, & ita in debilitatē corruerat, ut aliorū manibus sustentaretur euecta, si quò proposuisset accedere. Quę ad beati Martini pedes deposita, 61 nocte tota cereum manu pro uoto deti-

61 *Nota, deposita ad Martini pedes, & tota nocte cereum manu pro uoto tenens, Epo in Ecclesia uigilante, in pede sanata est.*

nuit, nobis in basilica uigilantibus. Mane autem facto, moto matutinis signo, super pedem debilem constitit, ita ut omni debilitate sedata, ad metatum suum proprijs gressibus, nullo sustentante liberè remearet.

De dissinterico sanato. Cap. 12.

Quodam autē tempore cū beatus Germanus Parisiacæ urbis Pontifex, ad 62 festiuitatē Antistitis gloriosi accederet, Regiamundus tunc diaconus, nunc Episcopus, in seruitium eius accessit, grauiter a dissinteria laborans. Sed beatus Germanus prius ad urbem Ecclesiæ suæ, quę in hoc territorio sita est, uenit. Igitur cū ante noctem uigiliarum solēnitatis eius Turonum aduenire cepisset, diaconem in urbe residere iubet, dicens, Ne forte fatigeris eundo, & aliquid tibi deterius contingat. At ille, Potestas, inquit, Dei est, quæ nos iubeat iuxta meritum pati: Nam ego non exeo aliter, nisi ad basilicam Antistitis eam: confido enim, quòd si tumulum eius adiero, saluus ero; Et statim ascenso equo, ad basilicam uenit. Mane autem 63 accepta potione de puluere sepulchri, sedata protinus infirmitate, conualuit.

62 *Vide festiuitatē sancti Martini, & noctē uigiliarum eius.*

63 *Accepta potione de puluere sepulchri, liberatus est diaconus a morbo dissenteriæ.*

De cęco illuminato. Cap. 13.

Vrsulfus autem quidam ex Turonica ciuitate de pago trans Ligerim, cęcus beati Martini suffragia expetijt. Qui duobus assiduè mensibus ad eius templum deseruiens, 64 in ieiunijs, orationibusq; perdurabat. Factum est autem in una Resurrectionis dominicæ die, dum esset ad pedes Domini, & cū reliquo populo missarum solennia spectaret, subitò apertis oculis cuncta clare cernere cepit, ita ut ad sanctum altare cōmunicandi gratia, nullo ducente, ueniret. Quæ autem fuerit causa cęcitatis, dicam. Primo die Pasche iussus est à Domino suo, ut agros circuiret, inuētumq; aditum, unde pecora introibant, obseraret. Dum eum 65 claudere conatur, ut diximus, excęcatus est. Tunc ad sepulchrū ueniens, & eiulans, uisum, quem perdiderat, flagitabat. Die autē illa dum populo gratia Dominici corporis traderetur, & beatus Antistes lumen reddere dignatus est, ac elucente sole luminum suorum refulserunt stellæ. Quis unquam, rogo, talis medicus poterit inueniri, qui in una infirmitate duas contulerit medicinas? Ecce in uno cæco duas uirtutes operatus est, nam & corporales oculos ad contemplanda terrena aperuit, & cordis oculos ut ea non concupiscat illuminauit, & ad suum dignatus est dicare seruitium. Quē (ut ita dicam) renasci denuo fecit in mundo.

64 *Cæcus deseruiens in templo beati Martini duobus mensibus, & in ieiunijs orationibusq; pdurans in una dominicæ resurrectionis die illuminatus est.*

65 *Disce huius exemplo in sanctis solennitatibus non exercere opera manualia.*

De puella paralitica. Cap. 14.

Sed neque hoc reticebo, quod in sua festiuitate operatus sit hic patronus. Palatina quædam paralisis humore percussa, usum gressuū perdiderat, ita ut cōtractis in poplitibus neruis, calcaneos ad crura coniungeret. Quā pater Turonū deferens, ante pedes beati Martini deuotus exposuit, ibiq; tribus mēsibus iacens, stipem à pretereuntibus postulabat. Factū est autē, ut in die insignis 66 solēnitatis beati uiri, illa, nobis missas dicētibus ī loco,

66 *In die insignis solennitatis beati uiri.*

quem

quem superius nominauimus, fideliter exoraret. Cumq; nos ritè sacrosancta solennia celebrando contestationem de sancti Domini uirtutibus narraremus, subitò illa uociferare cepit, & flere, indicans se torqueri. At ubi expedita contestatione, omnis populus sanctus in laudē Domini proclamat, statim dissoluti sunt nerui, qui ligati erant, & stetit super pedes suos, cuncto populo spectante: Et propiciante Domino, usque ad altare sanctum ad cōmunicandum proprijs gressibus nullo sustentante peruenit. Quæ usque hodie incolumis perseuerat.

De cæco illuminato. Cap. 15.

Merobandus quidam ex pago Pictauensi dum esset laborans in opere, cęcitate pessima, insidiatore īminente, percussus est. Qui cū sex annos in hac infirmitate duraret, uenit ad sanctum tēplum beati Martini, ibiq; 67
assiduè orationi incumbens, in crastina die dum in 67 festiuitate beati Martini staret, subito uisum est ei, circa se tanꝗ corusacationē splendere, & statim apertis oculis, cuncta perspexit. Qui continuo clericus factus in eodem loco, sanus abscessit.

Aliud miraculum in festiuitate Sancti gestum.

De his quæ nauta retulit. Cap. 16.

Fuit & illud insigne miraculum, cū Dominus in die Epiphaniorum obtentu Antistitis Falernū produxit, ac de aluei fundo uinū elicuit pauperi, qui quondā latices in uina mutauit. Igitur cū quodā tēpore iter ageremus in pago Beluacensi, ad Ligerim usq; fluuiū peruenimus. Cumq; à nauta, qui nos ripæ alteri transponere debebat, solicitè requireremus loca, in quæ piscaturi procederemus, locum indicat dicens, sit uobis beatus Martinus in adiutoriū. At nostri ingratè susceperunt dicentes, ꝙ in eius nomine nunquam uisa est euenisse captura. Ille autē, Haud dubium sit, quia præstat hoc uirtus eius. Nam referā, inquit, uobis qd mihi hoc anno cōtigerit, uel qualiter per inuocationē nominis eius, opitulante Domino, quod optaui promerui. Deniq; dies erat Epiphaniorum, & ingressus in promptuario nihil inueni, quod haurire potuerim, egressusq; oraui di- 68
cens, Sanctissime Martine, transmitte mihi in hac sacra 68 solennitate aliquid uini, ne epulantibus alijs, ego ieiunus remaneam. Dum autē hæc orarē, uocem in altera ripa audio me uocantē, ut nauim homini, qui iter agebat, adducerem. Verū ubi acceptis contis, eò uersus impetū fluminis sulcare cepi, & ut in medio amne perueni, subito excussus magnus ex gurgite piscis in naui cecidit; quo confestim oppresso, transpositis hominibus, domū regressus sum, uenditoq; pisce uno uini modio, cum cæteris 69
sum refectus. Ergo noueritis ꝙ uelociter in illud, quod 69 inuocatus fuerit, si petatur fideliter, apparebit. Testor autem Deum, quia hæc ab ipsius nautæ ore cognoui.

Sacra Epiphaniorum solennitas.

Martinus inuocatus si fideliter petatur, uelociter adest.

De Guntrano duce. Cap. 17.

Quodam die dum Guntranus Boso contra uicū Ambianensem Ligerim fluuium transmearet, ac irruentibus tenebris mundū nox horribilis

retineret, subito aduersante uento nautæ turbantur in pelago, separatisq; nauibus, quæ pontẽ illum sustinebant, & aqua usque ad summã repletis, descendunt cuncti usque ad cingulum cũ ipsis nauibus in profundum, ne quaquã tamen nauibus subductis à pedibus. Exterritisq; omnibus, Boso non raucè uociferans Beati Martini 70 auxilium implorabat, & ut eis ad liberandũ festinus occurreret, precabatur dicens fidenter suis, Nolite timere, scio enim q dextera sancti uiri ad auxilium porrigendum maximè in necessitatibus sit parata. Hęc eo dicente, directis ab eo nauibus, mutatoq; uento contrario in secundũ, nullo pereunte, peruenit in littus, ubi tam præsens occurrit beati Confessoris suffragium, ut etiam argentum quod rapiente fluuio perdiderant, denuo fluuio in littus restituente, reciperent.

70 *Ecce dicti ueritatem, nam fidenter inuocatus à Duce in tanto periculo, statim illi suũ præbuit auxilium.*

De Laudulpho Lunatico. Cap. 18.

Quidam ex Vianensi territorio Laudulphus nomine, grauiter à Lunatici dæmonis infestatione uexabatur, ita ut plerunque ab hoste se uallari putans in terrã corrueret, cruentasq; ex ore spumas emittens, tanquã mortuus habebatur. Quod genus morbi Epilenticũ peritorũ medicorũ uocitabat auctoritas. Rustici uerò caducũ dixere, eo quod caderet. Cunq; se antedictus in hoc exitu uideret affligi, audita beati præsulis fama, sanctam eius adijt basilicam, ut sibi præsentia cunctis suffragia subuenirent. Sed cũ eodẽ in loco plenus fide uenisset, ardentius eũ sęuitia, & dęmonis pulsat audacia; nec ei licebat atrium egredi propter publicã dæmonum infestationem: in atrio tamen nihil nocebatur. Nam uisibiliter cũ magno armorũ strepitu uenientes, conabantur eũ cassis telorũ acuminibus perfodere. Quòd si se subderet terræ, ranarũ super eũ multitudo horribilis desilire uidebatur: sed & uoces publicè ab eo audiebantur exprobrantiũ, & dicentium, Martinus quẽ expetisti, nihil poterit tibi subuenire, quia nostris es ditionibus mancipatus. Sed ille ad hæc fidenter & ĩmobilis 71 signũ Crucis opponens, terribiliter eos per aëra effugabat. Post has autẽ uacuas, & inanes emissiones, cũ uideret inimicus eum sibi uendicare non posse, dolis eũ tentauit illudere. Cõponens nanq; se in specie ueterani uenit ad eũ, dicens, Ego sum Martinus, quẽ inuocas, Surge, & adora coram me, si uis recipere sanitatẽ. Cui ait ille, Si tu es dominus Martinus, fac super me signũ Crucis, & credã. At ille audito 72 nomine signi sibi semper contrarij, tanquã fumus euanuit. Post hæc autẽ stans ad pedes gloriosi Domini, factus est in stupore mentis, & uidit beatã basilicã nouo lumine effulgere. Ex qua egrediens sanctus dixit ad eum. Exaudita est oratio tua, & ecce eris sanus ab infirmitate quã pateris. Postea beatę Crucis 73 signaculũ super caput eius faciens abscessit. Ille uerò in se reuersus, amotis omnibus insidijs, salutẽ se sensit integrã recepisse. Tamen post receptã sanitatẽ cũ cepisset uino uti superfluè, corpusq; diu absente imbre aluisset, latus ei cũ uno pede manuq; contrahitur. Sed parsimoniæ iterum stu-

71 *Lunaticus dæmonibus signum Crucis fidenter opponens, terribiliter eos per aera effugabat.*

72 *O miram Crucis uirtutem. Audito Dæmõ nomine signi sibi semper contrarij, tanquã fumus euanuit.*

73 *Signaculo Crucis facto per sanctum super caput eius, restitutus est sanitati.*

dens, caputq; tonsurans, rursum beati uirtute redditur sanitati.

De Theodomere diacono. Cap. 19.

Dum singula quoque miracula beati uiri succinctè scribimus, nec ea in ampliori sermone expandimus, uerendo ualde, atque timendo iter carpimus inchoatũ, ne forte dicatur à prudentioribus, Multum hoc poterat peritius extendi. Sed nobis in ecclesiastico dogmate uersantibus uidetur, ut historia, quæ ad ædificationẽ Ecclesiæ pertinet, postposita uerbositate, breui atque simplici sermone texatur, ut & uirtutẽ beati Antistitis probat, & sapientibus fastidium non imponat. Quo facto & lector prouocetur in lectione, & sanctus probetur in opere. Theodomeris diaconus cũ præ humore capitis, decidentibus catharactis, oculorũ aditus haberet per quatuor annos grauiter obseratos, uenit ad cellulam Condatẽsem, in qua uir beatus transijt. 74 Prostratusq; ad eius lectulum, nocte tota lachrymis & orationibus deducta, ĩmobilis madefecit terram fletibus, tepuitq; suspirijs eius uenerabile lignũ cancelli. Lucescente autẽ die, reseratis catharactis. Luminũ, lumen uidere promeruit. Quid unquã tale fecere cũ ferramentis medici, cũ plus doloris negocium exercuerint ꝙ medelæ, cũ distento transfixoq; spiculis oculo, prius mortis tormenta figurant, q̃ lumen aperiant? In quo si cautela fefellerit, æternam misero præparat cęcitatem. Huic autem beato Confessori uoluntas ferramentum est, & sola uirtus unguentum.

74 *Cæcus ex catharactis factus, prostratus in cellula ubi sanctus obijt, tota nocte suspirans, flens & orans, lumen recepit.*

De Desiderio Energumino. Cap. 20.

In qua cellula cum Desiderius Energuminus ex Auerno ueniens, nocte integra debacchasset, mane facto, cepit declamare, Quòd eũ beatus Martinus 75 incẽderet. In his uocibus euomens uirulentũ nescio quid cũ sanguine, dæmone eiecto purgatus est. Infectumq; sanie puluerẽ derelinquens, cellulam egressus est sanus.

75 *Ecce quomodo dæmõ in energumino se fatetur a sancto incendi, & in eius cellula ab obsesso exire compellitur.*

De homine manum contractam habente. Cap. 21.

Quidam in eodẽ loco manũ debilem contractis digitis detulit, ita ut ungues in palma eius defixi, decurrente interdum sanguine, dolorem ei nimium generarent. Hic proijciens se ad antedictum gloriosi Domini tumulum, flens & deprecans, tam dolore instigante, ꝙ fide, postera die directis digitis, manum recepit incolumem.

De Remigia matrona. Cap. 22.

Similem infirmitatẽ Remigia matrona incurrens, ad beatã cellulam ualde deuota peruenit. Quæ 76 uigilijs & orationibus insistens, cũ matriculam, quæ ibidem congregata est, pasceret, aridum brachium cũ contractis digitis sanũ extulit ad miscendũ. Et sic tota die benedictis pauperibus deseruiens, sospes remeauit ad propria. Hæc in posterũ annis singulis antedictis fratribus alimentũ sufficiens exhibebat. Factum est autem ut quadam uice una puellarũ suarũ male à quartani tipi febre quateretur. Dum autẽ secundũ consuetudinẽ ueniens pauperibus illis exhibet uictũ

76 *Vigilijs & orationibus insistens, apud sãcti cellulã sanata est, sic & puella infra.*

ſancti uiri implorat auxilium; & per quatuor dies ad beatã cellulam continuè orationi atque ieiunijs decubans, ab omni febre ſanata puella, cũ familia magnificans Deum domum regreſſa eſt.

De Viuaſto cęco. Cap. 23.

Talia exercens quidam Viuaſtus nomine, lumẽ recepit, dum ſcilicet pauperibus illis uictus neceſſaria miniſtrauit. Hic autẽ cęcitate maxima per annos plurimos aggrauatus, habebat in conſuetudine, ut ueniens de regione ſua ad antedictam ſancti cellulam, pauperibus illis ampliſſimum alimentũ exhiberet, uigilijsq; deuotiſſimè celebratis, eos in ſacietate reficeret; quibus ipſe iuxta poſſibilitatẽ tanquã famulus ſeruiebat. Dum igitur hæc per multos, ut diximus, annos impenderet, quadã uice impleto uoto, ſeruitioq; ſimul, proſternitur ad cancellum ſancti lectuli, orans, & ualedicens regredi cupiebat. Poſt cõpletam autem orationem exurgens, apertis parumper oculis, intuetur cortinã ſericam de Cancello pendere, & ait, Video tanquã pallium ſericũ hic appenſum. Cui aiunt ſui, Veritatem te uidere cognoſcimus. Ipſe autẽ cepit iterũ flere, atque orare, ut beatus Confeſſor opus ceptum dignanter expleret. Qui dum orat attentius, obdormiuit, apparuitq; ei uir per uiſum dicens, Vade ad baſilicã domini Martini, & ibi plenã obtinebis ſanitatẽ. Qui nihil moratus, famulorũ manibus deductus, 77 ut limina beati confeſſoris attigit, lumen integrum opitulante fide, recepit.

77 *Vt limen beati Confeſſoris attigit, lumen integrum recepit. Vides ſi placent Deo peregrinationes ad loca ſanctas*

De homine omnibus membris contracto. Cap. 24.

In Biturico quoq; fuit quædam mulier, quæ concipiens peperit filiũ, cuius poplites ad ſtomachũ, calcanei ad crura contracti erant; manus uerò eius erant adherentes pectori, ſed & oculi clauſi erant. Qui magis mõſtrum aliquod, q̃ hominis ſpeciem ſimilabat. Qui cũ non ſine deriſione multorũ aſpiceretur, & mater argueretur, cur talis ex illa proceſſerit filius, confitebatur cũ lachrymis, nocte illum Dominica generatũ. Quem interimere non audens, ut monſtratũ eſt, tanquã ſanũ puerũ nutriebat. Adultum uerò tradidit mendicis, qui eũ accipientes poſuerunt in carrucam, & trahentes oſtendebant populis, multa per eũ ſtipendia accipientes. Dum hæc per longa tempora gererentur, anno ætatis ſuę undecimo, uenit ad feſtiuitatẽ beati Martini, proiectusq; à foris ante ſepulchrũ miſerabiliter decubabat. Tranſacta autẽ feſtiuitate, uiſum auditumq; recepit. Inde reductus ad ſolitã conſuetudinẽ, poſtulabat ſtipẽ. Poſt annum ferè aut eò amplius, uenit iterũ ad ſolennitatẽ, poſitusq; eſt in loco, quo prius iacuerat, decurſisq; ſolennibus feſtis, directis omnibus membris, pleniſſimã obtinuit ſanitatẽ. Quæ ne incredibilia fortaſſe uideantur, ego eum ſoſpitem uidi; nec audita ab aliquo, ſed ab eius ore narrata cognoui. Sed q̃a dixi, parentibus eius hoc ob peccatũ eueniſſe per uiolationem noctis Dominicæ, cauete, ô uiri, quibus ſunt iuncta coniugia; ſatis eſt alijs diebus uoluptati operã dare; hanc 78 autẽ diem in laudibus Dei impolluti dedu-

78 *Notent coniuges abſtinere ſe a uoluptate in die Dominico.*

cite, quia qui in ea coniuges simul conuenerint, exinde aut contracti, aut epilentici, aut leprosi filij nascuntur; sitq; hoc qđ diximus, documentũ, ne malũ quod una nocte cõmittitur, in multorum spacia annorum perferatur.

De paralytico sanato. Cap. 25.

Illud præ cæteris admirandũ miraculum nobis orantibus, explicabo, quod post immensum mœroris cumulum, magnũ nobis gaudium patefecit, dũ & uirtutes beati protulit, & quod titubabat, erexit, cordaq; nutantia populorũ, larga stabilitatis firmitate muniuit. Nã cum in uenerabili dominicæ Natiuitatis 79 nocte sacrosanctis deducta excubijs procedentes de Ecclesia, ad basilicam sancti ire disponeremus, quidam ex energuminis atrocior cæteris, cepit nimiũ debachari, & decerpens se, atq; collidens clamabat, frustra appetitis limina Martini, casso eius ædem aditis, quia uos propter multa crimina dereliquit, & ecce uos abhorrens, Romæ mirabilia facit. Ibi cæcorũ oculis lumen infundit; ibi paralyticorum gressus dirigit, sed & alijs quoq; morbis sua uirtute finẽ imponit. Ad hãc diaboli uocẽ omnis populus exturbatur, & non solum obruta membrorum minorũ corda, sed etiam nosipsi pauore concutimur. Ingredientibus autẽ nobis cũ fletu magno basilicã, omnes pauimento 80 prosternimur orantes, ut sancti uiri præsentiam mereamur. Et ecce Bonulphus nomine, cui ante tres annos præ nimia multitudine febris, manus ambæ cũ uno pede contractæ erant, & ad festiuitatẽ beati uiri manibus directis, pede adhuc debili claudicabat, ante sanctũ altare sternitur, orans ut qui sibi manus aridas restituerat, pedẽ quoq; contractũ simili uirtute dirigeret. In hac autẽ oratione a febre nimia circundatur, & tanq̃ extensus in eculeum, neruorũ dolore torquetur. Interea de supplici dolor excitat contumacem, & qui uenerat inquirere medicinã, cepit inferre calumniam. Aiebat enim, O' Domine Martine, sanitatẽ à te, non tormenta quæsiui. Quã si non mereor, uel doloribus non affligar. Cunq; nos cũ fletibus circunstantes beati præstolamur aduentũ, & inter hæc dũ sancta solennia agerentur, oblatis super altare 81 sacris muneribus, mysterioq; corporis & sanguinis Christi palla ex more cooperto, molliuntur contracturæ neruorũ, & dirupto post infirmi poplitis corio, defluente sanguinis riuo, pedẽ extendit incolumẽ. Quod uidens ego omnipotenti gratias egi, liminaq; fletibus madefaciens, in hac ad populũ uoce prorupi, Timor à cordibus uestris omnis abscedat, quia beatus confessor nobiscum inhabitat, nec omnino credite diabolo, qui nihil unquã protulit uerũ. Ille ab initio mendax est, & in ueritate non stetit. Me autẽ ista dicente, omniũ luctus laxatur in gaudium. Ipse etiam infirmus corã nobis assurgens, in pedes constitit absolutus. Videns autẽ hæc omnis populus in cœlum clamore prolato, plaudebat dicens, Gloria in excelsis Deo, qui sicut quondam pastores Angelorum lumine, ita nos hodie præsentia confessoris beati clarificauit, & eum nobis adesse præsenti uirtute monstrauit. Et sic à timore inimici omnes erepti Christi præsidio roborati sunt.

79 *Venerabili dominicæ Natiuitatis nocte sacrosanctis deducta excubijs.*

80 *Omnes pauimento prosternimur orantes.*

81 *Oblatis super altare sacris muneribus, mysterioq; corporis et sanguinis Christi, palla ex more cooperto. Ecce sacram Eucharistiã appellari mysterium corporis, & sanguinis Christi.*

De Paulo muto. Cap. 26.

Nec dissimili uirtute per ipsum Epiphaniorũ diem uir beatus apparuit, cũ os muti cuiusdam obstrusum corã populo reserauit. Paulus quidam Condatensis clericus, à natiuitate procedens manus clausas laborioso mundo protulit, in usu laboris iners. Et hoc cur acciderit, utrũ hic aut parentes eius peccauerint, ut sic mancus nasceretur, non est nostrę discretionis absoluere. Vnum tantũ scimus, quod in eo sicut & in reliquis infirmis est ostensa gratia Saluatoris. Nam cũ factus esset decẽ annorũ, accrescentibusq; unguibus graues dolores manuũ pateretur, eosdemq; ferre non toleraret, limina beati Confessoris adiuit. Ibiq; diebus multis cũ summa parsimonia demoratus, digitos directos, manusq; retulit sanas. Post annos autẽ ferè quinq; pessimũ incurrit incõmodum, & dum ui nimiæ febris atteritur, uocis eloquutione mulctatur. Ereptusq; à febre sine loquelæ officio permanebat. Sed taliter fuerat aditus oris eius obstructus, ut nec qualitercunq; mugitũ posset emittere; sed annectens cũ corrigia tres tabulas, manu ferebat easdem inter se collidens, sonumq; quẽ ab ore non dabat, tabulis proferebat. Hoc opus uinitoribus utile est, cũ uineas ab infestantium auium cateruis defensare conantur. Cũ autẽ uenisset antedictus ad sancti basilicã in ea nocte, in qua Dominus noster Iesus Christus fluenta laticũ hauriens falerna perrexit, ad beati pedes uigilare dispo suit. Transacto autẽ tempore mediæ noctis obdormiuit. Qui cũ nescio quid per uisum periculi cerneret, pauore conterritus in hanc uocem primum obseratũ aperuit os, Domine Martine, .A. libera me. Et sic erũpens ab ore & faucibus eius sanguis, auditũ pariter, & eloquium recepit.

.A. Ecce quõ sanctũ inuocat, & statim auditũ pariter & eloquium recepit.

De muliere paralitica. Cap. 27.

Cum uerò interempto Sigiberto Rege, Chilpericus Regnũ, exẽptus ab ĩminenti morte, cepisset, Ruceolenus cũ Cinnomanicis grauiter ciuitatẽ Turonensem opprimebat, ita ut cuncta deuastans, nullam spem alimoniæ in domos Ecclesiæ, uel pauperum hospitiola relinqueret. Postera autẽ die legatos ad ciuitatẽ mittit, ut homines, qui propter culpã minime nobis incognitam ad sancti basilicã residebant, extraherentur à clericis: Quod si differretur fieri, uniuersa promittit incendio cõcremari. Et nos hæc audientes, mœsti ualde basilicã sanctam adimus, & beati 82 auxilia flagitamus. Statimq; paralitica, quæ per duodecim annos fuerat contracta, dirigitur. Ipse uerò Ruceolenus ulteriorem ripam aggressus, morbo confestim regio sauciatur, atq; ab infirmitatibus herodianis, quæ enarrare longũ uidetur, allisus, & sicut cera à facie ignis guttatim defluens, quinquagesima die ab hydrope conflatus interijt.

82 Ecce & hic sancti inuocatio, & post eam dei auxilium. Bonum ergo est sanctos inuocare.

De muliere cæca. Cap. 28.

Sed nec hoc silebo, quod illo tẽpore alueus fluuij nutu Dei uel uirtute beati uiri absque pluuiarũ inundationibus repletus, hostem, ne ciuitatem læderet, transire prohibuit. In die autem illa recurrentis 83 solennitatis, qua Dominus pro salute mundi propensius, cõfuso proditore discipulo,

83 Dies cœnæ dominicæ solennis & festiuus.

epulum apoſtolis miniſtrauit, cũ omnes ad eccleſiam properarent deſide rabilia Domino uota perſoluere, quædã mulier diuturna cæcitate grauata, cũ eſſet in urbe, flere cepit & dicere. Væ mihi, quia cæcata pro peccatis non mereor hanc feſtiuitatẽ cũ reliquo populo expectare. Tunc cum fletu magno ſolo proſtrata, nomen beati inuocat confeſſoris. Cõpleta 84 autẽ oratione luci priſtinæ reſtituitur. Porrò recepto lumine, ob reddẽdas Deo gratias ad beatã baſilicã cũ admirabili oculoꝝ claritate peruenit. Sed & unus ex energumenis die illa ſancti uirtute curatus eſt.

84

Ad inuocationem ſancti mulier cæca illuminatur. Quõ ergo p̃ inuocationem ſanctorum obtenebratur necessaria Dei inuocatio, ut mentiuntur noui hæretici?

De duobus cæcis. Cap. 29.

Duo ceci ex Biturica uenientes, arefactis palpebris, & glutino uinctis, ad pedes Domini Martini orantes decubabant. Factum eſt autem in die feſtiuitatis ſuæ aſtante populo, dum 85 uirtutes de uita illius legerẽtur, factus eſt ſuper illos ſplendor coruſco ſimilis, & confractis ligaturis, quæ palpebras obſerauerant, defluente ex oculis ſanguine, lateq; uiſu patente, cernere meruerunt.

85

In die feſtiuitatis ſancti Martini, dum legerentur uirtutes uitæ eius, cæci duo illuminati ſunt. Ex quo habes antiquum morem extitiſſe, ut in ſolennitatibus ſanctorum, eorum uitæ legerẽtur in Eccleſia.

De muliere muta. Cap. 30.

Mulier quædam, cuius os patulum nimius dolor cũ febre ligauerat, ut nec linguã regere poſſet, ſed tantũ mugitũ ut animal, non uocẽ ut homo poterat emittere, fide inſtigante cũ magna animi confidentia atria boni confeſſoris ingreditur, ibiq; multis diebus reſidens ſtipem ſimul atq; oris apertionẽ poſtulans, tandẽ ſancti uirtute reſpicitur. Nam quadã die Dominica dum miſſarũ ſolennia celebrarentur, hęc in baſilica cũ reliquo populo ſtabat. Factũ eſt autẽ cũ Dominica oratio diceretur, hæc aperto ore cepit ſanctam orationẽ cũ reliquis decantare. Ipſa autẽ cũ iugo ſeruitutis haberetur uincta, de rebus beati Confeſſoris redempta eſt. Et nunc cum uocis officio ingenua perſeuerat.

De muliere debili. Cap. 31.

Nec minori miraculo ſe beatus uir adeſſe inuocatum oſtendit. Abra quædã religioſa, ui febrium oppreſſa, omnẽ uſum mẽbroꝝ, ſola tantum lingua famulante, perdiderat. Nam cũ manibus ſimul ac pedibus contractis iaceret, & die nocteq; flagitaret auxilium, uiſum eſt ei quadã nocte ueniſſe ad ſe ſenẽ, qui molli tactu mẽbra eius cuncta tractaret. Expergefacta mane ſentit pedes cũ una manu redditos ſanitati. Alio uerò die admonita per ſoporẽ, ad beatã baſilicam nihil retardans proficiſcitur. Nox autẽ illa erat uigilia tranſitus confeſſoris. Medię autẽ noctis tẽpore tranſacto, uigilans neſcio quo terrore concutitur, & ſubito manus eius contracta dirigitur. Stupente autẽ populo, cuncta quæ prius pertulerat, narrabat, cognoſcens ipſius eandẽ fuiſſe uirtutẽ prius in illa erectione pedum, quæ nunc in manus ſuæ directione clarebat.

De oleo ad ſepulchrum eius creſcente. Cap. 32.

Cum talia miracula quæ ſcripſimus, quotidie cernamus, quid illi miſeri ſunt dicturi, qui Seuerũ in uita ſancti Antiſtitis mentitum eſſe pronunciant? Nam audiui quendam nequã, ut credo, ſpiritu repletum, pro-

loquentẽ, non potuiſſe fieri, ut oleum ſub Martini benedictione creuiſſet. Sed nec hoc, Quòd elapſa ampulla ſuper ſtratum marmoris corruens perſtitiſſet illæſa. Quod ergo nuper actum eſt, multos in teſtimonium exhibens declarabo. Quidam de diaconibus noſtris male à quartani tipi febre cruciabatur. Quẽ cum plerunq; arguerem, cur ſegnis ad baſilicam ſancti non proficiſceretur, nec ex corde oraret, ut ei uirtus Pontificis ſubueniret, tandem à nobis compulſus ad beatũ tumulum prouoluitur tremens. Dehinc cũ pauliſper ignis febrium quieuiſſet, rogat ſibi exhiberi ampullam roſaceo oleo ſemiplenam. Iam enim ad ipſam febrem ex illo, licet parum profeciſſet, multũ tamen expenderat; & erat media. Perungensq; ab hoc liquore frontem & tẽpora, poſtulat ut & uaſculum ſecus beati tumulum poneretur. Quarta uerò die cũ eum febris urgeret, baſilicam petit, prouolutusq; diutiſſimè orauit. Apprehenſam autẽ ampullam quã reliquerat mediam, inuenit plenam, admiransq; uirtutẽ beati Antiſtitis, eam domũ cum timore & ueneratione reportat. Ex qua rurſus cum eſſet perunctus, protinus omnis ardor quieuit incõmodi, nec ab eodẽ ultra confractus eſt. Quid etiam de eadẽ ampulla poſt hæc actũ ſit, non ſine graui ſuſpirio, atq; miraculo memoramus. Nam cũ in antedicti diaconi hoſpitiolo de pariete penderet, incurſantibus inſidijs inimici, percuſſa eſt, atq; in fruſta decidit cõminuta, effuſumq; oleum uelociter terra abſorbuit. Tamen puer qui aderat cum uidiſſet factum, accepto uaſculo, ipſam terrã exprimens parũper olei elicuit, roſamq; quę effuſa fuerat cũ effracto uitro colligens, nobis exhibuit. Quod accipiens diligenter in uaſculum alterũ tranſmiſi. Erat enim menſura olei quaſi dimidij calicis paruuli, & tamen in uaſculo duorum digitorum tantũ altitudinem fecit. In craſtino autẽ proſpiciens erat altitudo olei quatuor digitorum. Obſtupefactus ergo ad uirtutẽ ſancti liquoris hoc ſignaculo meo munitum atque coopertũ reliqui. Poſt dies autẽ ſeptẽ iterum proſpiciens, plus ibi quàm unũ ſextarium reperi. Aduocans autẽ diaconem, & hoc ei oſtendens admirabar. Ille uerò affirmabat cũ iuramento, tantũ tunc in effracta perijſſe ampulla, quantũ tunc in iſta cerneretur. Quæ uſque hodie in Dei nomine beneficium petentibus præſtat. Ipſe quoque poſtea ab hoc unguento ſimilem infirmum perungens, oleo creſcente ſanauit, & multos deinceps per illud ſanitati reſtituit.

De Alomere contracto. Cap. 33.

Proferat & Andegaua regio miraculum ſuũ, de qua Alomeris quidã procedens cum contractis pedibus ac manibus, lingua etiam debili, beati confeſſoris tẽplum expetijt. Vbi cũ tota Quadrageſima reſediſſet, aſſidue orans ac deprecans, ut eum uirtus ſancti Antiſtitis uiſitaret, aduenit dies illa 86 Dominica ante ſanctũ Paſcha, in qua Dominus Ieſus ſtratas ab arborũ folijs uias incedens, Hieroſolymã uenit, turba proſequente, ac clamante, Oſanna, benedictus qui uenit in nomine domini. Illo ergo die cũ ſero iam factũ eſſet, & ipſe ſolus à foris ante tumulum decubaret, ſubito factus

86 *Vides quod etiã olim dominica in ramis palmarũ erat celebris.*

factus est in extasi; Et pauore perterritus iacebat ut mortuus. Qui cum (ut ipse refert) per duarum horarũ spatium aut amplius fuisset oppressus, tanquã de somno euigilans, subito ad sensum suum reuertitur. Eleuatusq; sursum sanum se esse miratur. Ibique tota nocte uigilans, mane nobis quæ acta sunt, ore proprio reserauit. Clericusq; factus incolumis ad hospitiolum suum rediit.

De Clerico cæco. Cap. 34.

Denique eodẽ anno cum festiuitas, quæ in æstiuo celebratur, desiderabilis populis aduenisset, clericus quidam, cuius oculum nubes tetra contexerat, ac ne lumen uidere posset arcebat, ædem beati confessoris adiuit. Vigilata cum reliquis nocte, illucescente cœlo, dum de basilica processit, uisum quem olim perdiderat, reperire meruit. In eadem uero festiuitate tres energumini multum se collidentes, ac beatum Antistitem declamantes, fatentes crimina, & ut sibi sanctus parceret deprecantes, tandem uirulentum nescio quid ex ore proijciunt, & sic uirtute sancti mundati sunt.

De Carcerarijs dimissis. Cap. 35.

In proximo autẽ post tertium de festiuitate diem erant quatuor uincti in carcere. Cumq; eos sæuitia iudicis ita constringeret, ut nec necessaria ulli præbere liceret, Antistitis beati præsidia corde precantur. Dum hæc igitur deuotê agerent, medio die subito scinditur trabes, qua pedes eorũ conclusi coarctabantur, confractisq; cathenis liberatos sesentiunt. Nec mora ostium petunt, quo aperto, Ecclesiam sancti nemine prohibente ingressi sunt. Custodes autẽ intantum obstupefacti fuerunt, ut nec uerbis eos quidem increpare præsumerent. Qui etiam sequentes eos, cum eisdem in ecclesia se abdiderunt. Illi autẽ maximas gratias Deo referunt, ꝙ eos 87 obtentu pontificis dignatus fuerit liberare.

87 *Ecce quomodo ad orationes sanctorũ deus dignatur sanitates et beneficia hominibus conferre.*

De pignoribus quæ Leodonaldus Episcopus detulit. Cap. 36.

Multi enim fide pleni reliquias beati uiri portantes, uirtutes multas experiuntur. Nam Leodonaldus Abrincantinæ ciuitatis Episcopus, sancti Domini reliquias per presbyterum suum deuotus expetijt. Quibus acceptis, 88 cum terminos antedictæ ciuitatis egressus fuisset, occurrit ei adhuc in deserta posito paraliticus deferentium illatus manibus. Osculato autem fideliter uelo, quo capsa sanctorũ cooperta erat, mox in pedes constitit, ac proprijs gressibus domum regressus est. Hæc enim agis beatissime confessor, nec tibi sat est propriam ædem exornare prodigijs, nisi etiam diuersos saltus, quos pedibus non adisti, uirtutibus tremendis illustres. Sed & deinceps cęcus quidam adminiculo deducente, in occursum earum uelociter properat. Adueniens autem, quando beati pignora in sanctum locabantur altarium, expedita solennitate, uisum recipere meruit oculorum. Sed & alia nihilominus mulier, quæ diu muta fuerat, sermonis usum recepit.

88 *Vide quot uirtutes per sancti reliquias collatæ sint eas deuote uenerantibus.*

De Energumino sanato. Cap. 37.

His etenim diebus ad beati uiri basilicam quidam ex energuminis cũ multis se cruciatibus dæmonum perferre declamaret, & se acquisitum uasculum per beatum Antistitem fateretur, deiectus in terram sanguinem foetidum per os cepit eijcere. Qui duarũ ferè horarũ spatio iacens, expulso dæmone purgatus, ac erectus est.

De puella muta. Cap. 38.

Puella quædam paruula indigena Turonicæ ciuitatis, ab utero matris suæ muta processit. Cuius os intantum obseratum fuit, ut nec illas, quæ cunabulorum tẽpore eduntur uoces, posset emittere. Mater uero de tam tristi foetu anxia, cũ lugeret assiduè, cõmonetur per uisum, ut beati præsulis sepulchrum adiret. Quæ excitata ad templum sancti cum puellula pergit intrepida. Expositaq; ante sepulchrũ sancti, cum diutissime orasset, iterũ eam secum assumit. Accenso uerò thymiamate, cum eam desuper retineret, interrogat eam, si bonũ ei odorem faceret. Illa respondit, bonum. Hanc primam uocem filiæ mater moesta cognouit. Imposita uerò ori eius aqua, quam quondam de fontibus acceperat benedictis, interrogat iterum qualem ei saporem præberet. Illa respondit, Bonum. Tunc mater cum gaudio sospitem domum refert, quam tristis ad beati tumulum fide fida detulerat.

De his quæ Aridus presbyter pro benedictione portat. Cap. 39.

Aridus uir religiosus ex Lemocino causa tantum deuotionis Turonũ aduenit, & beatũ sepulchrũ orando deosculans, ad monasterium sanctũ amne transito peruenit. Qui dum singula loca uisitaret, quæ uir beatus aut orando, aut psallendo sanctificauerat, ac ubi uel fesso corpori somnũ, uel inedia deficienti cibũ præbuerat, dum cuncta circuit, cuncta peragrat uenit ad puteum, quẽ sanctus Dei proprio labore patefecit. Fusaq; oratione aquã haurit, impositamq; in ampulla domum regrediens deportauit. Cumq; exinde infirmis multas tribueret sanitates, quadã uice Renoscindus pater eius ui febrium impulsus, decubuit lectulo. Octaua uerò die cũ iam oculis clausis in hoc iaceret, ut spiritum exhalaret, atq; omnis familia perstreperet, & mortem condolens patroni uel funeri necessaria prepararet, uenit in mentẽ presbytero, ut de aqua beati putei in ore de-
89 functuri guttam inferret. Quæ illata ubi primũ os eius tetigit, mox 89
oculos ægrotus aperuit, absolutaq; etiam lingua rogat, sibi adhuc exinde ministrari: acceptoq; calice ut bibit, statim omnis febris effugit. Et sic admirante familia, sanus in lectulo, in quo iacebat, erectus est.

Aqua de puteo sancti hausta, infirmus sanitatem recepit.

De fisulso manco. Cap. 40.

Verum istud miraculũ, quod nuper apparuit, quis poterit enarrare, cum assumptus sanctus Dei de mundo, adhuc prædicator habeatur in mundo? Qui si se palàm populis ostentare nequeat, iugiter se patefactis uirtutibus manifestat, dum cæcos illuminat, dũ paraliticos sanat, dumq;

& reliquos ægrotos pristinæ sospitati reformat. Sed ego, ut sæpe testatus sum, indignũ me censeo tanti uiri signa depromere. Tamen quia audax audeo, ueniam peto legentẽ. Quia enim me impulit amor patroni, & quia esse adhuc eũ denunciaui prędicatorẽ, dicam quid contigerit nuper. Sisulfus ex Cinnomanicis pauperculus dum in hortellum suũ meridie obdormisset, nescio quid nequitiæ perpessus est. E somno autẽ exiliens, contractis in uolam digitis cũ magno dolore, pressus rursum soluitur in soporẽ. Et uidit per uisum, & ecce uir stabat ante eũ nigris uestibus, cano autẽ capite. Qui conuersus ait, Quid sic, inquit, in fletibus cõmoueris? Et ille, Ecce uenerabilis domine dũ parumper obdormiui, cũ dolore expergefactus opus manuũ mearũ perdidi, & nescio quid sceleris cõmisi. Tũc uir, illi, tanq; discipulis Dominus de cæco nato, Quia neque ille peccauerat, neq; parentes eius, sed ut manifestaretur opus Dei in illo, ait, Debilitas tua tormentũ indicat populi delinquentis. Vade ergo nunc per uicos & castella, & ad ciuitatẽ usq; pertende, & prædica, ut se omnis homo à rapinis, & usuris abstineat, & nullũ opus in solennitatibus mysticis agat. Ecce enim corã Domino in lachrymis decũbemus ueniam pro populo deprecantes; & adhuc spes est obtinendi, si emendatio subsequatur in plebe. Nam hostilitates, & infirmitates, & alia multa mala, quæ perfert populus, indignationẽ Domini cõmonent. Et ideo nuncia uelociter, ut se emendare studeant, ne crudeliter in scelere suo depereant. Tu uerò his peractis, quæ imperaui, Turonũ ad basilicã propera, ibiq; te uisitabo, & obtinebis apud Dominũ ut saneris. Cui ille, Dic mihi, quæso, domine, quis es, uel quod est nomen tuũ? Cui uir, Ego sum, inquit, Martinus sacerdos Turonensis. In his sancti uerbis pauper surrexit à somno, apprehensoq; bacello, iter imperatũ aggreditur, & quæ sibi fuerant imperata populis nunciauit. Mense autem septimo postquã hęc acta sunt, beatã basilicã adijt, ibiq; prostratus per triduũ, quarta die à sancti uirtute uisitatus est. Iã enim cõputruerat in eo caro, uel nerui palmarũ, qua de causa detinebatur. Et cũ digiti eius directi fuissent, sanguis ab eisdẽ erupit. Sed eis omnibus medicatis, ore proprio quæ recolimus enarrauit.

De cæco illuminato. Cap. 41.

Facis ergo beatissime Confessor tuo more, 90 propiciaris iniquitatibus populi, & sanas languores omnium, cunctosq; fideliter inuocantes tuis medicamentis illustras; nec fraudas extraneos, quod proprijs libenter indulges. Homo ergo incola territorij Turonici, annorũ quasi uiginti quinq; cũ à febre lippitudinis grauaretur, decidentibus catharactis, obstrictisq; palpebris ualde cęcatus est. Super quod malum adijciebatur & illud, q̃ à fuste percussus, dirupto uisu, unus ei crepuit oculus. Iam enim per uigintiquinq; annos in hac cęcitate uixerat. Admonitus ergo per uisum ad beati tumulum uenit, ubi orationi incumbens, die tertia unius oculi lumen recepit. Dehinc animatus hoc medicamine, attentius cepit orare. Quarto autem die oculus, qui crepuerat, reformato uisu aperi-

90 *Videant quantũ mentiantur qui dicũt sanctos nullã habere potestatem post mortẽ.*

tur. Qui licet non tam clarè cernat, quàm alter, luminis tamen beneficium præstat.

De manu hominis contracta. Cap. 42.

Debilis quidã, cuius manus contracta diriguerat, dum 91 in atrio, quod ante beati sepulchrum habetur, oraret intentè, in sancta eius uigilia uisitatus est, directisq; digitis, manus eius ad usum pristinum restituta conualuit.

91 *In sancta eius Vigilia dum in atrio ante beati sepulchrum oraret, sanatus est.*

De puerulo sanato. Cap. 43.

Quoties hic prophetarum, & sublimium uirtutes uirorũ, quas olim gestas legimus, renouari miramur? Sed quid inq;? Quod multi fecerunt uiuentes in seculo, hic solus renouat quotidie etiam post sepulchrum. Quid ergo agimus? quid silemus? quid occultamus pauci quod populi declamant? Multi'ne diutius in hac statione morabimur? Proferamus Heliseum seculo nostro, qui cadauer defuncti uiuum remisit à monumento. Id quoque beatus Confessor, nobis præsentibus, operatus est. Quæ enim causa fuerit, adiutorium indiuiduæ Trinitatis efflagitans explicabo. Puer genitus, lacte materno deficiente, nutrici ad alendũ datur; quæ hoc liquore sterilis dum non copiose, ut illi ætatulæ opportunũ est, lactis alimentũ ministrat, cepit qui proficere debuerat, die prætereunte decrescere, & ita minui, ut nihil in eo amplius, quã pellis tenuis, quæ eius ossula sola contegeret, remaneret. Qui, matre mortua, unũ propè in hoc exitu duxerat annũ. Erat enim unicus patri, & de uxoris dilectione quodam memoriale. Cui, uictu, ut diximus, minuente, iam deficienti ex inedia febris accessit. Vt autẽ hic eum feruor attigit, concurrit pater ad Ecclesiam, ne proles absq; baptismi regeneratione moreretur. Qui baptizatus, nec confortatus corpore præter spiritale remedium, iam suffossis oculis, palpebrisq; laxatis atq; demissis, nullum iam flatum spiraminis habens, super beatũ sepulchrũ, patre eiulante deponitur. Nec defuit uirtus illa cœlestis, quæ quondam paruulum inter manus confessoris beati uiuificauit. At ubi primũ eius uestimentũ coopertorium tumuli attigit, illicò paruulus respirauit. Miro miraculo uideres pallentes genas gradatim 92 uirtute diuina insistente rubescere, & sopitos oculos in lumine rediuiuo laxari. Tunc à sancto uiuificatus, & à patre receptus, sospes usq; hodie in testimonium uirtutis habetur.

92 *Vides hic sanitatẽ puero uirtute diuina conferri, & paulopost idẽ dicitur a sancto uiuificatus, ut scias omnia miracula quæ ad sanctorum inuocationem fiunt, deũ & dominũ Iesum Christũ in illis & per illos facere, tanquã per ueros suos seruos & amicos.*

De cæco illuminato. Cap. 44.

Sed & de Pictauo quidam cæcus per sex annos lumine uiduatus, 93 triduana prostratione ad beatũ tumulum orans, lumen, quo diu caruerat operante solita uirtute, recepit. Actũ est autẽ hoc per festiuitatẽ sancti patroni, in qua Meroneus Pictauus Antistes aderat, non ĩmerito Hilarij beatissimi discipulus prædicandus. Qui, solẽnitate explicata, cũ illuminato conciue gaudens, remeauit ad propriam urbem.

93 *Cæcus triduana prostratione ad beatum tumulum orans, lumen recepit.*

De duobus puerulis sanatis. Cap. 45.

Apud Vultaconum quoque uicum Pictauensem dum duo pueruli

nocte Dominica in uno stratu quiescerent, uisum est eis, quasi signum, quod 94 matutinis cōmoueri solet, audissent. Cumq; in atrium Ecclesiæ peruenissent, inuenerunt ibi choros mulierū canentium. Exterritiq; ualde cognoscentes cateruam esse dæmoniorum, dum ad terrā corruunt, nec in ætate infirma 95 signo se salutari præmuniūt, unus lumine, alius lumine & gressu mulctatur. Cumq; multorum annorū curriculo in his infirmitatibus grauarentur, unus, qui tantum lumine caruerat, ad beati Martini basilicā deuote ueniens, ut orationem expleuit, statim uisum recepit. Alius in eodem sancto loco lumine recepto, ad propria rediens adhuc debilis claudicabat. Veniensq; ad cellulam Condatensem, in qua lectum 96 beati uiri habetur, dum ibidem nocte Dominica uigiliæ celebrarentur, subito orante populo sensit diuinam uirtutem adesse. Et spectante plebe super terram se trahens, contra parietem erexit, in quo fenestra retinetur, quæ fuit quondam beati corporis porta. Et orans, atq; præ gaudio lachrymans, integræ sanitati restituitur, nec ulterius ullam pertulit de malis infirmitatibus grauitatem.

94 *Ecce hora matutina.*

95 *Nec in ætate infirma signo se salutari præmuniunt. Nā Crucis signum munus est inexpugnabilis aduersus omnia diaboli machinamenta.*

96 *Apud sancti lectum & fenestrā orans & lachrymans claudus, sanus factus est.*

De Claudo directo. Cap. 46.

Puerulus quidam Leodulphus pede sinistro debilis, dum cū reliquis petentibus stipendia quærendo circuiret, Turonum aduenit. Et parum remoratus iter quod agere ceperat, conatur explere. Et progressus claudicando cum satellitibus, decimo ab urbe miliario ui doloris opprimitur. Relictus uerò à socijs solus super ripam aluei eiulabat, multis ad 97 festiuitatem concurrentibus proclamans & dicens, Væ mihi quia solennitatem gloriosi uiri spectare nolui, ideo me uirtus eius allidit. Qua de re rogo uos fidelissimi Christiani, qui Deum timetis, subuenite ignorantiæ meæ, subuenite oppresso & debili, & si timor Dei mouet, me usque ad sanctum locum deportate. Igitur cū hæc multis prætereuntibus imploraret, quidam plaustro suo superpositum usq; ad sancti basilicam duxit. Vbi triduanam orationem continuans, reintegratis pedibus, incolumis abscessit.

97 *Multis ad festiuitatē concurrentibus proclamabat.*

De Contracto, quem bos trahebat. Cap. 47.

Erat quidam Contractus, qui in similitudinē Eremitæ, cui bos quondam solatium fuit, bouem unum habebat. Qui plaustro coniunctus per domos trahebat, stipem postulantem deuotorum. Igitur cum 98 iminente festiuitate Pontificis Turonum aduenisset, prostratus coram sepulchro, & orationi incumbens, beati Antistitis auxilium flagitauit; deportatusq; iterum à suis ante sanctam absidam tumuli ponitur. Cumq; expletis missis, populus cepisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere, ilicò dissolutis nodis, qui genua nexa tenebāt, in pedes erigitur. Admirantibus cunctis, gratias agens, proprio gressu usque ad beatū altarium, nemine sustentante, processit, sanus deinceps degens.

98 *Habes hic multa contra aduersarios Ecclesiæ.*
Festiuitatem D. Martini.
Orationem ante eius sepulchrum cum prostratione.
Inuocationem sancti, & eius superueniens auxilium.
In Eucharistia accipi sacrosanctum corpus Redemptoris nostri.

De eo, qui manus ac pedes contractos habebat. Cap. 48.

Ex pago autem Carnoensi, qui in Andegauo territorio habetur, uir

quidam nomine floridus, manibus pedibusq; contractis, ad sanctam cellulam Condatensem, de qua beatus confessor ad Christum migrauit, allatus est. Vbi dum in uigilijs & 99 oratione paucis diebus uacare studuit omnis ægritudo à corpore eius fugata discessit. Sicq; directus incolumis ad propria remeauit.

99 *Oratio cũ uigilijs in sancti oratorio contractum sanauit.*

De eo, qui contractum brachium detulit. Cap. 49.

Venerat dies festus solennitatis beati, in qua caterua populorũ multa conuenerat, & ecce debilis quidam contracto brachio affuit. Dumq; beatum 100 sepulchrum labijs osculans, lachrymis rigat, mox beati Confessoris auxilium implorans, fide non diffisus solitum præstolatur auxilium. Deniq; sacerdotibus qui aduenerant, ad agenda solennia procedentibus, cum lector, cui legendi erat officium, aduenisset, & arrepto libro, 101 uitam sancti cepisset legere Confessoris, protinus directo brachio sanus erigitur, & spectantibus cunctis, præsidia, quæ fideliter petijt, impetrauit.

100 *Nota, Beatum sepulchrũ labijs osculatur, lachrymis rigat, sancti confessoris auxiliũ implorat.*

101 *Et hic uides quod in solennitatibus sanctorum legebantur uitæ eorum in Ecclesia.*

De cæco illuminato. Cap. 50.

Sic & cęcus in eadem festiuitate implorans receptionem uisionis, ut palam attigit, quæ foris ad pedes sancti de pariete dependit, mox erumpente à palpebris sanguine, teste populo uisum recepit.

De Dissentericis. Cap. 51.

Cum autem morbus ille dissintericus cum occultis pustulis multas attereret ciuitates, ac inter reliqua loca urbs Turonica grauius laboraret, multi abraso à beato tumulo 102 puluere hausto sanabantur. Plerique de oleo, quod inibi habetur, delibuti liberabantur, fuitq; nonnullis remedium aqua illa, unde sepulchrum ablutũ est. Ante Pascha igitur cũ multis multa tribuerentur beneficia, uidi unum in desperatione à dissinteria iacentem. Qui ad basilicam ductus, cũ alijs uigilias celebrantibus, noctẽ inquietam duxisset, diluculo accedens ad tumulum, potato cũ uino puluere, sanus redijt è sepulchro.

102 *Vides puluerem oleũ & aquã de sepulchro sancti desumpta, sanitates conferre.*

De alio humore graui sanato. Cap. 52.

Alter quoq; arreptus à febre ualida, deijciens ore uenenum, & per inferiorem partem extra modum solutus, lectulo decumbebat. Igitur crassante ueneno, laboranti oritur uulnus in inguine, & incredibili modo mouet se uisibiliter usque ad plantam. Erat enim in magnitudine oui anserini. Deinde sursum petens cum nimio dolore discurrit per latera, per brachia, & usque ad ceruicem progreditur. Deinde per aliud latus ad plantã usque deducitur. Exinde retrorsum reuertens, ad locum unde primo ortum fuerat uenit. Cumq; taliter per membra uagaretur ægroti, quo miser tenderet, quid ageret nesciebat, nisi tantum uoces cum fletibus dabat. Exigebat enim dolor gemitum, cum in uno corpusculo tanti dolores irruerent. Tandem cum hæc nobis nunciata fuissent, ilicò solitam tyriacã à uero requiro medico, ex quo uitam moriturus haberet; suadeo fidenter puluerem assumi de tumulo. At Satellites cum magna festinatione cur-

rentes, eleuatum puluerẽ 103 monumenti deferunt ad ægrotũ, delibu-
tumq; cum uino bibendum porrigunt. Quo hausto, ita omnis dolor fu-
gatus est, ut ipsa hora redderetur incolumis.

103 *Hausto puluere de tumulo sancti, ægrotus redditur incolumis.*

De reintegrato. Cap. 53.

Sine numero populi talia audientes, de longinquis regionibus beata expetunt præsidia confessoris. In quo illud est præ cæteris admirandum, qualiter sensus hominum diaboli arte fraudatus restituatur. Quidã ergo Baiocasinus ciuis dum uino nimium hausto turbatus per uiam incederet, subito diuersis flantibus uentis puluis campi cõmouetur, & mixtus, ut solet, cum stipulis in sublime leuatur; fitq; totus aër una nubes pulueris, & hoc hic opertus, amisso sensu, ilico decidit. Igitur post paululum à suis inuentus domum turbulentus adducitur. Hinc effrenis factus conatur fugere, nemine persequente. Quid plura? Arctatur uinculis, constipatur catenis, & in custodia detinetur. Qui dentibus fremens ob negatam sibi libertatem, proprijs se morsibus lacerabat. Dum autem hæc agerentur, admoniti parentes ad beati eum basilicam perduxerunt. Ita ad longum tempus oratione facta sanus abscessit, uouens ut singulis annis ueniens, uota sancto redderet confessori. Deinde ad monasterium sibi proximum humiliatis capillis ac presbyter ordinatus, cepit Deo strenuè seruire, non tamen reddens quæ promiserat beato Pontifici. Quarto 104 igitur anno data, ut credo, iterum inimico in eum potestate, ruit in rediuiuam amentiam, & constrictus, ut fuerat prius, catenis, ad sanctam reducitur ædem. Vbi per sex dies, & eo amplius degens in uigilijs & orationibus, & reddens quæ prius ignauè fraudauerat, sanus domum regreditur. Sed peccatis facientibus, iterum uino sępius madefactus in eadem tribulatione obijt.

104 *Vide quid sit sanctis uouere, & quæoueris non reddere.*

De puella Luxonica cæca. Cap. 54.

Si singula quæque uel quæ aguntur, uel quæ acta sunt prosequamur, magnum cumulum congerimus de mirabilibus confessoris. Puella uerò ex Lesuensi iam adulta, lumen amisit oculorum, quæ sancti limina adiens, per omne tempus festiuitatis 105 orabat humo prostrata. Tertia autem die post sanctam festiuitatem, cum sui eam redire urgerent, rogat se ad sepulchrum beati deduci. Ibique iterum atque iterum prostrata, de palla, quæ sanctum tegit tumulum, oculos abstergens, & ualedicens discessit. Cumq; iam in naui ascenderet, ait, Gratias tibi ago beate Confessor, quòd si uidere non merui tua sancta limina, uel tactu præsens. Cum igitur hæc cum lachrymis ædidisset, tergens oculos lumen recepit, & conuersa ait; Forsitan hæc est beata basilica? Cui qui propinqui erant, ita esse aiunt. Tunc illa, Non reuertar, inquit, nisi gratias pro accepta sanitate referam patrono. Redeuntem autem, & in laude Antistitis declamantem multi uiderunt. Quæ completa oratione gaudens abscessit.

105 *Per omne tempus festiuitatis orabat humo prostrata.*

De puerulo manum contractam habente. Cap. 55.

In eadem uerò festiuitate alius de Senonico puer manum aridam detulit. Post quartam autē diem festiuitatis beatæ, dum stans ad pedes oraret, spectante populo directi sunt digiti eius. Vidit omnis conuentus plebis magnalia Dei, qualiter inficiebatur manus à sanguine, ascendebatq; gradatim per arentes uenas, & ita erat manus bibula, ut putares spongiam diu aridam limphis iniectam, sitienter haurire liquorem. Repletis ergo uenis, roboratisq; neruis, ac rubescente cute pallida, manum retulit sanatam.

De muliere quæ contractis in palma digitis uenit. Cap. 56.

Pari quodammodo ordine Pictauensis mulier meruit obtinere medelam. Nam hęc contractis in uolam digitis, unguibusq; defixis in ipsius ut ita dicam, ossibus, tota iam manu putrefacta, uenit ad sancti festiuitatem deuota, optabilem expectans medelam. Igitur spectatis ex more solennibus sancti diebus, dicit suis, Integro quidem corde ad deposcendum beati præsidium uenimus, sed obsistentibus peccatis, non meruimus quod petebamus accipere. Consummata ergo nunc oratione reuertamur ad patriam, fidentes de bonitate præsulis, quòd corpori imbecilli prosit animæ fidelis oratio. Hæc & his similia agens, quasi sancto ualedicens discessit. Vrgente quoque in uesperam die, prope Anniscaris ripam accepit mansionem. Ad medium autem ferè noctis expergefacta, gratias Deo refert, ꝙ uiueret, ꝙ esset, ꝙ uigeret, uel ꝙ beati Pontificis tumulum tetigisset. Quæ cum maximo fletu proferret, iterum obdormiuit. Et ecce uir crine cigneo, indumento purpureo, crucem gestans manu, stans ante eā ait, Nunc sana eris in nomine Christi Redemptoris nostri. Et apprehensa manu eius, misit digitos suos inter digitos illius, qui clauserant palmam, & parumper mouens direxit eos. Dum hęc in uisu uideret, euigilans, defluente adhuc sanguine, sanam eleuauit manum in Dei laudibus. Diluculo autem egressa ad basilicam, impleta gratiarum actione rediuit.

De ea, quæ dum in festiuitate sancti Ioannis operabatur debilitata est. Cap. 57.

106 *Festiuitas sancti Ioānis.* In festiuitate 106 uerò beati Ioannis cum populus ad missarum solennia conueniret, mulier quædam accepto sarculo, agrum adijt, ut scilicet euulsa mali seminis zizania, messem solam purgaret. Cumq; operari cepisset, protinus manus eius diuino igne sunt apprehensę. Facies quoq; eius quasi emittens flammas, tota uesicis ac pustulis ebulliuit. Vrebatur misera non minus pudoris dolore, q̄ corporis, quando ea quæ clam gesserat, inuita prodebat. Dehinc uociferando atque eiulando, beati Martini basilicam uelociter expetiuit. Ante cuius sepulchrum in hoc tormento per quatuor mensium spacia prostrata, restincto omni uapore, in integritate corporis solidata est. Erat enim ancilla cuiusdam ciuis Turonici, qui medietate precij concessa, aliam requisiuit.

De

De cęco & contracto. Cap. 58.

Puer Parisiacus, cuius artis erat uestimenta cōponere, increscente melancolia, decocti sanguinis fece quartanarius efficitur, atque efferuescente humore, ita omne corpus eius minutis pustulis coarctabatur, ut à quibusdam leprosus putaretur. Sed & per omnia membra dolores pessimos sustinebat, amborũ oculorũ luce mulctatus. Igitur audita beati Antistitis fama, & uirtute ubiq; uulgata, Turonicā expetiuit ciuitatē, accedensq; 107
ad basilicā sancti, per 107 dies multos ieiunans & orans, recepto lumine, pristinæ restituitur sanitati. Erat enim ingenuus genere. Audiens autem Leodactus, qui tum Turonicũ gerebat comitatum, q̄ talis erat artifex, calumniari cepit dicens, Refuga es tu dominorũ, nec tibi licebit ultra per diuersa uagari. Et uinctum in domũ suam custodiendum dirigit. Sed nec ibidē defuit uirtus Angelici cōfessoris. Nam cũ cōprehensus fuisset, statim ab infirmitate qua caruerat, coarctatur. Et cũ pessime ageret, uidens comes nihil se in eum præualere posse, laxatum à uinculis liberum abscedere iubet. Ille uerò ad basilicam regressus, sanatus est denuo.

Per dies multos ieiunans & orans, recepto lumine pristinæ restituitur sanitati.

De ea quæ post ingenuitatem est uendita. Cap. 59.

Simile est & illud, q̄ mulier post emeritam libertatē rursum à patroni filijs Barbaris uenundatur. Sed uirtute sancti, quo facilius defensaretur, contractis ad plenũ debilitatur membris. Nam & poplitum ita nerui retorti sunt, ut subtus crura contingerent. Tunc relicta à dominis, quibus fuerat inique distracta, patrocinia beati expetit confessoris. Ad cuius ædē non multo tempore cōmorata, libertati in sospitate donatur.

De oculorum & capitis mei dolore. Cap. 60.

Et quia prior libellus ab eo tēpore initiatus est, quo Paulinus reliquit, & sub quadraginta capitulis constabat impletus, destinaui hunc inceptũ sub sexaginta cōplere. Sed ut beatus Martinus, qui uiduatus ab hoc mundo uirginitatis custodiuit integrũ decus, martyrium quoq; & occultis insidijs & publicis iniurijs triumphaliter impleuit; ita etiam cui aderat corona tricesimi & sexagesimi, centesimo fructu in his centũ uirtutibus auctus est. Spes autē mihi erat non frustrari à uoto, quod in octo annis Domino iubēte cōpleui, ipsum scilicet librũ à uirtute super me facta ceptũ, in me iterũ finire. Quod non sine prouidentia diuinitatis esse arbitror factum, ut ad eũ finiretur, à quo legitur ceptus. In quo cũ quinquaginta nouē uirtutes descripsissem, & sexagesimā adhuc attentius præstolarer, subito mihi sinistrũ capitis tempus arctatur doloribus, & pulsantibus uenis, defluentibusq; lachrymis, tantus imminebat cruciatus, ut oculum ui cōprimerem ne creparet. Quod dum per unā diem ac noctem grauiter ferrem, mane aduenien ad basilicā sancti, orationi prosternor. Qua ex- 108
pleta, doloris locũ 108 uelo, quod ante beatũ dependebat sepulchrum, attigi. Quo tacto protinus & pulsus uenarũ, & lachrymarũ fluxus stetit. Post triduũ uerò dextrā capitis partem similis tetigit dolor. Pulsabant uenæ, atque ubertim lachrymæ defluebant. Iterum mane consurgens pari

Tacto loco doloris uelo, quod ante sepulchrũ sancti dependebat, Gregorius bis sanatus est.

ut prius modo, contacto uelo, capite sanus abscessi. Transactis uerò decē diebus, uisum est mihi minuere sanguinē. Tertia autē die post sanguinis diminutionē, subijt mihi cogitatio (ut credo) per insidiatorem iniecta, ꝙ hęc, quæ pertuleram à sanguine euenissent; & si uena protinus fuisset incisa, confestim ista cessassent. Dum hæc cogito, ac reuoluo, amborū temporū uenæ prosiluere; renouatur dolor qui prius fuerat, & iam nō unam partem capitis, sed totū arripuit caput. Cōmotus ergo doloribus ad basi-

109 licam propero, ac pro cogitatione praua deprecans ueniam, palla, 109 quæ beatum operit sepulchrum, caput tetigi. Mox dolore sedato sanus recessi de tumulo.

Tacta etiam palla ꝙ beatum operit sepulchrum, dolore capitis sedato, sanus recessit.

Multa quidem sunt & alia, quæ uir beatus quotidie operatur, quæ insequi longū est. Tamen si adhuc meremur uidere miracula, placet ea alteri coniungi libello. Nam, ut diximus, hi duo libelli in hoc numero teneantur. Ego quoqꝫ pietati Dominicæ maximas refero gratias, quod mihi ꝑ suffragium Antistitis gloriosi concessum est, quæ in initio promisi usqꝫ ad finē perducere posse, deprecans ut quod sæpe confessor tribuit popu-

110 lis, mihi peccatori largius indulgeat, 110 purgetq; à me morbos, quos sæpe conspicit, & intendit, restituatq; mihi lumen ueritatis, eruat me ab infidelitatis lapsu, mundet cor & mentem à lurida lepra luxuriæ, purget cogitationes à concupiscentijs prauis, atqꝫ omnem à me facinorū molem

Vide quantam potestatē tribuat sancto Antistiti Martino.

111 diluat, atque prosternat; ut cū 111 in iudicio in sinistra parte fuero locatus, ille me de medio hædorū sacrosancta dextra dignetur abstrahere, reseruatumq; me tenens post tergū, sentētiam Iudicis præstoletur. Cumq; eo iudicāte fuero flammis infernalibus deputatus, sacrosancto pallio, quo ille tegitur in gloria, me contectum excuset à pęna, dicentibus Regi Angelis, quod quondam de monacho resuscitato dixerunt, Iste est pro quo Martinus rogat: fiatq; ut, quia non mereor illa claritate uestiri, uel ab irruentibus tartarorum ministris merear liberari: Nec tantum mihi noxa præualeat, ut me separet ab eius Regno, quem fideliter sum confessus in seculo.

Ista dicuntur per excessum, quorum omniū hæc est sententia, ut ꝑcibus beati Martini in die iudicij computetur inter eos qui a dextris Domini erunt, Licet id merita sua non deposcant.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

PROLOGVS.

TErtium, ordinante Christo, libellum de uirtutibus beati Martini scribere incipientes, gratias agimus omnipotenti Deo, qui nobis talem medicum tribuere dignatus est, qui infirmitates nostras purgaret, uulnera dilueret, ac salubria medicamenta cōferret. Nam si ad eius beatū tumulum humilietur animus, & oratio sublimetur, si defluant lachrymæ, & cōpunctio uera succedat, si ab imo corde mittantur suspiria, & pectora facinorosa tundātur, inuenit ploratus lætitiam, culpa ueniam,

dolor pectoris peruenit ad medelam. Nam sepius 112 tactus beati sepulchri profluuijs imperat sistere, cęcis uidere, paralyticis surgere, & ipsam quoq; pectoris amaritudinē longè discedere. Quod ego plerunque expertus indignū me iudico, ut inter tantorum miraculorum moles etiam illa hic inseram, quæ super me operari dignatus est. Sed iterū timeo, ne noxialis appaream, si ea tanquā fraudulentus abscōdam. Testor enim Deum, spē illam, quā in eius uirtute posui credens, ab illius misericordia non frustrari, quia quotiescunque aut dolor capitis irruit, aut tēpora pulsus impulit, aut aures auditus grauauit, aut oculorum aciem caligo suffudit, statim ut locum dolentem uel tumulo, uel uelo pendente tetigi, protinus sanitatem recepi.

112 *Tot tantæq; uirtutes quæ ad sancti sepulchrum, seu ad tactum pallæ uel ueli super tumulo pēdentis fiūt, splendorem uitæ sancti attestātur & eius meritorum.*

De dolore faucium mearum. Cap. 1.

Quod autem nuper pertulerim, primū inseram huic libello miraculum. Dum ad conuiuiū residentes post ieiunium ederemus, piscis infertur in ferculo. Quem Dominica 113 cruce signatū dum edimus, una mihi ex aristis ipsius piscis iniuriosissime adhęsit gutturi. Quæ dolores cōmouens graues, incidebat fauces acumine, & ipsam gulam longitudine obserabat, impediebat uocis sonitū, & neq; ipsum saliuę liquorē, qui sępe à palato defluit, transire sinebat. Tertia autē die cū neq; tussiens, neque excreans eam ualerem proijcere, recurri ad nota præsidia. 114 Accedo ad tumulum, prouoluor in pauimento, profusisq; cū gemitu lachrymis, auxilium deprecor confessoris. Dehinc erectus uelo, quod dependebat, gulam, faucesq;, & reliquū capitis attigi. Nec mora, sanitatē recepi, & priusquam limina sancta egrederer, nullam fatigationem sensi. Quo tamen aculeus deuenerit, ignoro. Nō eum reieci uomitu, nec discessisse sensi in aluum. Vnū tantum scio, quod ita me in uelocitate sensi sanum, ut putarem, quod iniecta aliquis manu, illa, quæ iniuriam faucibus intulerant, abstulisset.

113 *Vide antiquum morem signādi cibos cruce domini.*

114 *Ecce cōfugium ad sancti sepulchrum. Oratio cum prostratione, gemitu et lachrymis. Sancti inuocatio, & illius uelox auxiliū.*

De puella debili sanata. Cap. 2.

Puella uerò annorū duodecim, omnibus mēbris debilis, per sex annos tanquā mortua in domo parentū lectulo decubabat, nō gressum faciens, non opus manuū implens, non lucē cernens, non sermonē eloquens, non audiens eloquutū. Ad beati tumulum fundunt parentes pro filia preces, offerunt munera, ad hæc 115 uota promittunt. Conuenit autē populus ad solennia, celebratur cū gaudio sacra festiuitas. Tertia uerò de festiuitate die, uocat patrē puella dicens, Sitio. Qui gaudens quod filiæ uocem, quā nunquā audierat, meruisset audire, cucurrit uelocius, & assumptū aquæ paululum puellę detulit ad bibendum. Qua hausta, ait, Porrige mihi manum. Apprehensa quoque pater eius dextera, leuauit eam. Quæ stans super pedes suos, eleuatis ad cęlum manibus, oculisq; ait, Gratias tibi ago omnipotens Deus, 116 qui respiciens humilitatē meam, me per sanctū Antistitem tuū saluare dignatus es. Et sic reintegratis mēbris, uisum au-

115 *Offerunt munera, ad hæc uota promittunt. Ecce quod tantopere abhorrent nunc quidam.*

116 *Vides quod quæcunq; per sanctos miracula fiunt, Deus omnipotens operari dignaltur? Cur ergo nonnullis uidentur incredibilia?*

ditumq; recepit, ac domum læta regressa est.

De homine in cuius manu fustis adhæsit. Cap. 3.

Ante duos autẽ annos, quàm hæc agerentur, quidam non metuens, neque honorans diem 117 sanctũ Dominicæ resurrectionis, accepta annona, ad molam uadit, impositoq; tritico, molam manu uertere cepit. Expleto autẽ opere non poterat molam aperire, sed cũ graui dolore fustem, quẽ apprehenderat, tenebat inuitus. Post hæc uidens se non laxari, inciso ab utraque parte fuste, ad sancti basilicam uenit, factaq; oratione, & uigilijs celebratis, laxatis digitis, manus eius ad opus pristinum restituta est. Alio uerò anno in hac die sancta operã, propter quã prius increpatus fuerat, apprehendit, rursumq; lignũ in manu eius adhæsit. Ille autẽ cum dolore plorans ad basilicam sancti reuertitur, sed non protinus meruit exaudiri. Post duos uerò annos in eadem festiuitate, qua puellam sanatam retulimus, & iste liberatus est ab onere ligni.

117 *Dies sanctus Dominicæ Resurrectionis in quo non licet operari manibus.*

De Contracto sanato. Cap. 4.

Ex Lemocino autẽ adueniens contractus, qui nec gressum facere poterat, nec lumen oculorũ habebat, deportatus manibus deuotorum, ante sanctum sepulchrum deponitur: Deprecatusq; misericordiam Antistitis, directis membris debilibus, sanitati donatur.

De cæco illuminato. Cap. 5.

Quidam cæcus, qui longo tẽpore lumine caruerat oculorum, ad eandẽ festiuitatẽ uenit. Et facta oratione, dum ante sanctum sepulchrũ staret, subitò apertis oculis, recepto lumine, iocundatur.

De debili sanato. Cap. 6.

Puer autẽ & incola ciuitatis Turonicæ, dum ualetudine nimia ac diuturna consumitur, omnibus mẽbris debilitatur, & sine spe gressuũ à febre relinquitur, cui tibiæ seu funes intortæ separari non poterant. Post discessum uerò febris, expetijt à parentibus ut eũ ad sanctam basilicam deportarent. Quẽ exhibitum deponentes ad pedes sancti, orationem faciunt, uti uirtus solita subueniret. Tertia uerò die cũ ille & parentes eius in oratione ac ieiunio permanerent, exorto misericordiæ lumine, distortis tibijs, à parentibus incolumis est receptus.

De eo qui clauem die Dominico faciebat. Cap. 7.

Sic & alius, Senator nomine, de Cracotonno Andegauensi uico, dum die 118 Dominico clauem facit, digiti ambarũ manuũ eius contrahuntur, unguibus in palmã defixis. Sic qui ostium pandere uoluit, manus reserare non poterat. Dehinc per quatuor menses iam unguibus in carne defixis, cõputrescente palma, auxilia expetijt confessoris, & per quatuor dies 119 orationi ac ieiunio uacans, manus sanas eleuans incolumis est regressus, collaudans uirtutem Antistitis, & ut nullus aggrederetur quod ipse præsumpserat prædicabat.

118 *Vides non esse facienda opera manualia die Dominico?*

119 *Ecce iterum oratione et ieiunio infirmos beati Antistitis auxiliũ pro sua liberatione mereri.*

De mortuo suscitato. Cap. 8.

Eo tempore, quo talia apud Vrbem Turonicam gerebantur, legati

de Hispaniis Florentius & exuperius ad clipericum Regem ueniebant. Quos cũ ad conuiuium Ecclesiæ recepissent, epulantibus nobis, eo quòd se assererent catholicos, Florentius qui erat ætate senior, solicitè flagitat aliqua de beati uiri uirtute cognoscere. At ego Deo gratias agens, interrogo si uel nomen eius in illis regionibus audiretur, uel uita illius legeretur ab aliquo. Hæc me interrogante ait, In illis locis magnificè honorari nomen eius. Sed & se peculiarem alumnum Antistitis narrat, dicens super se magnam eius uirtutẽ ostensam fuisse. Auus, inquit, meus ante multorum curricula annorũ 120 basilicã construxit in honorè beati Martini. Perfectaq;, ac eleganti opere exornata, Turonũ clericos religiosos destinat, expetens Pontificis reliquias, ut scilicet locũ, quem in eius nomine ædificauerat, eius reliquiis consecraret. Quod cũ fecisset, per singulos dies ueniebat, & prostratus solo cũ coniuge, sancti Pontificis auxilium implorabat. Post multũ uerò tẽpus infans his nascitur. Cum autẽ trium mensium esset, a febre pulsatus intantũ exinanitur, ut ne papillam sugere, neq; ullum alimentum ualeret accipere. Interea perdurante morbo, cibo abnegato, palpitante tantũ spiritu, solus transitus prestolabatur. Nec mora, ipse quoq; exhalatur spiritus. Tũ mater mœsta, uel auia, de unicæ, ac primogenitæ sobolis morte, apprehensum inter brachia ante altare beati Martini iam exanime corpusculum spe non incerta deposuerunt; & tanq; si factũ uisibilibus cerneret oculis, anus alloquitur dicens, Spes nobis erat maxima beatissime confessor tua hic pignora deportare, per quę morbi depellerentur, febres extinguerentur, fugarentur cæcitatis tenebræ, & aliæ quoque infirmitates emundarentur, pro eo quod de te legantur plurima, quæ uel uiuens feceris, uel post transitũ operaris. Nam audiuimus te oratione mortuos suscitasse, lepram osculo depulisse, energuminos curasse uerbo, uenenũ digito compressisse, & alia multa fecisse; hic apparebit uirtus tua, si nunc iuxta fidẽ nostrã hunc suscitaueris paruulũ. Quod si non feceris, non hic ultra colla curuabimus, luminaria accendemus, aut alicuius honoris gratiam exhibebimus. Et hæc dicens, relicto ante altare infantulo, ipsa, & qui cũ ea erant, abierunt. Mane autẽ facto, uenientes inuenerunt eũ ad altare conuersum; & dũ admirarentur, suscipit eũ mater in ulnis, & cognoscens eũ resumpsisse flatum, applicat ad papillam. Qui protinus, hausto lacte, confortatus est. Tunc mater cũ patre uel domo omni eleuata in cœlum uoce, benedixerunt Deũ dicentes, Nunc cognouimus, quia magnus Deus es, & facis mirabilia solus, qui nobis paruulum confessoris tui oratione 121 restituisti. Loco autẽ illi maiorem deinceps q̃ prius fecerant, reuerentiam exhibebant. Hęc ab ipsius Florentii ore ita gesta cognoui.

120 Et in honorem sanctorum antiquitus ædificabantur Ecclesiæ. Quæ eorundem reliquiis consecrabãtur.

121 Ecce quomodo sancti orant pro nobis, & orantes exaudiuntur à Deo.

De eo qui pedem debilem habuit. Cap. 9.

Clericus erat ab Vrbe Pictauo in agro illius regionis, qui ad sanctam basilicam pertinebat, unius usu pedis debilis, quẽ ut ipse asserebat, per incursum dæmonii meridiani perdiderat. Qui inciso fuste ad mensuram

geniculi, pelle superposita ad ipsum geniculum extenso retrorsum uesti gio, gressum, quẽ pede nitebatur agere, fuste adminiculante perficiebat. Ad antedictam basilicam nouem post annos aduenit, fusaq; oratione per triduum, ante tertium festiuitatis diem poplite directo surrexit. 122 Adueniente autem ad sancti solennia populo, qualiter per uirtutem eius sanatus esset, edocuit.

122 *Adueniente ad sancti solennia populo.*

De tibia matris meæ. Cap. 10.

Matri uerò meæ hoc ordine sanctus subuenit. Tẽpore quo transactis parturitionis doloribus me edidit, dolorẽ in uno tibiæ musculo incurrit. Erat autẽ subitaneus tanꝗ clauus affigens, atq; ita fictam grauissimã dabat, ut plerunque eclypsim generaret, nec erat quod eum mitigare posset, nisi cum diutissimè contra ignẽ tentus à uapore foci obstupesceret. Sed etsi unguentũ aliquod parumper fuisset infusum, quiescebat. Quid plura? Post ordinationem meã aduenit Turonum uel ad occursum Antistitis sancti, uel causa desiderij mei. Cum hic igitur per duos aut tres menses cõmorata fuisset, assiduè beati Pontificis auxilium precabatur. Tandẽ respiciente miseratione consueta, discessit dolor tibiæ, qui per triginta-quatuor annos fœminam fatigauerat.

De mulieris manu sanata. Cap. 11.

Sed & alia mulier de Andegauo territorio, digitis in palma defixis, ut ad locum sanctum preces effudit, digitis directis, sanata manu discessit.

De puero à ualetudine sanato. Cap. 12.

Puer familiaris noster correptus à febre grauiter urebatur. Ardebant enim extrinsecus membra, intrinsecus uerò sitis ualida erat. Et si potum aliquem accipiebat, mox rejiciebat à stomacho, nihil tamen capiens cibi. Cumq; in hoc quarto aut quinto anno fatigaretur, petijt ut ei parũper exhiberẽt 123 pulueris de sepulchro ad bibendũ. Quo exhibito, uinoq; dato ut hausit fideliter, recepta sanitate, conualuit.

123 *Hausto puluere de sepulchro sancti, puer ualetudinarius sanatus est.*

De Theodæ pede sanato. Cap. 13.

Theoda uerò Viliacarij quondam presbyteri 124 filia, dum ob humorem pedum frequentius laboraret, unius pedis usum, qui in debilitatẽ redactus fuerat, perdidit. Post hæc ad beatã aduenit basilicam, in qua dũ crebras effunderet preces, amota debilitate, incolumitati donatur.

124 *Filiam presbyteri intellige secundum morem Occidentalis Ecclesiæ, scilicet quæ nata erat ante promotionem ad sacerdotiũ, non post.*

De homine inclinato. Cap. 14.

Erat tunc tẽporis in urbe, quę sub tuitione matris Ecclesiæ habebatur, homo quidã, qui tanꝗ effractis renibus inclinatus ambulabat. Hic iuxta illam Euangelicæ seriei mulierẽ, deorsum procliuis nequaꝗ sursum poterat erigi, sed duob⁹ in ascellis fustibus additis, incuruus agebat gressum. Ad festiuitatẽ autẽ adueniens, tertia die post acta solennia erectus, ab omni incursione diabolica mundatus, sanus abscessit.

De Gundulfo debili. Cap. 15.

Gundulfus uerò quidã ipsius urbis ciuis ab infantia sua cũ Gunthario Clotarij Regis filio habitauit. In cuius dũ haberetur seruitio, ordinante

Rege,ascendens in arborē ut decerperet poma, effracto ramo, corruit, collisoq; ad lapidē pede, debilitatus est. Post multos uerò annos dū in hac debilitate persisteret, & ascenso equo uelociter eū impelleret, ad terram, lapsante gressu, præcipitatur, cōpressumq; pedē alium, qui sanus erat, grauiter læsit. Dehinc portari se ad sanctā basilicā postulat, proiectusq; ad pauimentū orationē fideliter fundit. Nec morata est pietas, quæ semper tribulantibus subuenire consueuit, sed protinus ablato omni dolore incolumis à pauimento surrexit. Igitur per triginta circiter annos, de alio pede, sicut superius diximus, claudicabat. Tandē inspectis propriæ conscientiæ noxis, cōuerti decreuit, scilicet ut humiliatis capillis, ipsi sancto deseruiret Antistiti. Sed prius à Rege prçceptū elicuit, ut res suas 125 omnes basilicæ traderet uiuens. Quo facto, capite tonsurato, impletoq; bonæ deliberationis uoto, pes eius, qui effractis ossibus fuerat breuiatus, est elongatus. Et qui ante à duobus pueris sustentatus ibat, nunc sine ullius hominis adminiculo, quò uoluerit, absque aliquo debilitatis impedimento discurrit.

125 *Vides quod etiā antiquitus adhuc uiuentes omnia bona sua donabant Ecclesijs?*

De cæco illuminato. Cap. 16.

Post hæc puerulus quidā ex Lemonico cçcus aduenìens, lumen recepit oculorum hoc modo. Anno tertio natiuitatis suæ cū iam gressum inciperet figere, erumpenteq; lingua in uerbis labra laxaret, dū matri alludit blandè, dū oscula libat, dū collo eius appenditur, dū in ulnis defertur, cōmota per īmissionem diabolicam ui uenti, puluis à terra cū paleis eleuatur, & super puerū ac matrē eius cum magno turbine fertur; sed rustica mulier & incauta, non tentat se filiumq; Saluatoris uexillo munire, ideoq; prçualentibus insidijs oculi adolescentis repleti puluere obserantur. Qui diu uociferans, tandē mitigatus à matre permansit cçcus. Adultus autē datus est mendicis, ut uel cū eisdem ambulans, stipendij quiddā acciperet. Erant autem parentes eius ualde pauperes. Igitur duodecimo çtatis suç anno aduenit Turonū ante diem 126 solennitatis, qua Deus pater uerbū carni glutinans, mundo salutem inuexit. Decursa autē festiuitatis uigilia, dū recedentibus alijs hic ad pedes sancti decubaret immobilis, tunc sensit quasi pupugisset aliquis oculos eius spiculo, & statim sanguis ab his erumpens cepit defluere per genas eius, auersaq; sursum facie uidit super se cereum elucere, & exclamans uoce magna, ait, Gratias tibi ago sancte confessor Dei, quia uirtute tua lumen recipere merui. O' admirabilis gratia, ò uirtus īmensa, multis enim effectibus dona tua spargis in populo. Nam qui stipem petierat, lumen recepit, & diu exter à luce, uirtutis tuç lumine uultus ornatur. O' si te multorū criminū tenebrç à nostris uisibus non arcerent, nempe uenires uisibiliter, & infirmis uoce Petri diceres, Aurum & argentum non habeo, sed quod habeo, do uobis: In nomine Christi Iesu abite incolumes.

126 *Solennitas Natiuitatis domini.*

De Sigonis Referendarij aure. Cap. 17.

Fuerat causa quçdam ut Remense oppidum peteremus. Cumq; ab

Egidio Episcopo, qui tunc Ecclesiam regebat, benignè fuissemus excepti, illucescente in crastinũ Dominica die, ad Ecclesiam accessimus, residentesq; in sacrario aduentũ præstolabamur Antistitis. Eo tempore sancti Martini 127 reliquias, licet temerario ordine, super me habebam. Igitur sigo Referendarius quondam Sigiberti ad occursum nostrũ accedit, osculatumq; iuxta me sedere depostulo. Sed ille unam habens obturatam aurem, uix de alia poterat quæ loquebamur aduertere. Verũ ubi sufficienter colloquio usi sumus, ille in domo uocatur Ecclesiæ. Protinus igitur ut à me discessit, dirupto auris surdæ claustro, quasi magnũ exinde uentum exire sentiens, auditum recepit: reuersusq; continuo mihi gratias agere cœpit, dicens, Tertia iam dies erat, quo de hac aure auditum amiseram, sed cum tecũ loquerer, sensi uelociter reseratã. Tunc ego confusus, ne mihi adscriberetur, aio, Noli dilectissime fili, mihi aliquid gratiarum referre, sed ei, cuius tibi uirtus auditum restituit. Nam scias beati Martini mecum habere pignora, cuius tibi potentia auditus grauitas est depulsa.

127 *Ecce quomodo deferebat in collo reliquias sancti Martini.*

De infirmitate pecorum. Cap. 18.

Quodam uerò tẽpore dũ sæua lues taliter desæuiret in pecora, ut nec ad recuperandum genus putaretur aliquod remanere, quidã de nostris basilicam sanctam adijt, oleumq; lichnorũ, qui cameræ dependebant, suscepit cũ ipsis aquis in uasculo; deportatoq; domũ, pecora quæ adhuc hic morbus non attigerat, intincto 128 digito in liquore, per frontes & dorsa cruce Dominica signat; ipsisq; terræ animalibus deiectis, ac resupinatis, ex hoc unguento fide plenus fudit in ore. Mox dicto citius, clandestina peste propulsa, pecora liberata sunt.

128 *Vide olei & aquæ ex lichno sancti, necnon Crucis dominicæ uirtutem.*

De cæco illuminato. Cap. 19.

Abfricatinus quoq; incola, cui per sex annos uidendi usus fuerat denegatus, beati confessoris petijt saluari præsidio. Ad cuius 129 basilicã accedens multo honore, ieiunijs & orationibus uacans, auxilium beati implorabat Antistitis. Deniq; adueniente sacrosancta festiuitate, populis missarũ solennia spectantibus, huic uisus est redditus, redijtq; in patriam uidens, qui ad sanctam basilicam alio deducente peruenerat. Ipse autem pro tantæ pietatis gaudio uouit se ibidem tonsurari. Quod postea deuotus rediens impleuit.

129 *Quatuor habes hic notanda. Ieiunia & orationes ad beati Confessoris basilicam. Sancti inuocationem & eius subitum auxilium. Sacrosanctam Martini festiuitatem. Emissionem uoti, & illius adimpletionẽ.*

De alio cæco illuminato. Cap. 20.

Nam & quidam de transmarinis partibus ueniens, dũ opera exerceret in agro, subito orta super se uiolentia uenti cũ puluere, lumine caruit oculorum. Et qui diu cęcis uia fuerat, ipse domũ, alio regente, deducitur. In hac enim cęcitate per triũ annorũ curricula detinetur. Post hęc basilicã beati confessoris expetijt. Ad quã per quatuor annos orationi incũbens, uisitatus uirtute diuina, patefactis luminibus, lucẽ uidere promeruit.

De Iuliano contracto. Cap. 21.

Sed & hęc fama, ut sępe diximus, non solum ad propriam urbem, uerumetiam

rumetiam alijs urbibus, & penè in toto mundo uulgata propatuit. Iulianus quidā ab Hiſpanijs ueniens, manus & pedes habens debiles, ad hunc medicū deuotus ingreſſus eſt, dicēs, Credo indubitanter, ſanctiſſime pręſul, ꝙ poteris mihi ea medelę adiumenta prębere, quę cęteris in te ſperantibus non es ſolitus denegare. In hac credulitate orationi aſſiduę inſiſtens & de Domini miſeratione non dubitans, directis pedibus manibusq;, incolumis eſt redditus.

De muliere ad ſancti lectulum illuminata. Cap. 22.

Verū quia in ſuperioribus libellis ſępius diximus, & in loco illo, de quo migrauit ad cœlos, plerunq; miracula celebrari, quid nuper geſtum ſit, pandā. Mulier indigena urbis Turonicę uiſus claritate mutata, cellulam condatenſem, in qua lectulum beati Antiſtitis habetur, expetijt, putans ſibi præſidium fore, ſi cancellos ipſius lectuli tetigiſſet. 130 Lectulum 150
autem non aliud dicunt, niſi in pauimento illo ſubſtratus cinis, & appoſitus capiti lapis, in quo nocturno tēpore flexa ceruice recumberet. Ergo ad hoc oraculum mulier uiro adminiculante deducitur, in quo per multos dies orationem cōpuncta faciebat. Tandem pietas ad miſerandū ſępe profuſa eam reſpiciens, uiſum mulieri amiſſum reſtituit. Tantaq; deinceps fœminā fides accendit, ut uſque ad diem ſui obitus nunquam à loco illo diſcederet.

Ecce D. Martini lectulus qualis fuerit.

De muto, cui fratres abſtulerunt facultatem. Cap. 23.

Incola autem Andegauenſis urbis, turbatis membris morbo, caput conuertit ad lectulum. Dehinc per ſingulos dies inualeſcente febre, cunctis artubus deſtitutus, auditu & locutione pariter priuatur. Poſt paucos uerò dies cum de febre conualuiſſet, & ſine uoce maneret, ablata ſibi à fratribus facultatis parte, de domo proijcitur, dicentibus fratribus, Hic amens effectus eſt, non patiatur Deus, quòd aut facultati noſtræ inhæreat, aut partem hæreditatis acquirat. Erant autem inquilini, & poſſeſſioni propriæ incumbentes, ſed iniquè cogitantes de his quæ Dei erant, eiecerunt mutum & ſurdum, quem potius fouere debuerant. Ille uerò quanquam ſine his uſibus eſſet, ſenſum tamen in corde retinebat. Porrò autem apprehenſis manu tabulis, & inter ſe colliſis, uocē quęrentis imitabatur. Cum hoc enim artificio ad ſupradictum uicum aduenit, ibiq; alijs ſtipem flagitantibus adiungitur. Sextus igitur iam effluxerat annus, ꝙ pauper iſte à diuitijs ſanctę cellulę paſcebatur. Factum eſt autem ut in una Dominicarum nocte, dum in domo hoſpitis ſui decumberet, ſubito locus ille immenſo repletur lumine; & ecce hic pauore perterritus ſolo proſternitur. Et ſtatim uiſus eſt ei uir quidam ſacerdotali habitu comptus, tangens eum, & crucem Chriſti fronti eius imponens, ait, Dominus te ſanum fecit, ſurge & propera ad Eccleſiam, & age gratias Deo tuo. Ipſe autem eleuata cum gratiarum actione uoce, clamoribus uiciniam complet. Ilicò concurrunt omnes ad ſpectaculū, & mirantur

.B. loquentem, quem prius uiderant mutum. Interea .B. signum moue-
Signum mouetũr horis matutinis. tur horis matutinis, aggregatur & populus, uigilijsq; celebratis uirtus sancti clarificata perpatuit. His diebus duo energumini in hoc loco, eiecto dæmone, sunt inundati.

De oleo crescente. Cap. 24.

Sed reuertamur ad Aridum nostrũ, ĩmo etiam peculiarem, ut ita dicã, beati confessoris alumnum, cui sæpe de suis pignoribus cernere miracula præstat. Hic ad festiuitatẽ sancti cum illa, qua solitus est, benignitate, humilitate, & charitate peruenit. Regrediens uerò ampullam de oleo sancti sepulchri completam secum detulit dicens, Forsitan infirmus aliquis in uia adest, qui de hac beati Martini benedictione corde compuncto accipere desiderat. Deniq; in quodam loco deuota mulier accessit ad eum, exhibens ampullam aliam cum oleo dicens, Rogo te serue Christi, ut tua hoc oleum benedictione sanctifices. At ille, ne uanitati subiectus uideretur, ait, Parua est uirtus mea, sed si placet, oleum de sepulchro beati Martini habeo, ex quo hoc oleum perfundatur. Tu uerò si credis eius uirtutẽ magnam, ex hoc salutem hauries. At illa gaudens petijt expleri, quæ presbyter loquebatur. Vas etenim illud medium erat. Cumq; de hoc liquore, q à basilica sancti assumptus fuerat, perfunderetur, protinus ebulliens oleũ ampullã usq; ad summitatẽ impleuit. Quod matrona cernẽs, admirans uirtutẽ Confessoris beati, domũ reuersa est gaudens.

De digitis cuiusdam mulieris directis. Cap. 25.

Alia uerò mulier, cuius digiti in ipsam palmam defixi erant, basilicã beati Martini Antistitis expetijt. Paucis quoq; interpositis diebus orationem fundens, & sancti auxilium implorans, directis digitis, manum recepit incolumem.

De muliere contracta. Cap. 26.

Ante hoc annos puella in infirmitatem pessimam ruens, mẽbris omnibus debilitata contrahitur. Hæc auditis miraculis, quæ Antistes gloriosus in singulis operabatur, 131 nomen eius inuocabat deuotè. Post dies
131 *Nomen sancti inũocabat deuote.* autem paucos rogat se ad eius basilicam deportari. In cuius 132 atrio diebus multis iacens, fusa sæpius oratione cũ lachrymis, uirtute Põtificis
132 *In atrio basilicæ fusa sæpius oratione cum lachrymis, uirtute Pontificis uisitatur.* uisitatur. Sicq; subueniente diuina misericordia, sanata discessit.

De puero contracto. Cap. 27.

Puer uerò ex Andegauo territorio dum in domo parentũ resideret, per ĩmissionem (ut ipse asserebat) artis diabolicæ manuũ pedumq; perdidit usum, ita ut contractis intrinsecus digitis, ungulæ in palmã defigerentur, neruiq; poplitum arefacti calcaneos ad crura diuerterent. Sicq; per sex annos à parentibus malè baiulatus ad templum sancti Antistitis deportatur. Sed in oratione perdurans, restitutis membris, iuxta nominis sui proprietatem, quasi nouus effloruit Floridus.

De cæco illuminato. Cap. 28.

Clericus ex natiuitate seruus ipsius sanctæ basilicæ, per incursum insi-

diatoris lumine mulctatus, in hospitiolum proprium, nihil ibi laborare potens, residebat ægrotus. Tribus ferè annis hanc sustinuit cęcitatem, & ædem beati sacerdotis expetijt. Ibiq; deprecans consuetam misericordiã, illuminatus redijt ad propria.

De homine, cui fustis in manu adhæsit. Cap. 29.

Ex Turonico uero territorio seruus cuiusdam dum die 133 Dominico sepem componeret, manus eius ad lignum ipsum hærere ceperunt. At ille uelociter extracta dextera, dum factũ admiratur attonitus, manus ipsa cũ dolore magno contrahitur, defixæq; sunt ungulæ in palmã; contractisq; totis digitis dexteræ, ad diuersorium regreditur cum mœrore. Post quatuor uerò annos ad basilicam sancti aduenit, orationeq; facta sanatus est, prædicans populis ne factum eius quis imitaretur, ne tanti diei solennia auarus agricola macularet, ne resurrectionis sacræ, redemptionis nostræ cœleste mysterium, humanitas infirma terrena exercens opera dissolueret. 133 *Non laborandum die Dominico.*

De puero à dolore stomachi sanato. Cap. 30.

Puerulus quidam ex Albigensi, tabescente diuersis morbis stomacho, cibũ, potumq; exhorrebat. Cumq; per dies multos in hoc languore cruciaretur, ipsum quoq; quod accipere uidebatur, cum graui reijceret amaritudine, fide plenus desiderium habuit ueniendi ad basilicam beati confessoris. In qua per triduum ieiunans, & orans, die quarta accipiendi cibi desiderium capit, uinumque bibens confortatus est. Dehinc gratias agens sanus discessit.

De dextera mulieris arida. Cap. 31.

Mulier quędam ex Andegauo ueniens, quæ omnibus quidẽ membris arida erat, sed præcipue dexteram cum digitis aridiorem cæteris artubus deferebat, ad sepulchrum sancti prosternitur. Exinde egressa per paucũ tẽpus in atrio cõmorata est. Succurrente uerò interuentu Antistitis gloriosi, uena sanguinẽ, cutis ruborẽ, corpus reliquum fortitudinẽ recipiens solidatũ est. Cuius hæc fuit causa ut ista perferret, quia die sabbati post solis occasum, qui nocti Dominicæ adiacebat, panẽ uoluit conformare.

De muliere, cuius manus in se hæserunt. Cap. 32.

Simile huic alia mulier fecit, cuius manus retrorsum contractæ, & ad se inuicem coniunctæ adhæserunt. Cumq; doloribus maximis uexaretur, uiam ingreditur, dicens, si ad basilicam beati Martini abiero, protinus hæc abscedet infirmitas. Confido enim quod & mihi subueniet, qui sępe talia perferentibus est misertus. Hæc cum ita ageret, & inceptum ut poterat carperet iter, manus eius separatæ sunt, non tamen directis digitis. At uerò ubi ad locum sanctum accessit, & orationem fudit, protinus ablato omni dolore, solidati sunt digiti. Et manus solidas cum gratiarum extulit actione.

De morbo caballorum. Cap. 33.

In Burdegalensi autem regione hoc anno grauis caballorum extitit

morbus. Apud urbem uerò Marciacenſem, quæ in hoc termino continetur ſubdita ditionibus beati Martini, oratorium eſt eius, & nomini, & uirtutibus conſecratum. Denique adueniente ſupradicta clade, accedebant ad oratorium 134 uota facientes pro equis, ut ſcilicet ſi euaderent, ipſi decimas loco conferrent. Cumq; his hæc cauſa cõmodum exhiberet, addiderunt ut de claue 135 ferrea, quę oſtium oratorij recludebat, caracteres caballis imponerent. Quo facto, ita uirtus ſancti præualuit, ut & ſanarentur, qui ægrotauerant, & qui non incurrerant, nihil ultra perferrent.

134 *Ecce uota ſub conditione quæ tantum improbant moderni ſcioli.*

135 *Vide piam deuotionẽ fidelium, ut etiam claue oſtij Oratorij ſancti factis caracteribus, equorũ infirmitatibus mederentur.*

De lue, quæ cum ueſicis fuit. Cap. 34.

Superiori quoque anno grauiſſimè populus Turonorum à lue ualetudinaria uaſtabatur. Erat enim talis languor, ut apprehenſus homo à febre ualida, totus ueſicis, ac minutis puſtulis ſcateret. Erant autẽ ueſicę albę cũ duritia, nullam habentes molliciem, niſi tantũ dolorem nimium inferentes. Iam ſi data maturitate crepantes cepiſſent defluere, tunc adhærentibus corpori ueſtimẽtis, dolor ualidus augebatur. In qua ægritudine nihil medicorũ poterat ars ualere, niſi cũ Dominicũ affuiſſet auxilium. Multi enim de baſilica ſancta benedictionẽ petentes, opẽ merebantur. Sed quid de plurimis memorare neceſſe eſt, cũ id meruerint cęteri, quod unã uidimus meruiſſe? Vxor ergo Eborini Comitis cũ ab hac lue detineretur, ita his operta ueſicis eſt, ut neque manus, neque plantæ, neque ulla pars corporis eius remaneret uacua, ſed & ipſi quoque oculi ab his continebantur obtecti. Cumq; iam in diſcrimine mortis haberetur, ſancti ſepulchri benedictionẽ expetijt. Tunc tranſmiſſum eſt ei de aqua, 136 qua beati tumulus eſt in Paſcha Domini ablutus. Denique delibutis ex ea uulneribus, ipſa exinde potum ſumpſit. Mox igitur reſtincta febre, ſine dolore decurrentibus ueſicis ſanata eſt.

136 *Delibutis ulceribus aqua qua ſancti tumulus ablutus eſt, mulier ſanata eſt ab infirmitate ſua.*

De duobus paraliticis, & uno cæco ſanato. Cap. 35.

Sed quando multæ uirtutes ſunt, quas orbis totus experitur, de quibus ad nos nec minima ut opinor pars peruenit, uel illa, quæ uicinitas experitur indicemus. Inuitatus itaque Badogiſilus Canomannorum Epiſcopus ad quendam locũ dioceſis ſuæ, uenit ad baſilicã beati uiri, & nomine & 137 reliquijs conſecrandam. Vbi autem celebrat ſolennia, inuocantes 138 ſancti Martini nomen, duo paralitici greſſum, cęcusq; unus uiſum recepit.

137 *Cũ reliquijs ſanctorũ conſecrantur Eccleſiæ,*

138 *Inuocãtes ſancti Martini nomen duo paralitici greſſum, cæcusq; unus lumen recepit. Quis ergo poteſt reprehendere ſanctos inuocantes?*

De Auguſto contracto. Cap. 36.

Auguſtus autem quidam ciuis urbis Turonicę dum nimio renum dolore laboraret, contractis pedibus penè ad ipſos renes, peſſimè debilitatus eſt. In qua infirmitate per duorum annorũ curricula laborauit. Deinde à ſuis cõmonitus baſilicã ſancti expetijt, ibiq; per ſeptem dies ieiunans & orans, dempto dolore, directisq; pedibus, ſanus abſceſſit.

De puella muta. Cap. 37.

Hoc tẽpore & mulier quædam dum diſcedentibus paribus ſola remãſiſſet ad telam, apparuit ei umbra teterrima, quæ arripiens illam trahere

cepit.

cepit. At illa uociferans & plangens, cum nullum aſpiceret auxilium, uiriliter tamen reſiſtere conabatur. Poſt decurſa uerò duarum aut trium horarum ſpatia, regreſſæ mulieres reliquæ inuenerunt eam ſemiuiuam humo iacentem, nihil penitus loqui poſſe. Innuebat quidem illis manu; ſed nihil eis intelligentibus, hæc muta permanſit. Vmbra uerò, quæ ei apparuerat, intantum hominibus domi illius inſidiata eſt, ut relinquentes locum alio cõmigrarent. Poſt uerò, duorũ, aut trium menſium diebus decurſis, ad baſilicã puella ueniens, eloquium meruit recipere. Sicq; cuncta, quæ pertulerat, ore proprio enarrauit.

De diacono Catalamenſi. Cap. 38.

Igitur Catalamenſis diaconus, ut mos genti eſt, alijs matutinas gratias celebrantibus, cum potum hauriret, oculorum amiſſione mulctatur, recognoſcensq; reatum ſuũ, & ſe non digna propoſito ſuo geſſiſſe, ſuſpenditur à cibo potuq;, pernoctans in uigilijs, orationibusq; inſiſtens. Interea dum hæc ageret, fama, quæ totum compleuit orbem, ad eius aures uſque peruenit, eſſe apud Turonos Martinum Antiſtitem, ad cuius ſepulchrum ſæpe talium infirmitatum clades depulſa quieſceret. Nec moratur diaconus, ſed illò iter inſtrui iubens, ad baſilicam ſanctam non dubius de uirtute beati uiri peruenit. Ibique proſtratus 139 ſolo, orationi ſubnixus, die tertia apertis oculis lumen recepit. Ego autem cautius nitens extorquere ueritatem, cur ei hæc eueniſſent, hæc ab eo didici. Ante hos, inquit, ſeptem menſes dum cõmoto matutinis ſigno, Eccleſiam peterem, obuiam habui unum amicorum meorum; in cuius amplexus, & oſcula ruens, ſciſcitari cepi, ſi cuncta domi proſpera reliquiſſet. Tunc reuocatus à uia potum cum eodem haurire cepi. Poſtquam autem charitatem per pocula expleuiſſe uiſus eſt, ualedicto abſceſſit. Quo abeunte, tantæ oculis meis caligines coniunctis palpebris adhæſerunt, ut eos nullatenus aperire poſſem. Denique cum hac infirmitate triſtis abirem, deſiderium habui ſepulchrũ beati Antiſtitis uiſitare. Die autem tertio poſtquam ueni cum eius ſepulchro aſſiſterem, ſubito febris magna oculos meos arripuit. At ego ingemere uehementer cepi, & ſancti auxilium fortiter deprecari. Ilicò autem erumpens ex oculis meis ſanguis noctem pepulit, lucemq; reduxit. Hæc nobis diaconus affatus, incolumis remeauit ad propria.

139 Proſtratus ſolo in baſilica ſancti, orationi ſubnixus, apertis oculis lumen recepit.

De muliere contracta, & cæca. Cap. 39.

Erat etiam mulier quædam cæca, quæ contractis retrorſum manibus ac pedibus, cum parentum ſolatio celebrare beatam feſtiuitatem glorioſi Antiſtitis expetiuit. Quæ cum die tertia poſt decurſam feſtiuitatem domum redire cuperet, 140 proſtrata in ſancta baſilica orare cepit, ut ei Dominus ſolitam miſericordiæ ſuæ opem dignaretur oſtendere. Quod dum cum lachrymis peteret, ilicò directis manibus, ac pedibus ſtabilitis, ad ſanctum adducta ſepulchrum gratias pro accepta ſoſpitate peregit.

140 Et hic habes orationẽ cum proſtratione & lachrymis.

Post hæc rogat se deduci ad ostium, ubi prostrata iterum dicit suis, Non hinc consurgam, nisi prius mihi oculorum lumen reddat, qui pedum, manuumq; restituit usum. Hæc ea dicente, subito energumeni torqueri se proclamant, & Martini adesse 141 præsentiam confitentur. Sed cum diabolus, qui ab initio mendax est, ad credendum minime admittatur, rebus ipsis uiri præsentia declaratur. Nam fœmina hæc, quæ pauloante directa fuerat, nunc illuminata, interesse beatū Antistitē approbauit.

141 *Martini adesse præsentiam probant miracula quæ geruntur. Probant etiam dæmones qui compulsi fatentur se à sancto torqueri, licet his non sit usque quaq; credendum.*

De Paralytico sanato. Cap. 40.

Modico autem succedente spatio, iacebat paraliticus unus in grabato, qui ex Biturico plaustro deuectus aduenerat. Ipse etiam pari modo uirtute beati Antistitis surrexit incolumis, suisq; redditus gressibus, consanguineorū spectante caterua, sanus excipitur.

De catenis super puellam confractis. Cap. 41.

His diebus puella quædam iam ex liberis parentibus procreata, à filijs patroni, confracta libertate, ad iugum seruitutis addicitur. Vnde factum est ut illa non acquiescente iniustis Dominis quicquam operis exercere, catenis & compedibus uinciretur. In qua custodia dum alijs beatam festiuitatem expetentibus resideret, flens & eiulans cur non interesset beatæ festiuitati, subito trabs, in qua pedes eius arctati erant, scinditur, & hæc quasi libera, nexa quidem catenis, beatam basilicam expetiuit. Vbi uerò primum pedes sacra limina contigerunt, statim confractę catenæ ceciderunt à collo eius; & sic incolumitati pariter libertatiq; donata est.

De libro uitæ eius inter flammas saluato. Cap. 42.

Quid si ad ipsa beatæ uitæ scripta recurram? Nunquid non erit admirabile, quòd sacer ille huius historiæ liber circundatus flammis, nec adustus est, nec consumptus? Monachus igitur maioris monasterij ex iussu Abbatis ad cellulam aliam quasi aliquid operaturus accessit, ac pro salute animæ, ac uitę correctione, librum uitę Antistitis detulit secum. Adueniente uerò nocte, in lectulo se diuturno oppleto stramine collocat, librū ad caput locans. Cui dormienti apparuit uir per somnum dicens, Noli dormire in his paleis, sanguine enim aspersę sunt. Facilis autē prima uisio uiro fuit; nec secunda cōmonitio ualuit. Tertia igitur terribiliter monachum quatit. At ille surgens, & ad operam diluculo progrediens, puero iubet ut paleas à lectulo detractas igni consumeret, nihil de libro cōmemorans. Puer ignarus inter paleas apprehensum librum foras eiecit, & ignem accendit. Quibus in fauillam redactis cum nihil aliud nisi cineres remansissent, apparuit liber illęsus, de quo non litera, non unum, ut ueritas habet, folium est consumptum. Ita uirtus diuina custodire dignata est alumni quodammodo proprij laudes, ut librum eius flamma non ureret, quem aculeus concupiscentię in hoc seculo non adussit. Sed ne cui incredibile uideatur, index ipse nobiscum usque hodie retinetur.

De duobus pueris sanatis. Cap. 43.

Denique cum quadam uice iter ageremus, duo de custodibus equorum ægrotare ceperunt. Et unus quidem eorum ualetudine, alter dissinteria laborabat. Vtrunque tamen febris ualida detinebat, lassatiq; taliter erant, ut nec super dorsa caballorũ possent impositi sustineri. Extractum autem puluerẽ, quẽ de sepulchro sancti abstulerant super capsellam, delibutum aqua ipsis haurire 142 præcipio. Mox compressa febre, restrictoq; dolore, uterque conualuit.

142 *Hausto puluere de sancti sepulchro pueri a dissenteria & febribus conualuerunt.*

De Madulpho contracto. Cap. 44.

Inclyta enim sunt miracula, quæ quotidie 143 Dominus ad laudẽ Antistitis sui operari dignatur, &, ut sæpe testatus sum, hæc à me imperito narrari non possunt; tamen, ut ipsa imperitia præstat, elucubrabuntur, ne contemni uel obliuioni tradi uideantur. Madulphus quidam Turonici territorij ciuis, ægritudine sæua compressus, lectulo in suo anhelus occubuit, ex quo tabescens incõmodo, manibus pedibusq; contrahitur. Quinque uerò annorũ curricula in hac debilitate sustinuit. Sexto deniq; anno ad sancti basilicam se efferri deposcit; in qua orationi incũbens, perdita debilitate, sospitatem meruit adipisci.

143 *Ecce quõo miracula q̃ ad sanctorum inuocationem fiunt, dominus Iesus Christus operatur in illis siue per illos ad laudem illorũ.*

De alterius manibus contractis. Cap. 45.

Et ne ob hoc cuiquã quę referuntur uideantur incredibilia, quia singulorum nomina non sunt in paginis prænotata, Facit hoc hæc causa, quia cum à sancto Dei incolumitati fuerint redditi, statim recedunt. Et aliquoties ita clam redeunt, ut, si dici fas est, à nemine uideantur. Cumq; rumor surrexerit beati Antistitis apparuisse uirtutem, uocatis ad nos custodibus ædis, quæ sunt acta cognoscimus: Nomina tamen non semper ab his didiscimus. Illos uerò plerunque nominatim scribimus, quos uidere potuerimus, aut ipsi discutimus. Venit ad festiuitatem uir quidam ex Byturicensibus debilis, cuius digiti in palma erant infixi tantũ ut putarentur uermibus scatere. Sed celebrata solennitate, directis ambarum manuum digitis, incolumitati donatus est, uiditq; eum omnis populus sospitem redeuntẽ. Cui causa debilitatis ex hoc contigit, quod sepem segetis die 144 Dominico componere uoluisset.

144 *Vides quot signa facta sint contra eos qui Dominica die operari uolunt?*

De mulieris brachio contracto. Cap. 46.

Mulier à Pictauo territorio erat, cuius brachium contractis neruis emarcuerat. Ad sepulchrũ autem beati uiri ueniens, ac in 145 oratione uigilijsq; pernoctans, brachium suũ sanum retulit. Sed ilicò à dominis in seruitute mancipata, eadẽ incurrit. Reuertitur iterum, & sanatur. Tunc uenientes domini eius, & eam abducere nitentes, accepto de rebus pretio quieuerunt; & ita hæc libertati donatur.

145 *Ad sepulchrum beati uiri in oratione ac uigilijs pernoctans, brachium sanum retulit.*

De eo qui pro debito tenebatur. Cap. 47.

His certè diebus cum quidam pro dissoluendo debito, quod in necessitatibus suis contraxerat, interpellaretur, nec esset uirtus atque facultas ad

reddendum quæ mutuauerat, in carcere coarctatur. Deinde cum uideret creditor, quòd ei nihil extorquere posset, quia nihil habebat, nec esset qui ei manum misericordiæ porrigeret, arctius eum in uincula constringit, negatoq; cibo ac potu dicebat, Ego te faciam ad omnium documentum fame tabescere, donec omnia reddas. Hæc autem cum agerentur, sancti Antistitis reliquiæ, quæ in suessonicum pagum ferebantur, per plateam 146 præteribant. Auditis itaque uinctus psallentium uocibus, orauit, ut eũ uirtus Antistitis sancti uisitaret. Statimq; dissolutis ligaminibus, nullo retinente, basilicam sanctam ingreditur. Dehinc à deuotis redemptus, à nexu debiti absolutus est.

146 *Vides sanctorum reliquias per plateas deferri cum honore & psalmodia?*

De cæca illuminata. Cap. 48.

Factum est autem in una festiuitate, ut mulier, quæ perdito lumine in cęcitate durabat, auditis sancti uiri miraculis, alacri deuotione basilicã eius expeteret. 147 Prostrata autem super nudam humũ ante sepulchrũ, mox ut orationem fudit, lumen recipere meruit.

147 *Orat prostrata ante sepulchrum sancti, & lumen recipit.*

De paralytico omni corpore. Cap. 49.

In hac solennitate aduenit puerulus oculorũ obtutibus clausis, aurium aditibus opilatis, oris officijs obstructis, manuũ usibus perditis, gressibus condemnatis. Quid plura? Ita erat omniũ membrorũ usu præmortuus, ut solo spiritu palpitaret. Vt autẽ locum sanctũ attigit, omni prorsus debilitate summota, cũ gratiarum actione sanus abscessit.

148 *Ecce festiuitas sancti Martini, & celebratio uigiliarum eius.*

De presbytero à febre sanato. Cap. 50.

Lupus Burdegalensis urbis presbyter quodam tempore grauiter à quartano tipo uexabatur, ita ut accedente febre, neque cibum, neque potum sumere posset. Interea aduenit 148 festiuitas sancti Martini antistitis, & ille celebratis cum reliquo populo uigilijs, mane pręcedit omnes, & ad basilicam sancti festinat. Dum autem properaret, obuium habuit Iudæum, & eo inquirente quo pergeret, respondit, Tipum quartanum incurri, & nunc ad basilicã sancti propero, ut me uirtus eius ab infirmitate hac discutiat. Qui ait, Martinus tibi 149 nihil proderit, quem terra opprimens terreum fecit, & tu casso eius ędem expetis. At ille despiciens uerba serpẽtis antiqui, abijt quò ceperat, & prostratus corã sanctis pignoribus, orationẽ fudit, reperitq; ibi duas candelas ex cera & papiro formatas. Quibus assumptis ad domum redijt, illuminatisq; eis 150 fauillam papiri cũ aqua munda hausit, moxq; sanitatẽ recepit. Iudęus uerò ab hac infirmitate correptus, per anni spatium uentilatus est. Sed mens iniqua neque tormentis mutari potuit unquam.

149 *Hæc eadem est uox hæreticorum nostrorũ contra sanctos, sed uera domini uirtus præualet mendacio.*

150 *Hausta fauilla papiri candelarum de sepulchro sancti cum aqua mũda, Quartanarius sanatus est.*

De Cardegisili filio sanato. Cap. 51.

Cardegisilus uerò Sanctonicæ urbis ciuis, cognomẽto Gyso, susceptis nobis ad domum suam, inuitat ad oratorium, quod mater eius ædificatum beati Martini reliquijs 151 consecrauit. Denique cum expleta oratione, soliciti essemus, si ibidem uirtus sancti Antistitis ostensa fuisset, respondit. Ante annum tertium puerulus iste filius meus, quem coram cernitis,

151 *Consecrauit, sano modo intellige pro honorauit seu illustrauit, uel cõsecrari curauit. Nec enim mulier oratoria aut basilicas dedicat, sed solus sacerdos. Nisi sis ex parte Lutheranorũ qui uolunt omnes etiã fœminas, ex æquo esse sacerdotes.*

cernitis,cum adhuc penderet ad matris papillam, incõmodo agi cepit,ac per triginta dies & eo amplius inter manus nõ ſine labore deportabatur, donec ita afflictus eſt, ut nec mamillam ualeret ſugere, nec alium capere cibum. Deficiente autem eo, iam die ſexto poſtquã grauius agere cepit, depoſuimus eum ante altare flentes,atque eius obitum pręſtolantes.Ego autẽ dolorẽ non ferens diſceſſi à domo,mandans mulieri ut cũ obiſſet,ſtatim ſepulturę eum locaret.Flente autem genitrice,iacuit infans uſque ad ueſperũ.Cadente autẽ ſole,eleuat uocẽ ſuam dicens,Dulciſſima ſoror ubi es? Sic enim genitricẽ,ut blanditia infantium habet,uocitare ſolitus erat. At illa accurrit dicens, Adſum fili dulciſſime. Suſceptoq; eo in ulnis, & mox porrecta papilla,hauſto lacte,protinus conualuit.

De clerico diſſinterico. Cap. 52.

His diebus quando nobis hæc relata ſunt,unus clericorũ noſtrorũ uentris fluxum incurrit cũ febre,ac nimiam defectionem ſtomachi: & quæ proijciebat per inferiorem partem,pars maxima cruor erat.Et ea eũ magis affecerat, quia cibum , quem accipiebat, inualeſcente nauſea, ſtatim reijciebat. Sed protinus,ut de ſepulchro bibit,omni infirmitate dempta, firmatus eſt.

De appenſo abſoluto; item de alio. Cap. 53.

Sed nec hoc ſilendum putaui, quòd ſępius in morte præcipites extenſa pietatis dextera ſubleuauit. Denique noſter ſeruus à iudice pro furti ſcelere cõprehenſus patibulo adiudicatur. Qui dum duceretur,nomen beati Antiſtitis inuocabat,dicens,Libera me ſancte Confeſſor ab ĩminenti periculo. Appenſus igitur ac ſolus relictus,cõmoto ſubito uento,audiuit uocẽ dicentẽ,Liberemus eũ. Et ecce à quatuor partibus cœli cõcuſſus ſtipis qui hominẽ ſuſtentabat, cũ immenſo ceſpite, in modũ arboris eradicatæ, à terra diuellitur, & ſic homo morti deditus rediuiuus erigitur. Alius quoq; qui multa fecerat ſcelera,& cõpunctus à Deo pœnitentiam pro malis quæ geſſerat,agebat,apprehenſus cum ſimili nece damnatur, inuocans ſemper beati Confeſſoris auxilium. Qui cũ appenſus fuiſſet, diruptis uinculis illæſus ad terrã ruit.Sed mala mens hominũ iterũ apprehendit,quẽ Deus eripuit.Quod audiens Abbas monaſterij,à loco proximo cucurrit ad comitẽ rogaturus pro eo (Erat enim longe exinde quaſi tribus milibus) obtentaq; ab eo rei huius uita, redijt, uiuumq; reperijt. Quo á ſuſpendio depoſito,adduxit ad monaſterium profitentem atque dicentẽ,Quia ſenſi uirtutẽ ſancti Martini,qui me eripuit.

De muto ſanato. Cap. 54.

Erat homo infra terminum Turonicæ urbis ex uico Montis Laudiocenſis,& homo ille erat natura ſimplex,nexus uinculo coniugali.Cui cũ coniuge quieſcenti nocte media pauor exoritur, exterritusq; ac de lectulo exiliens,dum per hoſpitiolum ſuũ uagatur,trepidus,uocis perdidit famulatum.Nec moratus indicat nutu coniugi,ut eum ad ſancti baſilicam

exhiberet. Qui adueniens dum ante dictũ sepulchrũ per sex assiduè decubat mẽses in oratione, absoluta lingua, eloquium sicut antea habuerat, recipere meruit uirtute beati.

De mulieris manu contracta. Cap. 55.

Mulier trans Ligerim in die Dominico cũ operam exerceret, quã in die illo fieri 152 patrum inhibet authoritas, manus eius contracta diriguit, digitiq; in palmã defixi sunt. Quæ dum doloribus cruciaretur, ad sanctam ædem Confessoris accessit, 153 uouitq; ut si ab hac sanaretur infirmitate, nullum opus deinceps in hac dominicæ resurrectionis ageret die, quod illi diei esset incongruũ. Statimq; amotis digitis à palma, manu directa discessit.

152 *Vides ex patrum authoritate inhibitum opus manuum in die Dominico?*

153 *Ecce uotum sub conditione, & uotũ de his ad quæ ex Christiana professione alias mulier tenebatur. Et utrunque contra hæreticos.*

De muliere contracta, & cæca. Cap. 56.

Magna est enim pietas Confessoris, quæ sic arguit insipientes, ut ponens uitium ante oculos, reddat in posterum emendatos. Pro hac causa muliercula debilitatur. Nam cũ die Sabbati post solis occasum, qui adiacet resurrectionis 154 Dominicę nocti, panẽ furno collocaret, brachiũ eius dolore quatitur. Post iniectum alium, & tertium panẽ, manus inuita lignũ quod tenebat, cepit astringere; intelligensq; mulier diuinę se uirtutis iudicio condemnari, uelociter palam, quã tenebat, abiecit; nihilominus non effugere potuit pœnam. Nam ita manus eius graui dolore contractę sunt, ut ungulæ in ipsa defigerentur palma. Ex hoc nullius medici se credens posse fomento sanari, beati basilicã expetiuit. Ibique fideliter orans, directis manibus sanata discessit; uouitq; ut per singulos menses una hebdomada ad sanctum tẽplum ueniens debeat Deo & beato Antistiti deseruire. Quod per unũ annũ eam obseruasse manifestissimè cognitum est. Post 155 annũ uerò intermissa unius mensis hebdomada, non accessit ad sanctam basilicã. Sedenti uerò in hospitiolo suo oculus à dolore transfigitur. Illum autẽ cõprimens perdidit. Alius quoque dolere cepit extẽplo. Ita in unius horæ momento cęca ambobus oculis efficitur. Nec mora, confessa culpã ad præsidia nota confugit. Ibiq; orationem suppliciter fundens, ac pęnitentiam pro negligentia cõpuncta agens, die octaua, sanguine ab oculis profluente, illuminata est.

154 *Vide similem casum in alia quæ uiolauit dominicæ diei festiuitatem.*

155 *Cum quis uouerit, oportet uotum soluere iuxta illud p̃s. Vouete & reddite. Alias Deus uindicat in uotorum fraudatores.*

De cæco illuminato. Cap. 57.

Hominis cuiusdã oculi crassę caliginis nube contecti, quodam glutino coniunctis palpebris fuerant obserati, & quod supererat uiro magnis doloribus tenebatur. Quid plura? Festiuitatẽ sancti cũ reliquis deuotus expetiit, attente exorans, ut à uirtute beati Antistitis uisitari mereretur in die solennitatis. Sed sacra solennia præuenit potentia Confessoris, ostendens se adesse populis, cum tenebras pepulit, lumenq; refudit. Igitur ante diem tertium festiuitatis hoc in atrio, quod absidam corporis ambit, orãte, subito aperti sunt oculi eius, & aspiciens lucẽ uidere meruit. Quod cũ his qui aderant cũ gratiarũ actione narraret, dictum est ei ut silens potius

orationẽ funderet, quò ceptam uirtutẽ beatus Antistes celerius adimple
ret. 156 Tunc prostratus terræ cum in lachrymas prorupisset, firmatis 156
oculis, à solo incolumis surrexit.

Tunc prostratus terræ cum in lachrymas prorupisset, firmatis oculis, à solo incolumis recessit.

De paralitico, & duobus cæcis sanatis, & duobus energuminis emundatis. Cap. 58.

Post diem uerò tertium huius solennitatis erat quidã paraliticus hoc in loco exorans, cui debilitas hac de causa, ut ipse enarrauit, euenerat, quia dum esset puer paruulus, & cũ reliquis pastoribus pecorũ in campo custodiam gereret, super fontẽ quendam obdormiuit. Tandemq; relictus à somno, dum consurgere nititur, doloribus coarctatur. Mox membris omnibus contractis, ac retortis extrorsum brachijs, contractis in poplite neruis, calcaneis ad crura deductis, cũ nulla esset uirtus eundi, ĩmensæ ab eo lachrymę magnis uocibus effluebant. Reuersis autẽ socijs ad uisenda pecora, hic eiulans inuenitur. Dehinc parentũ ulnis ablatus domui restituitur. Post dies uerò paucos cũ parumper à doloribus laxaretur, mendicis quibusdam deputatus est, cũ quibus per decem aut eò amplius annos regiones urbesq; circumiens, ad hanc festiuitatẽ adueniens, mẽbris omnibus solidatus est. Duo eadẽ die illuminati cæci, duo energumini ad sepulchrum Antistitis emundati sunt.

De puero febricitante. Cap. 59.

Adolescens quidam ex nostris, nocturnis febribus uexabatur, intantũ ut ab hora diei octaua usque in crastinũ secunda diei hora, nullam æstuãdi quietem posset accipere. Erat enim ei & horribilis omnis cibus, nec quicquã unde cõfortaretur, accipiebat. Dolor etiam sæuus mẽbra omnia quatiebat, sed & pallor genas obsederat. Dumq; sic inter manus ferretur parentũ ut æger, ægre obtinere potuit, ut ad sepulchrum beati Antistitis
deferretur. Tandẽ allatus, ut de 157 sacrosancto tumuli puluere diluto 157
potũ sumpsit, mox ab hac benedictione, fugato uniuerso dolore, febris extincta est. Nec mora, secreta digestionũ loca puer expetit, deducitur in angulo uentris purgandi gratia. Verũ ubi uoluntatẽ alui, flatu impellente profudit, statim duo uermes ab eo in modum serpentũ processerunt. Qui ita moueri oculis omniũ uidebãtur, ut uiuere putarentur. His ergo ab eo digestis, ilicò ad plenũ sanatus, & cibũ, ut solitus erat, hausit, & potum, ruborq; genis, fugato pallore, redditur, mẽbrisq; omnibus solidatur.

Vt de sacrosancto puluere diluto potũ sumpsit, febris extincta est.

De his quæ in meo itinere gesta sunt. Cap. 60.

Oportunitatis causa nuper extiterat, ut ad uisitandã genitricẽ meam
in territorium Cabilonensis urbis adirem. Sed metuens superuenturas 158
infirmitates, de hoc 158 puluere sepulchri beati Antistitis auferre, & mecũ deferre præsumpsi, scilicet ut cũ quemlibet nostrũ morbus aliquis inuasisset, uirtus sancti ope cõsuetudinaria subueniret. Vbi igitur ad matrem accessi, protinus unum puerũ febris cũ dissinteria arripit, atterit & consumit, ita ut negato usu uescendi, de solis febribus aleretur. Die tertia

Vide quot ægrotantes beato hoc puluere hausto sanati sint.

cum hæc audissem, delibutum puluerẽ ad bibendũ porrigo moribundo. Statimq; fugata febre, sedatoq; dolore conualuit. His diebus à Verano Antistite audiui, quod quodam tempore dum typi quartani æstu ureretur, expetita beati Martini basilica, quæ in illo loco erat, celebrata uigilia, sanatus fuit. Nos uerò ex hoc itinere Auernum uenientes, reperimus Auitum Episcopum à tertiano typo ita grauiter concuti, ut etiam si aliquid cibi sumeret, statim reijceret. Sed de hoc pignore potu sumpto, calcata febre roboratus est. Duos ex pueris nostris ualetudinaria febris inuaserat, omniumq; membrorum iuncturas (ut ex hoc contagio plerunque assolet) dolor sæuus obsederat. Sed ab hac benedictione potati, sanati sunt. Ego ipse in hoc itinere cum dolorem dentium grauiter sustinerẽ, & iam non solum ipsi dentes, sed omne caput uenarum pulsibus, ac dolorum spiculis figeretur, ac tempora ualde prosilirent, hoc præsidium expetij, & mox dolore compresso conualui. O` tyriacam inenarrabilem, ô pigmentum ineffabile, ò antidotum laudabile, ò purgatorium, ut ita dicam, cęleste, quod medicorum uincit argutias, aromatum sanitates superat, unguentorumq; omnium robora supercrescit, quod mundat uentrẽ ut agridium, pulmonem ut hysopus, ipsumq; caput purgat ut piretrũ. Etiam non solum membra debilia solidat, sed quod his omnibus maius est, ipsas conscientiarum maculas abstergit ac leuigat. Sufficiant ergo hęc huic libello quæ indita sunt. Tamẽ si adhuc miracula cernere meremur, placet ea alteri libello inseri, ut ea quę ostenduntur, non occultari, sed magis debeant propalari. De cætero uerò uirtutem eius deposcimus, ut qui talia præstat ex tumulo, nos iam à peccatis Deo mortuos suscitare dignetur mortis istius de sepulchro; ut in illo resurrectionis carnis nostræ tempore, nobis obtineat 159 indulgentiam, cum ille prouehetur ad coronam.

159 *Ecce quō sancti ueniam nobis peccatorũ à Deo impetrant.*

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

PROLOGVS.

SAluberrimo nos hortatu propheta admonet, dicens, Honorandi sunt amici tui Deus. Nihilominus & in alio Psalmo, Qui timentes Dominum magnificat, beatitudini copulatur domus æternæ. Ergo perspicuè patet intellectui humano, quòd admoneantur quique non solum immunes crimine, uerumetiam noxiali criminis multæ dediti, 160 cultum reuerenter reddere amicis Dei. Quæ res non solum in præsenti seculo tribuit beneficium, uerumetiam præstat & refrigerium in futuro. Nam cum sæpe uideamus uirtutum insignia prodire de tumulo beatorum, non immeritò cõmonemur debitam eis honoris reuerentiam impen-

160 *Vides sanctos tanquã Dei amicos honorandos, & cultum eis reuerenter reddendum sed cultum duliæ, non autem Latriæ.*

dere, à quibus non desistimus infirmitatū remedia flagitare. Quorum precibus & ipsam peccaminum remissionē non dubitamus adipisci; & non modo hanc mereri, uerū ab infernalibus supplicijs eorū interuentu saluari. Confidimus enim q; sicut hic morborū genera reserant, 161 ita illic sæuas tormentorum pœnas auertant, & sicut hic mitigant febres corporeas, ita illic restringant æternas: Et quomodo hic luridæ lepræ ulcera sordentia mundant, ita illic delictorū languoribus mederi suo interuentu obtineant; Ac sicut hic mortuorum cadauera ad uitam resuscitant, ita illic peccato 162 sepultos, ex Acheronticis stagnis manu iniecta erutos uitæ æternæ restituant. Quocirca dum unusquisq; lætificatur in gaudio sub patrono, tunc impensius honorem reddit debitum, cum se senserit ab infirmitate qua detinetur, eius uirtute mandatum: Sicut nunc de beato, ac tota orbi peculiari patrono Martino Antistite, & nos, & innumeri populi sunt experti. Et utinam ignauia mentis nostræ permitteret eum sic uenerari, sicut decet 163 amicum Dei, qui tantis nos morborum oppressos generibus plerunq; restituit sanitati.

161 Ecce quantā habent sancti potestatem post mortem.

162 Quod restituant sancti uitæ æternæ, in alio mūdo sepultos in peccato, & manu iniecta erutos ex Acheronticis stagnis, intellige suis orationibus ad deum fusis præseruando eos ne in Infernum descēdant, quia alias ibi nulla est redemptio.

163 Sancti uenerādi sunt ut amici dei & bene factores nostri.

De dolore uentris mei. Cap. 1.

NVperrimo autem tempore uentris dolorem incurri. Et licet non usquequaq; dabat solutionē, tamen doloris malū in illis intraneorum flexuosis recessibus bachabatur. Adhibui, fateor, sæpius balnea, atq; res calidas super ipsas alui torturas ligari faciebā, sed nihil mederi poterant infirmitati. Sexta etenim dies illuxerat, q; magis ac magis dolor inualescebat, cū mihi uenit in memoriā, ante paucos annos (sicut in libro secundo huius operis cōtinetur scriptū) me ab hoc dolore sancti uirtute fuisse sanatum. Accessi haud temerarius ad locum 164 sepulchri, proiectusq; solo orationem fudi, atq; secretius à pendentibus uelis uno sub uestimento iniecto filo, crucis ab hoc signaculum depinxi. Protinus dolore sedato, sanus abscessi.

164 Gregorius prostratus ad locum sepulchri, orans, filo ex pendentibus uelis subtracto, eoq; signo Crucis depicto, sanatus est à dolore uentris.

De lingua, & labijs meis. Cap. 2.

Quodam uerò tempore lingua mihi grauiter irriguerat, ita ut plerunque dum loqui uellem, balbutire me faceret. Quod nō mihi sine improperio erat. Accessi autem ad tumulum sancti, ac per lignum cancelli linguam impeditam traxi. Protinus tumore composito conualui. Intumuerat enim ualde, & totū palati impleuerat antrū. Deinde post diem tertium labium mihi exilire grauiter cepit. Accessi iterum quærere sanitatem ad tumulum. Tactusq; à dependentibus uelis protinus stetit uenę pulsus. Et credo mihi hæc ex abundantia sanguinis euenisse: non tamen sanguinem minuere studui propter sancti uirtutē. Nullam tamen mihi ultra molestiam fecit hæc causa.

De puero à febre sanato. Cap. 3.

Denique puerulus paruulus grauabatur à febre, & exesis membris cū

nullum acciperet cibum, in hoc etiam & spiritum exhalaret, cucurrit ad me pater cũ lachrymis. Cui ego indicaui ut delatum ad basilicam super eum nocte tota uigilaret. Quod cum fecisset, statim puerum sanum per uirtutem sancti recepit.

De contracto & cæca. Cap. 4.

Ad festiuitatem uero quæ mense quinto celebratur adueniens quidã cuius digiti in palma contracti erant, oratione facta digitis directis abscessit. Mulier uero cæca post octo annos prostrata solo corã sancti sepulchro illuminatis oculis repedauit in locum suũ. Tres tunc inergumini, sancti uirtute mundati sunt.

De seruo Theodulfi. Cap. 5.

Eo anno Childeberti regis tertio decimo ad festiuitatẽ quæ de beato eius transitu celebratur, seruus Theodulphi ciuis Turonici, custos ouilis, dum nocte circa gregem creditum excubaret, ne quicquã ex eo, aut bestia raperet, aut fraus furis auferret, oculis subita caligine interfusis lumen amisit. Qui per sex annos in cæcitate durans ad hanc festiuitatem aduenit. Post tertium uero diem sancti uirtute illuminatus, à domino est dimissus ingenuus.

De multis infirmitatibus sanatis. Cap. 6.

Anno quoque quarto decimo regis supradicti, adueniente solennitate sancti, duodecim paralitici directi, tres cæci illuminati, quinq; inergumini emundati sunt. Affuit huic festiuitati & Aridius Lemonicinæ urbis abbas, cuius in superioribus libris meminimus, per quem paraliticam unam, quæ per octo annos carrucæ superposita, in atrio beati confessoris decubuerat, directis uestigijs restaurauit. Nam asserebat ipse uir dei sensisse se, quasi beati Martini manũ, cum infirmæ membra, imposito signo crucis, tactu salutari palparet. Aduenerat etiam in hac festiuitate & Florentianus maior cum Temulpho palatij comite. Quibus non parua admiratio fuit de gloria confessoris, per quem dominus talia tunc miracula dignatus est operari.

De uua apud Gallitiam. Cap. 7.

Et quia Florentiani maioris memoriam fecimus, quid ab eo didicerim nefas puto taceri. Tẽpore quodam causa legationis Gallitiam adijt, atque ad Mironis regis pręsentiam accedens, negocia patefecit iniuncta. Erat enim eo tempore Miro rex in ciuitate illa qua decessor eius basilicam sancti Martini ædificauerat, sicut in libro primo huius operis exposuimus. Ante huius ædis porticum, uitium camera extensa per traduces dependentibus uuis, quasi picta uernabat. Sub hac enim erat semita quæ ad sacræ ædis ualuas peditem deducebat. Cunque rex sub hac præteriens gratia hoc templum adiret, dixit suis, Cauete ne contingatis unum ex his botrionibus, ne forsitan offensam sanctitatis eius incurratis. Omnia enim quę in hoc habentur atrio ipsi sacrata sunt. Hoc audiens unus pue-

rorum, ait infra se, Vtrum sint hęc huic seculo sacrata an non, ignoro, Vnum scio quia deliberatio animi mei est de his uesci. Et statim iniecta manu caudam botrionis cepit incidere, protinusq; dextera eius adhærens cameræ, arente lacerto diriguit. Erat enim mimus regis qui ei per uerba iocularia lætitiam erat solitus excitare. Sed non eum adiuuit cachinnus aliquis, neque pręstigium artis suæ, sed cogente dolore uoces dare cœpit ac dicere. Succurrite uiri misero, subuenite oppresso, releuate appensum & sancti Antistis Martini uirtutem deprecamini, quia tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali incisione disiungor. Egressus quoque rex cum quæ acta fuerat didicisset, tanto furore contra puerum est accensus, ut eius manus uellet incidere, si à suis prohibitus non fuisset. Dicentibus tamen preterea famulis: Noli ò rex iudicio dei, tuam adiungere ultionem, ne forte iniuriam quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus corde, ingressus 165 basilicam, prostratus coram sancto altari cum lachrymis preces fudit ad dominum. Nec ante à pauimento surrexit, quàm flumen oculorum huius paginam delicti deleret. Quo à uinculo quo nexus fuerat absoluto, ac in basilicam ingresso, rex eleuatur à solo, & sic recipiens incolumen famulum palatium repetiuit. Testabatur autem maior præfatus hæc se ab ipsius regis relatione, sicut actũ narrauimus cognouisse, sic enim gloriosus 166 pontifex, suã illustrat urbẽ miraculis, ut deesse non sentiatur alienis.

165 *Ingressus basilicam, prostratus coram sancto altari, cum lachrymis preces fudit ad dominum.*

166 *Sanctus Martinus nõ solum suam illustrat urbem miraculis, sed & alienas.*

De basilica sancti apud urbem Sanctonicam. Cap. 8.

Pręsenti uero anno, Palladius Sanctonicę urbis episcopus, huius sancti confessoris reliquias petijt. Construxerat enim in eius 167 honore basilicam, quam his pignoribus consecrauit, meruitq; suscipere miracula quę sępius urbs propria habet experta. Nã post duorum, aut trium mensium curricula, literas eius accepi, in quibus indicauit tres paraliticos, contractis pedibus aduenisse, Qui statim ut in basilicam ingressi orationem fuderunt; directis uestigijs, sanitati sunt redditi. Duo cęci in eo loco lumẽ recipere facta oratione meruerunt, & amplius quàm duodecim à febre frigoretica detenti, depulso tremore conualuerunt.

167 *In honorem sancti episcopus basilicam construxerat, quam eius reliquijs consecrauit.*

De duobus dissintericis. Cap. 9.

Duo de pueris nostris clericus scilicet Dagoaldus, & laicus Theodorus, dissintericam cũ febre patiebantur. In tantumq; lassati morbo erant, ut non aliter nisi manibus aliorum cum digestionis necessitas aduenisset, obstractu subleuarentur. Sed de sepulchri puluere hausto, statim conualuerunt.

De paternis quas sanctus exhibuit. Cap. 10.

Est apud nos patena colore saphurnio quam dicitur sanctus de Maximi Imperatoris thesauro detulisse, de qua super frigoreticos 168 uirtus sępe procedit. Nam in accessu febrium quis positus qui cum tremore fieri solet, aduenerit, & de ea aquam hauserit, mox sanatur. Est & apud

168 *Et in sancti patenis reperta est uirtus sanatiua.*

Condatensem uicum, alia quoque patena à sancto exhibita olocristallina, simile infirmis beneficium prębens, si fideliter expetitur. Bodilo unus de notarijs nostris cum stomachi lassitudine animo turbatus erat, ita ut nec scribere iuxta consuetudinem, nec excipere quæ ei dictabantur poterat. Tunc cum sępius uerbis increparetur, super hanc beati uiri patenam quam nobiscum esse diximus, aquam fudit, ipsamq; ore transponit. Mox sensui suo redditus, opus officij sagatius quàm consueuerat expediebat.

De Bledérico cui filij non erant dati. Cap. 11.

Sed quid mirum, si sensum aduersitate turbatum reddat hominibus, qui sæpius sterilitatem in fęcunditatem conuertit? Bliderius quidam carnoterij territorij ciuis, accepta uxore ut dono Dei, procreationis suę prole ditaretur orabat, scilicet quia nihil ex ea germinis merebatur accipere. Tricesimus etenim annus curriculum expedierat, uxore sterili permanente, cum uir saluberrime pro animę cõmodo tractans ait uxori. Ecce seculum quo utimur præteriens est, & nulla inter nos soboles gignitur, quæ nobis deficientibus congestum laboris nostri debeat possidere. Accedam (inquit) ad basilicam sancti Martini, & eam faciam hæredem mihi, ut liberis abnegatis, uel cum eodem habere potero, quæ possideam in futuro. Consensit mulier sapiens, uiri prudentis consilio. Nec mora proceditur ad basilicam sancti, fusaq; oratione inuitat abbatem domi secum accedere. Quo accedente, tradidit ei omnẽ 169 possessionem suam dicens: Sint hæc omnia penes sancti Martini ditionem quæ habere uideor, & hoc tantum exinde utar, ut de his dum uixero alar. Consignatisq; rebus coëgit abbatem manere ibi. Mirum dictu; post triginta, ut diximus, annorum curricula, in ipsa qua res suas basilicæ tradidit nocte, cognouit uxorem suam. Quæ concipiens peperit filium. Sed & deinceps alios habuit, quod non ambigere hoc uirtute sancti præstitum huic uiro fuisse. Verũ tamen non refragauit acceptis filijs promissionem homo ille, sed eis alia loca tribuens, quæ primũ sancto largitus fuerat firmauit.

169 Vide prudentem hominem adhuc uiuentẽ, instituisse sanctũ Martinum hæredem bonorũ suorũ, actuq; eorum possessionem consignasse illius ministro Abbati.

De cęca apud Tornacensem urbem. Cap. 12.

Apud Tornacensem uero cinnomannici territorij urbem quæ nunc in ipsius sanctę basilicę ditionibus detinetur, mulier quædam diuturna cęcitate detenta, & senio prægrauata, ad oratorium urbis ipsius residens, dum stipem peteret, ac assidue 170 nomen sancti Martini inuocaret, quadam nocte dominica ceperunt oculi eius à dolore compungi. Tunc illa prostrata coram sancto altari, erumpente sanguine lumen recepit. Veruntamen reliquiæ in ipso loco beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli habentur, sed hæc asserebat uirtute sancti Antistitis se fuisse sanatam. Attamen fides nostra retinet in 171 multorum Sanctorũ uirtutibus dominũ operari unũ, nec illos disiunctos uirtutibus, quos cęlo pares, miraculis dominus ęquales reddit in terris.

170 Ecce sancti inuocatio, & uelox exauditio.

171 In multorum sanctorum uirtutibus unus deus operatur.

De

De manu arida restituta. Cap. 13.

Ad festiuitatem uero illam cui Annacharius Antisiodorensis urbis pontifex affuit, quidam manũ aridã contractamq; detulit, sed post diem tertium festiuitatis, reintegratam domi reportauit.

De Bandegisillo debili. Cap. 14.

Bandegisillus quidam ex Andegauensis urbis territorio Baudulphi filius, uici Gennensis incola, dum humoris sæui iaculo sauciatur, debilitatus occubuit. Isq; cũ à patre paupere sine operis beneficio pasceretur, ut basilicæ sancti Martini limina oscularetur patrẽ lachrymis obortis efflagitat. Qui nec mora in naui positũ, q̃a uehi altera uectione non potuit, ante pedes sancti foris sepulchrũ filium deuotus exposuit. Qui per dies aliquos orationi uacans, 172 sancti auxilium poscens, amota debilitate sanitati restituitur, sicq; cum genitore domi incolumis restitutus est.

172 *Per dies aliquos orationi uacans, & sancti auxilium poscens, sanitati restituitur.*

De homine qui ceram transmisit. Cap. 15.

In Ansciensi quoq; territorio erat homo cęlestis nomine, cui multa erant apũ aluearia, ex q̃bus cũ examen egressum alta conscendens longa cõpeteret, & ille sequens, nullũ prorsus suscipiendi obtineret effectũ, prostratus solo sancti Martini inuocat nomen dicens. Si uirtus 173 tua beatissime confessor hoc examen retinere uoluerit, eumq; ditioni meæ reddiderit, quæ imposterũ ex eo ꝓcreata fuerint, mel usibus meis sumã, cerã uero ad luminaria basilicæ tuæ cũ omni soliditate dirigam. Hæc effatus, cũ adhuc terrę decumberet, statim examen apum super unã arbusculam quę uiro erat proxima decidit & insedit, collectumq; & in alueolo recon ditũ retulit. De quo infra duos aut tres annos multa congregauit. Ex quibus cũ iam amplius q̃ ducentas cerę libras aggregatas haberet, rumor hostilitatis obortus est. At ille ne uotum suum perire cerneret, ceram fossa humo operuit. Pace quoq; reddita, diaconem nostrũ ut eam peteret accersiuit. Erat tunc cum eo puer qui renũ grauissimũ perferebat dolorẽ. Qui accedens ad uirũ, & cognoscens ab ore eius quæ gesta fuerant, cerã quę in terra latebat detegi iubet. Puer uero qui dolorẽ quẽ diximus patiebatur, accepto sarculo ut terrã foderet, ait: Si tu propitius es sancte Martine ad hoc munus huius hominis aspiciendũ, contingat uirtus tua renes meos, & sit mihi salus cũ hanc detexero cerã. Cumq; percussisset sarculo terrã, sonuit ossiculum renũ eius, & statim omnis dolor ablatus est. Sicq; incolumis cũ hac cera beatæ basilicæ pręsentatus est.

173 *Ecce & hic uotum factum sancto sub conditione, & rei petitæ subita consecutio.*

De absolutione uincti. Cap. 16.

Homo quidã urbis Turonicę iudici culpabilis extitit. Quẽ in uincula compactũ custodiri pręcepit. 174 Aduenientibus autẽ diebus sanctis dñicæ resurrectionis, iussit eũ iudex in ulterius ligeris fluuij littus, in alia retrudi custodia. Ducebatur ergo non solum cathenis colla reuinctus, uerumetiam post tergum manibus colligatis. Cunque ad ripam nominati amnis aduenisset, & nauigiũ quo transire deberent pręstolarentur, atque

174 *Aduenientibus diebus festis sanctæ dominicæ Resurrectionis.*

ille sancti Martini auxilium incessabiliter flagitaret, uisum est repente custodibus quasi ab aliquo capite uerberati fuissent. Protinusq; in terrã ruunt, ac cathenæ quæ uinctum tenebant hominẽ confractæ sunt. Laxatæ uero corrigiæ de manibus soluuntur. Ipse autem liberum se sentiens decumbentibus adhuc solo hominibus secessit ab eis, & sanctæ ecclesiæ limen ingressus est, sicq; à iudice laxatur. Ferebant enim nõnulli his diebus & apud Pictauensem urbẽ uinctos ergastulo carcerali fuisse resolutos. Quod ambigi non potest, quia confessoris uirtus utranq; urbem sacris potuit illustrare miraculis.

De puero cæco. Cap. 17.

Puerulus paruulus nomine Lendonaldus, seruus cuiusdam Baudeleisi de uico Andegauensi, cui cronio antiquitas nomen indidit. Postquã renatus ex aqua & spiritu sancto cum reliquis infantibus ludum in platea exercens, ut ętas illa patitur, huc illucq; discurreret, subito cõmotus cum impetu uentus, & puluerem eleuans, oculos infantis impleuit. Qui cum cęcitate percussus, doloribus cruciaretur, apparuit auiæ eius uir quidam per somnium taliter eam instruens. Vade ad basilicam sancti Martini, recipiet uisum puer iste. Nec morata mulier fide plena uenit ad festiuitatem beati uiri, recepitq; illuminatũ uirtute pontificis nepotẽ suum.

De puella cæca. Cap. 18.

Huius etenim urbis territorij puella Vigiogundis uocabulo, simili conditione cæcatur. Dum enim cũ reliquis puerulis per strata urbis ludum exercendo discurreret, uenti uiolentia puluere eleuato impleuit oculos eius. Quæ statim doloribus uexata petijt parentes, ut eam ad basilicam sancti Martini deducerent. Quo facto, protinus ut orationẽ pro ea fuderunt, illuminata est. Nobis quoq; egredientibus de sanctis missarum solennijs occurrerunt, simul præfatus puer atque puella: dicentes se ipsa hora lumina uirtute beati Antistitis recepisse. Quod nobis magnum pręstitit gaudium, credentibus quod nos uirtus beati confessoris uisitare dignata sit.

De contracto & cæco. Cap. 19.

Litoneus autem quidam ex infantia sua membris debilis, accedente febre cęcatus est: sed ad superiorem ueniens festiuitatem, directis membris, lumine tamen adhuc dempto discessit. Sed cum ad hanc iterum regressus fuisset solennitatem, exemptis tenebris, lumen ei clarum exoritur.

Item de alio cæco. Cap. 20.

In hac etiam festiuitate & Lendaidus seruus Emneri Nanneticę urbis diaconi, cum per sex annos cęcitatis fuisset cathena constrictus, ad basilicam accedens uirtute beati confessoris illuminatus est. Per uisionem enim somnij ammonitus fuerat, ut huius sancti auxilia flagitaret Antistitis.

De Eulogijs quas quidam ciuis Turonicus sustulit. Cap. 21.

Quidam de ciuibus Turonicis, dum ad gregis properaret occursum, uas cum uino, unumq; panem ad sepulchrum una mansurus nocte deposuit, ut scilicet in itinere positus hoc haberet salutis pręsidium. Quibus exinde assumptis, iter carpere cepit. Factum est autem ut metatum requirens, hominis cuiusdam ingrederetur hospicium. Depositisq; sarcinis, mulier quę habebat spiritum immundum, beati Martini aduentum uocibus immensis annunciare cepit & dicere: Quid nos persequeris sancte, quid nos crucias serue Dei? Tunc 175 hospes ille qui uenerat, accepto calice paululumq; uini de illo uase auferens, frusta benedicti panis effracta posuit in eo. Quod ubi mulier illa quę debacchabatur accepit, mox cũ sanguine eiecto dęmonio saluata est. Alia in eodem loco mulier quę diu à frigore febriũ ęgrotabat, accepto ab hac benedictione modico panis, mox ut sumpsit, sanata est.

175 *Rem miram profecto ut panis & uinum apud sancti sepulchrũ duntaxat deposita, præclaras has haberet uirtutes.*

De contracto directo. Cap. 22.

Simillimius incola Baiocasinus cum in rure positus operaretur quiddam, cõmoto uento pauore perculsus, tremere cepit, ac membris omnibus destitui. Vociferari etiam, & sibi mortem ĩminere testabatur. Interea concurrentibus uicinis ad spectaculum, per iter ipse inter uoces & ululatus, contractis neruis debilitatur ad integrum, & non solum ei usus aurium denegatur, uerum etiam & ipso lumine caruit oculorum. Post quindecim uero annos dum in hac infelicitate degeret, ad festiuitatem sancti Martini adueniens, solidatis membris, oculisq; receptis, abscessit.

De cæca ac debili sanatis. Cap. 23.

Nec dissimili uirtute mulier Erinigundus, Andegauiensis ciuis, uici incola Eroniensis, cõtracta ac cæca, in hac festiuitate directa, illuminataq; discessit. Sed & Charimundus ex Briscillami debilis ueniens, uirtute beati Antistitis reintegratus est.

De plurimis cæcis inerguminisq; sanatis. Cap. 24.

In huius etiam solennitatis uirtute, nonnulli eo operante Christi gratiam præsenserunt. Nã Leodomundus cęcus post septem annos ad basilicam præfati Antistitis ueniens, uisum recipit. Insuper alij cęci in hac festiuitate uisum per opem beati Antistitis receperunt, & inergumini plerique mundati sunt.

De puella à febre sanata. Cap. 25.

Leonis presbyteri nostri uernacula, cum ad uillulam urbi proximam, parentalibus ulnis deportata secessisset, ui febris opprimitur, & die ac nocte ualde cõmota, in mortis discrimine cernitur. Quam uidens presbyter exanimari uiolentia morbi, nocte ascenso equo, ad basilicam sancti confessoris accessit, pulsansq; ostium cellulæ in qua ædituus quiescebat, uirũ suscitare nequiuit. Cunque basilicam sancti ingredi non ualeret, coram

176 *Vides ex sancti sepulchri puluere quot miracula patrata sint?* abscida sepulchri fudit orationẽ, collegitq́; parum de 176 puluere terreno, quod secum fide plenus euexit, eumq́; dilutũ, ut puellulę ad bibendum protulit, protinus febris abscessit.

De carcerarijs absolutis. Cap. 26.

Fuerat nobis causa quędam, Childeberti regis adire pręsentiam. Pergentibus quoq; nobis, iter per pagum Remensem aggressi sumus, reppe rimusq́; hominẽ quendam qui nobis relatu patefecit, patefactum carcerẽ huius urbis, in quo inter reliquos uinctos huius famulus tenebatur, Martini uirtute fuisse, uinctosq́; ergastulo absolutos, liberosq́; abscessisse. Erat homini carcer ita tectus, ut super strue tignorum, apes ualidi superpositi palpitarentur, ac desuper qui eosdem opprimerent, insignes fuerant lapides collocati. Nihilominus & ostium carceris, sera ferro munita, obducta claue pessulo obserabatur, sed uirtus Antistitis, ut ipse relator asseruit, lapides dimouit, deiecit pulpita, cathenas confregit, & trabem quæ cunctorum coartabat pedes aperuit, ac nec reserato, homines per aëra subleuatos, foris tecto patente produxit dicens: Ego sum Martinus miles Christi, absolutor uester, Abscedite in pace & abite securi. Sed cum nos ad regem accedentes, huius uirtutis diffamaremus miraculum, affirmauit rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se uenisse, atque compositionem fisco debitam quam illi fretum uocant, a se fuisse reis indultam. Hoc autem factum est ante quatuor festiuitatis dies, in anno memorati regis sexto decimo.

De seruo Monnichij Episcopi à debilitate sanato. Cap. 27.

Adueniente autem festo beati Martini Monnichius Nanneticorum Pontifex, ad basilicam sancti aduenit, exhibens secum puerũ mẽbris dissolutum, nomine Baudegisillum. Celebratis igitur solennijs sancti, hunc artubus restitutis, secum reduxit incolumen.

De Claudij regalis Cancellarij febre. Cap. 28.

Nobis quoque cũ rege morantibus, Claudius quidam ex Cancellarijs regalibus a febre corripitur. Cunque cibum potumq́; nimia oppressus febre exhorruisset, nobis quæ patiebatur quæstus est, dilutumq́; pulue-
177 *Quem de sancto beati sepulchro leuauimus pro saluatione.* rem 177 quem de sancto beati sepulchro pro saluatione leuauimus ut hausit, mox cõpressa febre sanatus est.

De eo quod Agnes pictauensis abbatissa de nauta retulit. Cap. 29.

Venerabilis uero Agnes pictauarum sanctimonialium abbatissa relatum sibi ab ipso cui contigit, Treuerico negociatore, rem miraculi prouenisse, sic retulit. Dum inquit Metis accessissem, interrogauit me quidam negociator unde uenirem. Dixi: De Pictauis. Dixit mihi, Si alij ad basilicam beati Martini Turonis occurrissem. Dixi quod dum in Austria ambularem, urbi me præsentassem. Dixit mihi quale beneficium

domini

domini Martini senserat. Dum enim Metis salem negociasset & ad pontem Metis applicuisset, dixit: Domine Martine me & puerulos meos quos habeo,& nauiculam meam tibi cõmendo. Inter hæc recubantes in naui condormiuimus. Mane excitans me cũ puerulis, quos mecum habebam, inuenimus nos ante portam Treuericam, nescientes quomodo uenissemus qui nos adhuc Metis credebamus consistere,qua ratione nauigatum est,aut uolatum, sola cõmendatione beati Martini, nec fluuium sensissemus, & Mosellæ tunc sęuientes undas naufragas euitassemus & quod satis est mirabile,quomodo inter saxa nocturno tempore præterissemus incolumes,non nauta uigilante,nõ uento flante,non remo ducente.

De uirtutibus Locociagensis monasterij.

Cap. 30.

Tempore post habito cum usque Pictauam accessissemus urbem, libuit gratia tantum orationis monasterium Locociagense adire,quo congregatam monachorum cateruam locauerat uir beatus. Ibi enim mortuum primum suscitasse legitur, & ex illo ad episcopatum ductus scribitur. Ergo desideratum ego expetens locum,prosternor ad cancellos anguli in quo dicitur defuncti spiritum reduxisse. Post effusas uero cum oratione lachrymas, ac celebratas solenniter missas, percunctor abbatem si aliquid ibi dominus miraculum ostendisset. Asseruitq; ille corã, qui aderant fratribus, plerunque ibi illuminari cæcos, ac debiles reintegrari. Quid tamen nuper sit gestum inquit, tibi domine,quia sollicite inquiris euoluam. Mulier quædam uicina loci huius, paralisi humore perculsa, officium membrorum omnium usque quaque perdiderat. Quæ carrucæ imposita,a bobus trahentibus ferebatur,ut circuiens domos diurna stipe, inopiæ suæ expleret necessitatem. Ergo dum delata ad hunc locum pauimento prosternitur,lento conamine accedens, uelum quod sanctum tegebat cancellum deuote osculatur dicens: Hic te beate Confessor adesse credo, hic te mortuũ suscitasse testificor.Confido enim quod si uolueris poteris me saluare, ac sanitati restituere,sicut quondam diruptis inferni faucibus, defuncti animam eduxisti. Hæc effata genas lachrymis rigabat ubertim,ac statim impleta 178 oratione:quicquid aridum,quicquid contractũ, quicquid dissolutum fuit,reintegratum est mulieri in corpore a beati Antistitis uirtute.Simili sorte & alius paraliticus ad hoc accedens monasterium, ut uelum ipsius cancelli attigit, amota omni debilitate sanus abscessit. Distat autem ab urbe Pictaua quasi stadijs quadraginta.

178 *Ecce quomodo Deũs ibi maxime præstat petita suffragia, ubi adsunt sanctorum memoria.*

De fonte quem oratione sanctus ut oriretur obtinuit. Cap. 31.

Exinde egressi, sanctonicum territorium ingressi sumus: Cunq; in

quodam conuiuio de beati Martini uirtutibus fabularemur, hęc mihi unus de ciuibus, affirmantibus alijs uera esse retulit. Naiogialo uilla est in hoc territorio sita. Ad quā cum sanctus Martinus adhuc superstes in corpore adiret, obuium habuit uirum exhibentem aquam cum uasculo. Erat enim puteus ille de quo hanc exhibebat, situs in ualle quasi mille passus a uilla, & ex eo incolę haustam deferebant aquam. Tunc ait uir Dei homini aquam ferenti. Quæso dilectissime contine manū tuam, & huic asello cui sedeo, paululum aquæ ad bibendum indulge. Qui ait: Si necessarium ducis animal tuum adaquare, accede ad puteum, & hauriens dabis ei. Nam ego quod cum labore detuli, non prębebo. Et hæc dicens præterijt. Quo discedente, uenit protinus mulier. & ipsa deferens aquam in ulnam, dixitq; ei similiter uir Dei. Quæ illico ei ac si Rebecca quondam audiens nuncium Dei, & tibi præbeo ait, & asino tuo potum; nec mihi labor est ut hauriam. Tantum uoluntas tua fiat, qui iter pergens necessitatem pateris. Et deposito de ulnis uascula, dedit asino illius bibere. Quo facto, iterum hausta aqua, impletoq; uasculo reuertebatur ad urbem. Quā prosequens sanctus ait. Reddam tibi pro mercede beneficium, quia adaquasti asinum meum. Et positis 179 genibus in terra orauit ad dominum, ut loco illi fontis ostenderet uenam, ac statim consummata oratione, dirupta terra fontem immensum populis admirantibus patefecit. Qui usque hodie beneficium præbet hominibus cōmanentibus in agro illo. In huius enim fontis ore est lapis in testimonium qui uestigium retinet aselli huius, super quem sanctus sedit antistes.

179 *Vide orationem sancti cum genuflexione, & illius mirabilem exauditionem.*

De incendio urbis Pictauæ. Cap. 32.

Nec illud silendum puto, quod hoc tempore cum Placidus episcopatum Pictauæ urbis adeptus est, uirtus sancti fuit ostensa. Domus adiuncta ecclesiasticę domui incendio maximo cremabatur, ac scintillæ cum carbonibus super domum ecclesię impellente uento cadebant. Sed ille de 180 puluere beati sepulchri secum habens, eleuato chrismario contra ignem, exortus subito uentus, uento illi contrarius, flammas a tecto ecclesiastico auertens, aliam pepulit in partem, & sic domus ecclesiæ liberata est.

180 *Puluis de sepulchro beati uiri eleuatus cōtra ignem, incendium ab Ecclesia repulit.*

De puero à febre sanato. Cap. 33.

Cum autem puer eius in ualetudine acerbissima febre exustus iaceret in lectulo, & iam quasi exanimis haberetur, ut de hoc puluere diluto porrexit infirmo, protinus fugata febre, puer conualuit de labore. Sed ad basilicam sancti redeamus.

De Lendulfo amente & debili. Cap. 34.

Cum ante hos annos, terræmotus magnus terram concuteret, cunctaq; ualde mouerentur, quasi in uno momento casura, Lendulfus quidam ab eo uehementer excussus, non solū sensu mulctatur, sed etiam

omnibus membris debilis est effectus. Qui ueniens ad basilicā sancti Turonis,& orationi paucis diebus incumbens, & uoci redditur & sen sui,& membris omnibus quasi rediuiuus,sospes est redditus.

De muliere obmutescente. Cap. 35.

Nec illud prętereundum puto,quod innocens homo accusatus per calumnias malorum adducebatur ad urbem uinctus loro, ut truderetur ergastulo. Cunq; ante basilicam sancti Petri Apostoli in publicū adductus ęger deuenisset,solutæ sunt manus eius, dixitq; custodibus: In hoc apparet me à culpa quam dicitis,esse īmunem,cum meę manus diuinitus sunt solutæ. Tunc illi indignantes arctius eum reuinxerunt,& insuper adhuc alio loro ligaminis adiecto, ut ita dicam uincula ipsa uinxerunt. Contigit autem eo tempore ut nos de Basilica sancti Martini per plateam ueniremus.Hi autem cum nobis obuiam uenientes appropinquarent,ut primum basilicam sancti homo uinctus aspexit,statim solutę sunt manus eius.Exiliensq; de caballo in quo sedebat,pedes nostros arripuit,exponens se iniuste damnari.Sicq; nobis cū iudice loquentibus,absque fascinatione discessit.

De muliere obmutescente sanata. Cap. 36.

Coniunx serenati hominis nostri cum de cultura uiro præmisso rediret,subito inter manus dilapsa comitantium, terræ corruit, ligataq; lingua,nullum uerbū ex ore potens proferre obmutuit. Interea accedentibus ariolis,ac dicentibus eam meridiani dæmonĳ incursum pati, ligamina herbarum atque incantationum uerba proferebant, sed nil medicaminis iuxta morem conferre poterant perituræ. Cunq; familia mixto ululatu perstreperet, filius eius ad neptem nostram Eustheniam citius occurrit,nuncians matrem suam extremę uitę terminum attigisse. Quæ adueniens ad ægrotam, eamq; uisitans, amotisq; ligaminibus quę stulti indiderant,oleum 181 beati sepulchri ori eius infudit. Mox sermone reddito, nequitiæ dolo perempto, ægra conualuit.

181 *Infuso in os oleo beati sepulchri, muta effecta officium linguæ recepit.*

De Frigoreticis sanatis. Cap. 37.

Tempore autem quo post obitum gloriosissimi regis Gunitranni Childebertus rex Aurelianensium urbem adĳt,puerorū unus aulicorum grauiter à typo tertiano, accedentibus, discedentibusq; febribus tremore superueniente quatiebatur. Id cum nobis fuisset questus, de 182 puluere sancti sepulchri ei porreximus. Quem hauriens, compresso tremore conualuit. In sequenti uero nocte cum dies ille quo frangi consueuerat aduenisset, uidit per uisum uenientem personam teterrimam dicentemq; sibi. Ecce iam tempus tui tremoris aduenit; Quid dissimulas? Age quod consueuisti. Hæc eo dicente, aduenit uir quidam uultu splendidus, Cæsarie nitens,aspectu decorus, dicens ei: Ne tremueris,sed facito super frontem tuam signum uenerandæ cru-

182 *Hausto puluere sancti sepulchri ægrotus à febre dimissus est.*

cis,ſtatimq́; ſaluaberis. In hac uiſione expergefactus, munitusq́; hoc

183 ſignaculo quo fuerat iuſſus,nunq̃ ulterius quæ pertulerat paſſus

Vide uirtutem ſigni ueneran dæ Crucis.

eſt. Ab hoc typo reginæ puella fatigata, à potu huius ſancti medicaminis ſumpto ſanata eſt.

De cæcis,Energuminis & paralyticis curatis. Cap. 38.

Non poſt multos dies cum ſolennia ſancti dies annuus retuliſſet, nos à grege regreſſi, feſtiuitati eius affuimus, in qua quatuor cæci lumine recepto regreſſi ſunt, duo inergumini mundati, duo paralytici contracti,reſtitutis greſſibus incolumes redierunt.

De contracto,& carceratis laxatis. Cap. 39.

Poſt paucos uero dies cum culpabiles quoſdam urbis Turonicę,iudicis ſententia carcerali ergaſtulo concluſiſſet,lamentantibus cunctis, beatus confeſſor apparuit,diruptisq́; uinculis compeditorum, liberos in baſilicam abire permiſit. Sicq́; & hi à iudice relaxati ad propria acceſſerunt. Quidam in regione Cantabrina. Auranus nomine, mane â lectulo conſurgens, dum de domo egreditur, uiſum eſt ei quaſi ab aliquo percuſſus fuerit in ceruicem. Qui protinus ruens in terram,factus eſt tanq̃ mortuus, ac per triduum ſolo ſpiritu uiuens. Quarto autẽ die apertis oculis nihil poterat loqui. Ablata enim ei fuerat fandi facultas: Auditis autẽ beati Martini miraculis, unum trientem nautis porrigere innuit cum ſupplicatione, ut eum ad beati Antiſtitis templum deferrent. Quibus abeuntibus, ille ad domum ſuam reuerſus, uidit ante pedes ſuos aureum in ſimilitudinem trientis. Quo aſſumpto,penſatoq́;, unius ſolidi appenſus eſt pondere. Quod ille cernens, dixit intra ſe: Reddidit mihi uirtus beati Martini meritum pro fęnore quod eius templo direxi. Et accenſus deſiderio uoluit in unam atque aliam nauim conſcendere,ſed à parentibus eſt retentus. Reperta autẽ tertia naui, retineri non potuit. Qua aſcenſa, cum impellente uento altum mare ingreſſi fuiſſent, os eius uirtus ſancti Antiſtitis reſeranit. Qui extenſis ad cœlum manibus,locutus eſt dicens. Gratias tibi ago omnipotens deus, qui me hoc iter ſulcare iuſſiſti. Iam enim priuſquã templum ſancti tui uideam, eius refertus ſum beneficijs. Quibus nauigantibus Burdegalę urbi appulſi ſunt; Egreſſisq́; de mari,hic ad baſilicam ſancti dei accedens,ac uotum ſuum exſoluens,quę ſcripſimus, ab ipſius ore relata cognouimus.

De alio contracto,& uinculetis liberatis. Cap. 40.

Alia uero feſtiuitate aduenięte quę in hieme celebratur Marrellus quidã ex domo Ponticonenſi, ſeruus Agini ducis, qui menſe Martio per incurſionẽ neſcio quam, unius poplitis perdiderat uſum, & greſſum figere non ualens,adhibito ſibi ad geniculũ fuſte, ut mos eſt claudorum affuit. Is cum per triduum orationem fudiſſet ad dominum, quarta die quæ eſt in craſtinum de feſtiuitate, genu directo ſanus abſceſſit.

ſceſſit. Poſt paucos autem dies homines qui carceris uinculis tenebantur, diuinitus abſoluti, ſancti baſilicam ſunt ingreſſi, & per iudicẽ immunes a damno laxati ſunt.

Item de alio contracto. Cap. 41.

Puer quidam pedibus manibusq; contractus, de urbe Themallo in pago Turonicę urbis, uici Ambiacenſis, adueniens ad baſilicam ſancti, dum inter reliquos petentes poſtularet uictus ſtipem, uiſitatus à ſancti uirtute directus abſceſſit.

De pueris febricitantibus ſanatis. Cap. 42.

Alius quoq; puerulus Euthimi presbyteri noſtri, cum in ualitudinem febris nimię incidiſſet, ac exanimari ab eadem putaretur, de puluere 184 ſancti ſepulchri presbyter leuans, ac fimbrias pallę ſuperpoſitę dirumpens ſecum detulit, puluerem q; puero hauriendum dedit, fimbrias uero collo eius alligauit. Mox febre reſtincta ſanatus eſt. Non diſpari modo & Vlfaricus presbyter alteri puero febricitanti ſtudium adhibens, ſubuenit, & ille protinus per uirtutem ſancti, febre carens conualuit.

184 *Ecce quomodo hauſtu pulueris, & alligatione fimbriarum pallæ ſancti ſepulchri, duo pueri febricitantes ſanati ſunt.*

De Præcipuo amente. Cap. 43.

Pręcipuus quidam, uir bonus, Petragoricæ urbis, amentiam neſcio quam incuraſſe putabatur. Et tam grauiter agebatur interdum, ut de ſenſu uideretur excidere. Quod cũ multis menſibus perferret, beati Antiſtitis baſilicam expetiuit. Ibiq; ut arbitror quatuor reſidens menſes, abſtinens ſe à cibo 185 carnium ac uino, adiutus confeſſoris beati præſidio, incolumis domi ſuæ reſtitutus eſt.

185 *Vide abſtinentiam à carnibus & uino ſanitatem amenti obtinuiſſe.*

De Leodulpho cæco ſanato. Cap. 44.

Et quia ruſticitas hominũ dum parum prædicationem ſacerdotalem ſequitur, ipſa ſe dei præparat ad offenſam: Quod nuper geſtum fuit, edicam: Leodulphus quidam Bituricæ urbis homo, cum fœnum 186 ſecuiſſet, metuens ne euentu pluuiæ uenientis infunderetur, & laborẽ ſuum perderet, die Dominico mane iunctis bobus ad pratum perexit, ac ſuper plauſtrum fœnum agglomerare cepit, ſtatimq; pes eius unus quaſi ardens ei uiſus eſt. Regreſſusq; ad hoſpitium ſuum conuenit ab opere. Poſt miſſarum ſolennia uero celebrata, iterũ iunctis bobus opus ceptum cepit explere. Completumq; cum eſſet plauſtrum fœno, ſtatim oculi eius quaſi à quibuſdam aculeis puncti, dolorem maximum intulerunt. Quibus concluſis nunq̃ deinceps eos aperire potuit. Sicq; per annum in cæcitate manens, ad feſtiuitatẽ ſancti Antiſtitis deuotus aduenit, cuius poſt diem tertiam beneficio lucis quam perdiderat, reſtauratus eſt.

186 *Diſce nõ operandum die Dominico etiam timore pluuiæ ſanctã huiuſmodi obſeruationem floccipendendo.*

De duobus alijs contractis. Cap. 45.

Eo tempore, & alius contractus adueniens, uirtute ſancti directus, proprijs greſſibus ad urbem ſuam regreſſus eſt. Aduenit quidam ex

Britannia nomine Paterimanus qui cæcus, mutus, ac surdus, & manibus contractus, per quoddam contagium fuerat, & conflictis omnibus membris morbo, soli tantũ pedes præbebant homini sustentaculum. Patroni præpotentis hic expetit basilicam, orationem fundit, apertis oculis lucem perditam cernit, manus ad usum pristinum recipit, & se saluatum beati Antistitis uirtute mirans, sospitatis suæ gratiam populis declarabat. Ob huius miraculi gratiam, à multis munera cepit, de quibus nonnullos à iugo captiuitatis exemit.

De incendio ope eius extincto. Cap. 46.

Præsenti quodam tempore apud Burdegalensem urbem, domus una ignibus comprehensa uehementer cepit exuri. Cunque flammis hinc & inde spaciantibus aliæ domus huic discrimini subiacerent, nec esset dubium easdem huius fomitis calore depasci; congregatus

187 *Ecce inuocatio nominis sancti Martini, & subitum eius auxilium.*

in circuitu populus nomen beati Martini cepit attentius 187 inuocare, & ne uicinas domos uirtus eius exuri permitteret cum lachrymis deprecari. Sicq; ad eleuatam uocem deflentium cepit crepitus flammæ decedere. Atque illis clamantibus ad cœlum, aduenit subito Antistite impartiente præsidium, collisumq; supplici oratione incendium, restinxit plebs per lachrymas, quod nequiuerat superare per undas. Eo tempore puer noster Laudonaldus cum grauiter à dissinteria fatigaretur, ut de puluere 188 sepulchri accepit, protinus morbo caruit.

188 *Vt de puluere sepulchri accepit, protinus sanus effectus est.*

Finis tertij Tomi.

Lippom
in
Vit: Sanc
Tom. 3.


colorchecker CLASSIC
mm
calibrite